Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Tarnow

Johannis Tarnovii SS. Theol. D. & in Academia Rostochiensi Profess. Medulla Evangeliorum Cum Dominicalium, Tum Quorundam Festivalium. Hoc Est: Dictorum Biblicorum ad Evangelia Anniversaria accommodatorum & Explicatorum, erudita Exegesis

Rostochii: Wilde, 1649

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730466876

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730466876/phys_0001
DFG

Fl 1295 1.2.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730466876/phys_0002
DFG

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730466876/phys_0003
DFG

Ded. 317p
43 r
Ded. 436r

JOHANNIS TARNOVII
SS. Theol. D. & in Academia Rostochiensi Profess.

MEDULLA EVANGELIORVM CUM DOMINICALIUM, TUM QVORUNDAM FESTIVALIUM.

HOC EST:

Dictorum Biblicorum ad Evangelia Anniversaria accommodatorum & Explicatorum, erudita Exegesis POSTHUMA.

Adjunctum est in fine Cap. IX. ESAIAE.

ROSTOCHII,
Apud JOACHIMUM Wilden/Bibliop.
ANNO M DC XLIX.

F. l. — 1295. 2.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730466876/phys_0005
DFG

Ex Bibliotheca Academicae Rostochiensis

Admodum Reverendis, Clarissimis, Excellentissimis & Doctissimis Nobilissimarum Ecclesiarum

Lubecensis & Hamburgensis,

Senioribus, Pastoribus & Doctoribus vigilantissimis, fidelissimis, Dominis fautoribus, amicis, & in Domino JESU dilectissimis FRATRIBUS.

S.P.

EOrum, qvi Spiritum Sanctum, illâ, qvâ per Prophetas & Apostolos in tradendis divinis Scripturis usus est lingvâ, & audire & intelligere videntur, non una mens est, non idem affectus, non idem judicium. Sunt, qvi, cùm & Ebræa jam legere & radicem investigare, qvin & mediocriter Phrasin interpretari didicerunt, si qva appareat inter fontem & versionem (nullam modo nomino) discrepantia, reperisse putant sese non qvod pueri in faba, sed digna, de qvibus inter æqvales non tantùm glorientur, disputent, garriant, verùm & publicè moneant, versionem ita qvidem loqvi, at Spiritum Sanctum in Lingvâ Originali, in der Haupt und Grund-Sprache diversum qvid, longeqve divinius &

subli-

sublimius intendisse. Mirum ni & hos tetigit B. Lutherus, qvando dixit: **Er habe gehoffet/daß die jungen Ebraisten solten was köstliches hervor bringen/ aber es gehe ihm wie König Salomo/der hoffet auch was köstliches aus India/so bracht man ihm Affen und Pfawen. Das meiste Theil** (vid. Mathesius de vita Lutheri, conc. 13. pag. 145.) **brauche Affenwerck/und ahne entweder den Rabbinen oder vorigen Versionen nach/ oder bekleiden ihre Ding mit Pfauenspiegeln/ brocken Ebraisch mit ein/ und verbremen ihr Ding mit** Ciceronis **Worten und Formulen/und verschnürens mit Greckischen (geckischen) Worten.** Horum misereamur, exspectemusqve, donec sapere discant rectius.

Sunt, qvi cum & intelligant, & sæpius dextrè interpretentur Ebræa, suo tamen ducti genio, non modo, nescio qvæ mysteria, in literis & vocibus rimantur nudis, inqve hisce ad generalissimum & eminentissimum qvendam significandi modum omnia examinari & referri volunt, verum & acrius nimisqve intempestivè aliorum labores obelo notant, nihilqve admittunt, nisi qvod ad suam sit salivam, *planissimeq; Ebraizet*. De qvibus qvid sentiendum, vestro V.V.R.R. & E.E. committo judicio.

Mihi, qvod hac qvidem vice cumprimis dicturus eram, reprehendendi minimè videntur, qvi postqvam Lingvæ Sanctæ præcepta examussim callent, ita in Sacro-

crorum versantur lectione, scrutinio & tractatione, ut vocem cœlitus loqventis cum reverentia omniq; submissione audiant, juxtaqve illam & sentiant & loqvantur, idqve ita, ut dexteritatem, candorem, pietatem, facilè piis æqvisqve probent animis, & qvivis bonus audiat videatqve non sine Deo, ejusq; ductu, ea, qvæ tradunt, docent, scribunt, suggesta fuisse, sed animum mentemqve, diviniori qvadam vi trahere & ad partes consensumqve seriò vocare. Ipsi illi si interdum à *Magni* nostri *Lutheri* Bibliorum versione discedant Germanicâ, indignissimi profectò sunt illorum clamoribus, turbis & qverelis, qvi qvod pro B. Viro Zelotæ videri volunt, summâ illum non tantùm affici injuriâ qviritantur, sed & labori incomparabili non parum detrahi, adversariisqve calumniandi ansam dari, miris modis declamitant. An sint ejus sententiæ, versionem Germanicam *Lutheri* nostri, esse θεόπνευστον & immediatè Propheticam, in qva errare labivè non potuerit, eqvidem ignoro; Zelo certè qvem præ se ferunt, indignatione, odio, id testari videntur, Mihi, si dicendum qvod res est, ejusmodi homines ignorantia & fastu qvodam laborare videntur. Illâ dum sæpe Theologi Magni audire videriq; volunt, citra lingvarum, qvibus usus est Dei Spiritus, notitiam: Hoc, dum barbam, palliumqve vultusqve severitatem. *Qvalem deprensus habebat*

Marsya

sufficere putant, ut docti soliq; audiendi pũtentur. Ego veteris comœdiæ licentia, neminem nomino, certasq; personas nec eligo nec perstringo, ut, credo, nemo sit qvoqve mihi succensurus, nisi qvi prius soricis instar se prodere suiqve genium velit. Illi omnium optimè *Lutherum* & defendunt & observant, qvi non tantùm versionem ejus magni æstimant, imò aliis præferendam judicant; sed & qvam accuratè Spir. Sanct. lingvam adtenderit, vel ubivis demonstrant, vel ubi humani qvid passus est, candidè & in timore Domini notare & docere non verentur. Hisce meritò annumero insignem illum Ebræum, Theologum celeberrimum, Ecclesiæ nimis maturè ereptum *Johannem Tarnovium*, qvi qvanta perpessus sit, postqvam primùm animum ad scribendum appulisset, jam non attinet dicere. Vivunt inter vos qvi & publicè docentem *Rostochi* audiverunt, & procul dubio etiamnum scripta ejus magni faciunt. Nomino Viros Admodum Reverendos & Cl. *Dn. M. Jacobum Stolterfoht*, *Dn. M. Hermannum Lipstorf*, *Dn. M. Bernhardum VVorgerum*, Eccles. Lubec. Doctores, Amicos & Fratres in Christo meos, qvi nobiscum olim ab ejus ore & pendere & sedula, qvæ docebat, manu excipere, ad veræ eruditionis adeptionem pertinere arbitrabantur. Sunt omninò etiam in perqvam Reverendo & Cl. ministerio HAMBURGENSI, qvi idem fecerunt, ex qvibus tamen unius CL. nempè *Steinmanni* oc-

ni occurrit memoria, ut qvanti illum faciant, Reverendos & Excellentisſimos Viros *Dn. Mullerum*, *Groſſium*, & amicisſimum noſtrum *VViſium*, taceam, de qvibus qvin de eruditorum genio ſcriptisqve, cumprimis ſincerè & rectè judicare poſſint, nemo dubitat. Vobis autem, Collegisq; Veſtris, Viris Cl. doctisſimis, omnibus & ſingulis, Dominis meis & Fautoribus honorandis, deamandis, Vidua liberiqve ſuperſtites, labores hosce, qvibus Evangelia Dominicalia, per dicta tam N. qvam V. Teſtamenti convenientisſima illuſtravit, Eccleſiæq; reliqvit, inſcribi voluerunt, partim qvod Vicini noſtri eſtis, adeoqve B. TARNOVIUM ejusqve eruditionem & induſtriam non ignoratis, partim qvod Momo, manibusqve interdum non parcentium mentibus autoritatem & judicium Veſtrum facilè ita opponere poſſitis, ut illum etiam mortuum ſalutaria, Chriſtianam Deoqve charisſimam vitam urgentia, docentem, audire & admittere cogantur. Commendo autem Vobis præcipuè Magni parentis non degenerem filium JOHANNEM, qvi eundem ipſum ut tandem vivum terris vicisſim exhibeat ſiſtatqve, ſumma ope nititur. Μεϑεμψυχώσεις illa qva Æthalidis animam Euphorbo, hujus Hermotimo, ejus Pyrrho, hujusq; vicisſim Pythagoræ obtigiſſe Diogenes Laert. memorat, haut opus eſt, adjutus Voſtra aliorumqve ope, qvam gerit Patris imaginem mundo ſuo tempore puto probabit, eſtqve gratitu-

tudo dignissima Viris Magnis, deqve Domini Vinea optimè meritis, eorum in filiis conservare memoriam. Quod licet sponte vostra vos facturos minimè dubitem, Viduæ tamen & superstitum liberorum nomine, perqvam officiosè & amanter à vobis contendere debui. Deus Ter. Opt. Max. non tantùm Ecclesiæ suæ concedat, qvi eam qvovis tempore docere & cœlo parare possint, sed cumprimis florentissimas LUBECENSIUM & HAMBURGENSIUM respiciat, in pace, qvâ ferme SOLÆ in tantis Germaniæ motibus gavisæ sunt, sartas tectas conservet, hodiernosq; earum Doctores & præcones SPIRITUS SANCTI virtute roboret, tandemqve seros in cœlum redire faciat. B. V. Anno 1643. postridie Dom. Trinitat. Rostoch.

V. V. R. R. & E. E. addictissimus
& observantiß.

M. ELIAS TADDEL, Theol. Prof.
& Pastor Petrinus B. JOHANNIS TARNOVII, relictæ viduæ & liberorum superstitum nomine.

DOMI-

AD I. DOMINICAM ADVENTUS
JOVA JUVA.
Esa. 62, 11. 12.

QVando DEUS jam constituerat facere, ut promissa Abrahamo Gen. 15, 13. 14. de eductione populi sui ex Ægypto, ubi ad tempus velut in camino ignis fuerat probatus, confer Gen. 15, 12. 17. Exod. 3, 2. apparerent: Mosen miraculis instructum ad Pharaonem mittit, qvi cum legationem suam populo exposuerat, & hic audivit Jehovam visitasse suum populum, & vidisse afflictionem ipsorum, credidit & vertice inclinato se incurvavit; at postea valde timuit, Exod. 4, 30. 31. Quin etiam ipse Moses subdubitare incipit, cap. 5, 22. 23. Deus vero immutabile esse illud suum decretum indicat, & prædicit fore, ut per manum fortem coactus Pharao dimittat eos, Exod. 6, 1. Ad eum fere modum, qvando jam instabat plenitudo temporum Galat. 4. & tempus promissa perfici, Deus Christum ipsum longè meliorem Salvatorem Heb. 3. & 4. ablegat, qvi homines ex igne inferni liberet. Qvod cum audiebant futurum, multi in Veteri Testamento præ nimiâ anxietate vix attendebant (confer Exod. 6, 7.) pii autem, præcipuè qvi in Novo Testamento ipsum Salvatorem viderunt esse præsentem, capita extollunt & lætantur cum Zachariâ, qvod Deus incarnatus visitaverit & fecerit redemptionem populo suo, Luc. 1. v. 68. educens vinctos Esa. 61, 1. Zach. 9, 11. idq; ut tanto melius observetur, à pluribus Prophetis fuit prædictum, ac corda populi excitata, ut intuerentur, quantus sit iste venturus Messias Heb. 7, 4. Nobis id ipsum ex Esa. 62, 11. 12. placet jam explicare.

Partes erunt duæ. Prior, Adventus Messiæ gratiosus, Posterior, status Ecclesiæ gloriosus. Attende jam cor nostrum ferreum, qvia Jehova loqvitur Esa. 1, 2. Adeste vos longinqvi Eph. 2, 13. quia Jehova pronunciat hoc suum verbum ad extremum usq; terræ. Act. 1, 8. Col. 1, 23. Ecce hodie Salvator noster advenit humilis Zach. 9. & nobis in carne similis Heb. 2.

Solvit pro nobis redemptionis precium Pſ. 69. Matth. 20. 1. Tim. 2. & affert Salvationis omnigenæ beneficium. Accurramus & ſuſpiremus, ut ipſe nos liberet, qvi nunqvam ſuos deſeret. Heb. 13. Eſa. 49, 14. 15.

PARS PRIMA.

IN Arca Noachi non tantùm arctè inter ſe colligabantur, clavis trabalibus figebantur; verum etiam pice obducebantur omnes aſſeres & tabulæ Gen. 6, 14. ne qva fatiſceret aut rimas ageret, ſeq; & omnes ingreſſos perderet. Cum illâ Eccleſia comparari poteſt 1. Pet. 3. in qvâ membra ſingula ſeu pios oportet amoris vinculo & benevolentiæ glutine combinari, ut ita ſalvi ad portum vitæ æternæ deferantur. Hoc indicatur qvoties ſub initium N. Teſtamenti futurum prædicitur Eſ. 2. Mich. 4. Hoſ. 2. & 6. ut alter alterum monitionibus, precibus, conſilio, auxilio juvet, ut ſalventur, & qvoties Eccleſia illa cum corpore confertur? Rom. 12. 1. Cor. 12. Apparet id qvoq; in hoc ipſo Prophetæ loco, ubi, cum dixerat, futurum ut Jehova Eccleſiæ ſponſus juſtitiam proferat, ſubjungit, decere jam omnes, ut aliis qvoq; proſpiciant, qvò fiant tantæ ſalutis participes, venientes adjuvando, dormientes excitando, neſcientes commonefaciendo. Dicant autem, & inprimis verbi miniſtri proclament, *Ecce*, qvæ eſt attentionis nota, & in hoc uno verſu ter repetita, ut indicetur, ad omnes tres ſacroſanctæ Trinitatis perſonas eſſe reſpiciendum, qvum omnes procurent redemptionis noſtræ myſterium, Pater filium mittendo, Filius ſalutem promerendo, Spiritus ſanctus partâ per eum bona diſtribuendo & applicando, *Ecce* Deus Pater & *Jehova* ipſe qvum non delectetur morte impii, facit audiri & *pronunciat* ad *extremum usq; terræ* ſub initium Novi Teſtamenti; qvum antea ſolemniori modo tantùm in Judæa notus fuerit Pſal. 76. & 147. ita mandans verbi miniſtris; qvin etiam pro ſuo modo omnibus Chriſtianis, *dicite filiæ Sionis* Eccleſiæ, qvæ Doctrinâ ex Sione profectâ eſt genita Eſ. 2, 3. qvæq; ſupernæ Jeroſolymæ nomen habet Gal. 4, 26. *ecce* qvæ hactenus ſediſti in tenebris, Lux tua venit Eſa. 60. qvæ fuiſti mœrore tantùm non confecta, Ecce venit, qvi te lætitia afficiat, & ut verbo dicam, *ſalus tua advenit* יְשׁוּעָה Jeſus tuus ac Salvator, à & in qvo ſolo ſalus eſt Act. 4, 12. & qvidem omnimoda Pſ. 3, 9. *Ecce merces hujus*, qvæ ipſi pro operibus & paſſionibus ex Juſtitia debetur, meritumq; obedientiâ activâ & paſſivâ, ut vulgo loqvimur, ſeu vita & morte partum, *penes ipſum*, ille, qvum tu

ſis

sis injusta, justitiam veram refert 2.Cor.5,21. *& operæpretium ejus est ante ipsum* daturq; illis, qvi ipsius faciem inqvirunt & nosse discunt tam peritum medicum, qvæ est qvædam ratio, cur debeant advolare omnes ad Ecclesiam, nempe hìc Christi justitiâ absolvi, sanguine lavari, merito beari possunt, qvia Christus in Ecclesia per verbum & Sacramenta id dispensat. Qvomodo simpliciſſimè interpretamur ex scopo Prophetæ & subjecta materia, de mercede, qvæ Christo debetur & ab ipso gratiosè nobis applicatur. Cui tamen si qvis velit adjicere ὡς ὑπάλληλα mercedem & præmia, qvæ ille olim in extremo judicio sit daturus impiis & piis, per me faciat. Sciat tamen de tempore gratiæ & Ecclesiæ vocatione, Christiq; adventu salutari agi principaliter, qvemadmodum ex seqventi versu & parte hujus dicti paulo post apparebit: nunc vero eruamus ex his explicatis locos communes.

I. Loc. Commun.

EXistimabat Adamus primus fore, ut, si ederet de arbore vetità, oculi aperirentur, & videret omnia: sed is, cum nimium voluit cernere, nil potuit, nisi suam nuditatem Gen.3. Hinc si res spirituales proponuntur in sacris, toties vocula *Ecce* adjicitur, ut nota attentionis, qvæ q; nos nostræ in istis cæcitatis admoneat, Eph.4,17. Simson à Philistæis captus oculis privabatur Jud.16. Nos in Diaboli potestatem ubi venimus, excæcat nos 2.Cor.4,4. ut ita in tenebris ac sqvalore nostro pereamus. Sed benè, qvod venit Lux mundi discutiens istas tenebras Joh.1,8.12. Qvi igitur in aliis rebus mundanis tam cernis acutum, qvàm aut aqvila aut serpens Epidaurius, roga, ut videas illam lucem. Confer Luc.18,41.

II. Loc. Commun.

VErbum per ministros prædicatũ est ipsa Dei vox, qvia per illos loqvitur, qvando illi proferunt τὰ Θεῦ λόγια 1.Thess.2,13. qvodsi est Dei vox, erit seria & verax, Deus enim mentiri neqvit. Calviniani igitur blasphemè asserunt, Deum non vocare omnes serio. Si est Dei vox, est vivifica. Pontificii igitur, Anabaptistæ & alii impiè vocant literam mortuam. Id tamẽ prętereà in textu hebræo notatur, qvod auris audiens sit à Deo Prov.15,31. nisi enim Jehova aures & cor aperiat, ut Lydiæ Act.16. audiri rectè & cum fructu non potest illud verbum, audire tamen id coguntur etiam impii in testimonium Matth.24,14. Qvin etiam illud

indicatur, Jehovam esse, qvi det Jerosolymis Evangelizantem Es. 41, 27. qvia ille facit audiri suum verbum. Nemo igitur sibi temerè & propriâ autoritate illam publicè docendi autoritatem sumat Hebr. 5, 1. 4. 5. quod Photiniani licitum esse existimant.

III. Loc. Commun.

UBi sunt illi, qvi dicunt, Deum nolle omnibus suum verbum revelare? Cum tamen id pronunciandum curet usq; ad extremum terræ. Qvod si alicubi jam non prædicetur, cogitemus id non esse ex Dei dantis suum verbum toti mundo intentione, sed hominum ingratitudine extremâ fieri. Qvia enim multi resistunt Act. 7. repellunt à se verbum salutis, Act. 13. Jure Deus id illis eripit, & mittit famen non habendi panis, sed verbi Dei Amos 8. Qvod si Salomonis sapientia ita per totum terrarũ orbem fuit divulgata, ut omnes eam mirarentur, 1. Reg. 4, 34. qvanto magis ipsius sapientiæ Dei verba inclaruerunt per totum terrarum orbem? Col. 1, 23. sed pleriq; non tantum eam non curant, sed etiam, qvos ipsa mittit, ejiciunt aut interficiunt Matth. 23, 34. 37. Luc. 11, 49. Qvum igitur velit libenter in talibus locis suum verbum audiri, ipsiq; obediri, tamen cum homines nolunt Matth. 23, 37. veritate verbi sui eos privat & immittit errores 2. Thess. 2, 10. 11. qvemadmodum, qvando nolebant Hammonitæ honorare à Davide missos consolatores, cogebantur postea ferre devastatores 2. Sam. 10.

IV. Loc. Commun.

PRo diversitate hominũ, (sunt enim vel pertinaces ac securi, vel pœnitentes ac contriti) duplex DICITE ministris verbi est injunctũ: Legale Esa. 58, 1. & Evangelicũ, in hoc & similibus locis Zach. 9. ut ita rectè usurpent clavem ligantem ac solventem Matt. 16, 19. veniant vel cum virga, vel cum caritate & Spiritu lenitatis 1. Cor. 4, 21. prædicent pœnitentiam & remissionem peccatorum Luc. 24, 47. præficiuntur enim ad exstirpandum & plantandum, ad destruendum & ædificandum Jer. 1, 10. Peccant igitur, qvi in notoriis criminibus viventes cernunt, & non dicunt, etiam illi, qvi confractos corde vident, & non dicunt, ECCE AGNUS DEI.

V. Loc. Commun.

IN Ecclesia est salus, non extra eam. Sennacherib omnia loca extra Jerosolymam occupabat, ipsâ potiri non poterat, nec ejus incolas lædere

dere Esa. 36. Diabolus longè lateq; regnat in mundo, cujus etiam hac ratione est qvidam Princeps, Joh. 14, 30. & 16, 11. Eph. 2, 2. Imò Deus 2. Cor. 4, 4. & corda hominum occupat, sed qvi sunt non tantum in, verum etiam de Ecclesia, ab ejus violentia externa tuti sunt, protecti à Christo rege in monte Sionis constituto Psal. 2. Dent igitur operam omnes, ut veniant nomine filiæ, qvæ patri spontaneam præstet obedientiam, *Nam Deus hic Pater est quibus est Ecclesia mater.* Vos autem qui estis adhuc alieni à fœdere Dei Ephes. 2. revertimini ad munitionem Zach. 9, 12.

VI. Loc. Commun:

CIves Jabesch á Nachasch obsessi & ad deditionem sollicitati, ita respondent, si nemo fuerit, qvi servet nos, exibimus ad te, tua jussa facturi; Saule autem promittente auxilium his verbis: cras aderit vobis salus, fortiter mala tolerant & superant 1. Sam. 11. qvonto magis decet pios in Ecclesia, qvando à serpente antiqvo (qvi vocatur נָחָשׁ Gen. 3.) ad desperationem sollicitantur, à Christo postulato illo & desiderato Ecclesiæ suæ Episcopo 1. Pet. 2. & 5. meminerint sibi acclamari per ministros verbi: Nolite spem vestram abjicere Heb. 10, 35. Ecce salus vestra advenit, præsertim qvum incalescit æstus calamitatum. Confer 1. Sam. 11, 9. Luc. 8, 6. Matth. 13, 6. 21. Christus enim Salvator noster plerumq; tum demum præstat suum auxilium divinum, qvando desinit humanum, ut in multis miraculis videre est Matth. 9. in αἱμορροΐσσῃ, filia Jairi, in nuptiis Joh. 2. sic Luc. 7. Joh. 11. Matth. 14. Si igitur moram fecerit, confide, salus tua veniet Hab. 2. Salus autem æterna, & ea, qvæ prosunt ad æternam salutem. Ideoq; ne mireris si non semper exaudiaris ad tuam voluntatem aut voluptatem. Inter remedia nulla tam sunt salutaria, qvam qvæ faciunt dolorem; ita etiam per mala ad reqviem, per mortem ad vitam æternam, per calamitatem ad felicitatem nos perducit animarum nostrarum ille peritus medicus.

VII. Loc. Commun.

SI merces Christi est penes ipsum, promeruit salutem, non autem ut Bernhardus argumentatur, sibi: qvippè qvi ab æterno Deus, Ergo nobis, qvod negant Photiniani, qvi aut nesciunt aut scire nolunt illud mirabile temperamentum justitiæ & misericordiæ divinæ, qvod Christus

promerendo salutem, λύτρον solvendo, nos emendo satisfacerit justitiæ Dei, nobis autem gratis per fidem illud meritum donetur & applicetur. Etsi non tantum merces ipsi adest, verum etiam כְּעֻלָּה Compensatio pro opere & facto, Piscator errat, qvi negat activam Christi obedientiam, ut vulgo vocamus, seu sanctam ejus vitam concurrere ad satisfactionem pro peccatis & nostri justificationem. Hujus igitur Messiæ & Jesu adventus, qvi nobis à se parta dona omnia largitur, est nobis multimodis gratiosus.

SECUNDA PARS.

QVibus Deus maxima vel contulit, vel conferre voluit beneficia, his mutavit, vel ipse imposuit sæpe nomina, ut in Abrahamo Gen.17,5. Sarâ ibid.15. Jacobo, Gen.32,18. Salomone 2.Sam.12,25. 1.Chron.22,9. Simsone Jud.13. Johanne Baptista Luc.1. Johanne & Jacobo Marc.3,17. Isaaco Gen.17,19. & aliàs omnibus masculis in Veteri Testamento in ipsa circumcisione, qvæ erat fœdus Dei, cum ipsis initum Gen.17. nomen indebatur, ut qvoties illud audirent, toties in memoriam beneficiorũ à Deo sibi præstitorum redirent, gratias agerent, ac se non indignos tanta benevolentia ac φιλανθρωπίᾳ gererent. Ita enim Propheta hoc loco futurum spondet, ut postqvam salus seu Salvator Ecclesiæ advenerit eamq; bonis omnigenis ditaverit, novum nomen ipsa accipiat, qvo semper moneatur Dei liberalitatis & libertatis & debitæ gratitudinis. Prophetæ verba hæc sunt, *& vocabunt eos* qvicunq; audierint, qvantus sit rex iste, qvanta bona afferat, *populum sanctitatis* sive sanctissimum (abstractum pro concreto id notat) ac ab omnibus aliis non tantum segregatum; verum etiam sanctitate nova donatum, ut Ecclesia Novi Testamenti succedat in locum & jus: qvin etiam nomen ipsum populi Israelitici maximis miraculis ex Ægypto educti, conf.Exod.19,6.Deut.7,6. 1.Pet.2,9. populum sanctum dicent, inqvam, qvia sanctus sanctorum peculiari & gratioso præsentiæ modo eos dignatur, Pater eos diligit, Filius redimit & Sponsam eligit ac ducit, Spiritus sanctus illuminat ac sanctificat, sanctam etiam vitam ducent, ac gratos se Deo suo præbebunt, qvi eos soluto λύτρῳ pretiosissimo redemit, & ut id ritè fieret cognatione secum iis per incarnationem conjunxit, factus ipsorum verus גֹּאֵל Job.19,15. De cujus officio Ruth.2,20. & 3,9.12. & 4,1.4.7. propinqvitate

qvitate sanguinis illos attingens Heb.2. Unde meritò, qvi salvatorem suum adventantem ritè excipiunt, appellantur גְּאוּלֵי יְהוָה vindicati & *redempti Jehovæ* per precium, (qvemadmodum hoc probatum est Mich.4,10.)& justitiam,non per nudam potentiam, & tu, ô Ecclesia *vocaberis diligenter requisita* דְּרוּשָׁה à דָּרַשׁ inqvisivit diligenter,ut illi qvi scribunt bona & docta commentaria, qvæ Hebræis appellantur: inde מְדֹרָשִׁים & *civitas non derelicta* לֹא נֶעֱזָבָה, Luth. Dich wird man heissen/ du besuchte und unverlassene Stadt.

I. Loc. Commun.

IN sacris literis nomina pleraq; sunt ominosa & rem ipsam satis bene declarant, qvod per inductionem facilè potest probari, saltem ex libro Geneseos, ubi propterea toties adduntur ἔτυμα explicata. Non n. vel à Deo vel hominibus piis induntur temerè ac sine causâ; Sed ut de magnis multisq; rebº utiliter moneant eos,qvibus sunt imposita.Qvod cum ita sit, Christiani veri sibi in sacris attributos titulos diligenter expendant, & ut mensuram tanti nominis impleant, sedulo alloborent. Christus ipse Petrum constanter edentem suam confessionem Matt.16. ad petram veram illam spiritualem &firmissimam (unde nomen habet) ablegat,qvod sibi omnes dictum putent,qvi eo sunt dicti nomine.Cum Johanne baptista gratiosi, & aliis utiles esse studeant, qvi idem nomen usurpant. Et sic de cœteris. Verum hoc est perpetuum, Accedamus cum Propheta ad id, qvod est Novi Testamenti proprium.

II. Loc. Commun.

DIcentur *populus sanctitatis* Ergone in Veteri Testamento non erant sancti? Omnino,verum ipsum sanctũ Luc.1, 35. ex qvo omnis vera sanctificatio, nondum erat in carne præsens,tantum pontifex maximus eum adumbrabat sua cidari & bractea ei imposita, cui in fronte inscriptum,sanctus Jehovæ Exod.28,36. Sed Christus noster pontifex summus Heb.9. est Sanctus sanctorũ Dan.9,24. revera,efficitq; in nobis omnem sanctitatem 1.Cor.1,30. Vnde sancti esse debent ejus cives Levit. 11,44.&19,2. 1.Pet.1,16. & hoc curare,ut sanctificentur adhuc Apoc.22. Et qvia sanctum etiam id dicitur,qvod est ab aliis rebus vulgaribus ac prophanis separatum,meminerint à mundo &mundanis abstinere,qvũ Christo & Belial non benè conveniat 1.Cor.6. 2.Cor.6. Apoc. 18, 4.

III. Loc.

III. Loc. Commun.

SI Christiani sunt גֹּאֲלֵי Christus non tantum est exemplum piæ vitæ, qvod imitemur 1.Pet.2. Sed etiam verus redemptor, qvi dato precio nostram captivitatem dissolvit, qvod negant Photiniani contra clara Scripturæ testimonia, illa scilicet, in qvibus fit λύτρου, ἀπολύτρωσις, τιμῆς mentio, item illa in qvibus extant verba emphatica גָּאַל, ἐξαγοράζειν, qvæ aliunde facilè possunt peti. Moses qvidem per Dei potentiam poterat ex Pharaonis potestate liberare populum Dei, qvia injustè detinebatur ac tyrannicè ab eo, cui nihil debebat: Verum nos non poteramus liberari, nisi satisfieret Dei justitiæ, qvæ ab Adamo erat læsa, nec poterat illud esse falsum: Qvo die ederis, morte morieris, morte non tantum temporali, sed æternâ. Hanc igitur Christus pro nobis subjicit, ut nos redimeret, qvod toties inculcant sacræ literæ, ut mirum sit, in tantâ luce cæcutire talium noctuarum oculos. Pontificii etiam hoc sibi dictum existiment, qvod sint verè justificati, redempti Jehovæ, ille enim solus est justitia nostra Jer.23. nec potest infinitæ Dei justitiæ aliter satisfieri nisi à persona infinita: Qvid igitur illi blasphemè hunc honorem etiam meritis sanctorum tribuunt in indulgentiis aliisq; nugis?

VIII. Loc. Commun.

JEhova non obliviscitur clamoris pauperum afflictorum, ideoq; fiduciam in eo habebunt, qvi noverunt nomen ejus, qvia non derelinqvit qværentes se Jehova Psal. 9, 11. 13. David diligenter inqvirebat, num esset de domo Saulis, cui propter Jonathanem benefaceret. 2.Sam.9,1. Sed Deus longè accuratiùs ac diligentius inqvirit, qvibus propter Christum benefaciat, imo potiùs, qvàm hos deserat, deserere voluit ad tempus ipsum suum filium Psal.22. Heb. 2,7. Cogit hoc omnes afflicti, ut recreentur, omnes tristitiâ affecti, ut lætentur, omnes pii, ut confirmentur, omnes tyranni, ut mutentur. Tu verò Jesu Christe noster Salvator ne nos unqvam desere, sed tibi vindicatos inæternam libertatem tandem asserè. Amen.

AD DOMINICAM II. ADVENTUS,

JOVA JUVA.

Epistola Judæ vers. 14. 15.

Grave

GRave est qvidem & inexspectatum judicium, qvod ex Dei decreto exercetur in Jehoramum & Jesabelem per Jehu à Deo Regem constitutum super Israelem 2. Reg. 9. Nam Regem ipsum sibi obviam procedentem sagittâ conficit, & ipsam adhuc superbam ac securam de summis ædibus deturbat, proculcat & canibus dilacerandam relinqvit. Longè gravius tamen erit, sed sæpius prædictum judicium, qvod verus יֵהוּא qvi Jehova ipse est, Jesus Christus à Deo Patre rex super domum Israelis unctus & constitutus in æternum Ps. 2. & 45. Luc. 1, 33. Mich. 4, 7. Dan. 7, 14. in extremo die tandem exercebit, potissimũ in eos, qvos ipse extulit, sed ipsi sua potentiâ, sapientiâ vel opulentiâ sunt abusi, & qvum qvisq; יְהוֹרָם, talis qvem Jehova exaltavit, esset, in extremum, seu infimum infernum deturbabitur, confer Matth. 11, 23. Nam Jehova jam pridem contra tales arcum suum adduxit, eiq; aptavit arma lethifera, sagittasq; suas in fervidos malitiâ est occupaturus Psal. 7, 13. 14. & iis omnibus, qvi in Ecclesiâ hactenus degerunt, at in Paradiso Dei nullos fructus protulerunt Luc. 13, 6. 7. 8. 9. exscindet, & dicet אִי זֶבֶר non est vobis malis hic amplius habitatio aut locus, sed qvia dilexistis potius malum, qvàm bonum, Deus fortis demoliturus est vos in æternum, abripiet ac avellet vos à tentorio suo, eradicabitq; vos è terra viventium Ps. 52, 2. 5. 7. ac non tantum superbos & securos illusores 2. Pet. 3. projiciet in tartarum, sed etiam canibus stygiis dilaniandos ac cruciandos tradet. Horrendum est hoc, idq; ut tanto diligentius caveatur, prodest, semper in conspectu habere illum severum judicii processum, ut hic dirigamus in pietate nostrum gressum: sonet in auribus nostris (qvod de se dicit Hieronymus) semper illa vox: surgite mortui, venite in judicium, sic enim meminisse gehennæ, inqvit Chrysostomus, non sinet in eam incidere. Age occasione hodierni Evangelii de eo qvædam ex Epistola Judæ vers. 14. 15. audiamus, ut ita cum ipso etiam nostram de hoc articulo Confessionem edamus. Partes sint duæ:

Prior, quis sit futurus Christi adventus ac honor.
Posterior, quis item judicii processus ac malorum horror.

Domine, tu qvotidie per Prophetas & ministros tuos edis in lucem jus tuum: fac illis obediamus & de nostris iniqvitatibus erubescamus, Soph. 3, 5. qvando tu loqveris, advertamus Esa. 1, 2. qvando signa edis, si-

gna & miracula fidei oculis aſpiciamus Luc. 21. noſtraq; dicta ac facta ita inſtituamus, ut in tui nominis gloriam, ac proximi commodū vergant.

PARS PRIMA.

ECcleſia vocatorum, præter alia qvibuscum confretur, modò cum regno cœlorum (putà gratiæ) Matth. 13, 19. 24. & 22, 2. modò cum mari, unde omnis generis piſces extrahuntur Matth. 13, 47. 48. modò cum horto ſeu paradiſo Dei, qvoties homines cum arboribus componuntur. Ad hæc tria ſimilia nos revocat Judas, qvando in proximè præcedentibus verbis malos, improbos & hypocritas vocat maculas (ut enim maculæ corpus, ſic illi Eccleſiæ corpus inqvinant in hoc mundo, donec in altero ſeculo inde prorſus ejiciantur Eph. 5, 27.) & qvidem tales maculas, qvæ in hoc cœlo ſpirituali ſint nubes aqvâ veræ doctrinæ & probatæ vitæ carentes, ventis circumactæ. Confer Eph. 4, 14. Stellæ erraticæ & non ſatis benè lucentes, in hoc ſacro expanſo, qvibus caligo tenebrarum in æternum ſervata eſt verſ. 12. & 13. confer Phil. 2, 14. Matth. 5, 14. qvæq; in hoc ſacro pelago ſint undæ maris efferatæ, deſpumantes ſua ipſorum dedecora verſ. 13. dum omnibus, ut ſpuma in littore, fiunt conſpicua, nec tamen eos pudet, qvæq; in Dei Paradiſo ſunt arbores emarcidæ, infrugiferæ, bis ſeu planè ſpiritualiter emortuæ & jam eradicatæ. Confer Matth. 3, 10. Et hactenus tamen in regno gratiæ inter lucentia ſidera & arbores frugiferas tolerantur, dum tandem à DEO illo hortulano vero Joh. 15, 1. fiat luſtratio & exciſio harum arborum. Hæc eſt occaſio noſtri dicti, in cujus parte priori Chriſti adventus & futurus honor celebratur: Primùm à Prophetiæ vetuſtate, deinde à comitatus majeſtate. Illa continetur iſtis verbis, *de iſtis* qvi ſemper ab initio mundi fuêre in Eccleſia, ut ſtatim Cain, poſteà Bileam, Core, & alii: vide verſ. 11. *etiam prophetavit ſeptimus ab Adamo* homo, ratione ſucceſſivæ generationis, nempe *Enochus*, qvi Gen. 5, 22. 24. ab inſigni pietate admodum commendatur, & proinde majorem fidem hæc ejus prædictio meretur, qvæ per manuum traditionem usq; ad hujus noſtri Apoſtoli tempora fuit conſervata: qvamvis Auguſtinus lib. 15. de Civ. D. c. 23. ſicut & alii exiſtiment, librum ab eo conſcriptum extitiſſe. Videatur Druſius epiſt. 101. 102. Qvid verò prophetavit? præmonuit de futuro extremo judicio, cui omnes olim ſiſtentur, & proinde ne qvid mali in ſe admitterent, hortatus eſt, *dicens Ecce*, ne putes, ô homo

neqvam

neqvam Rom. 2, 4. qvum jam ſtatim non puniaris, fore, ut impunè habeas, vel inultum auferas, ſi qvid mali feceris, ecce mentis oculis jam illum diem vide, & antè conſidera, qvo cum omnia conflagrabunt igne, *Dominus* Jeſus (explemus hoc ex v. 14.) *cum ſanctis millibus ſuis* (qvi ipſi aſtant eiq; miniſtrant Dan. 7, 10.) *venit*. Hebræorum & Prophetarum more præteritum pro certiſſimè futuro ponitur, & hoc loco ob ſubjectam materiam certo reſpectu accipitur, nimirum ad judicium extremum, qvod facilè ex Matth. 25, 31. 1. Theſſ. 4, 16. aliisq; ſimilibus locis poteſt probari.

I. Loc. Commun.

QVemadmodum in Arca Noachi olim erant munda pariter & immunda animalia Gen. 7. & cum Iſraelitis ex Ægypto educebatur etiam turba miſcellanea Exod. 12, 38. qvæ poſtea eo redire cupiebat Num. 11, 4. ita etiam in Eccleſia vocatorum ſemper ſunt boni & mali. Unde comparatur ovili, in qvo oves & hirci Joh. 10. magnæ domui, in qvâ vaſa aurea & teſtacea, alia in honorem, alia ad dedecus 1. Tim. 3, 15. 2. Tim. 2, 20. agro proferenti triticum & zizania Matth. 13. nuptiis, qvas benè & malè veſtiti accedunt Matth. 22, 10. 12. vineæ frugeferas & ſteriles vites ferenti Eſa. 5. Jer. 2. Matth. 20. Non igitur eſt, qvod miremur hodiè tot eſſe malos in Eccleſia, qvia ſemper id obſervare licuit. Unde rectè Bernhardus: Tria ſunt loca præcipua: cœlum, infernus, & terra, & habent ſingula ſuos incolas, cœlum ſolos bonos, infernus ſolos malos, terra mixtos. Id docet hujus dicti occaſio, ut autem qvisq; curet eſſe inter bonos, id monetur.

II. Loc. Commun.

NAmDeum velle illos ſalvari, inde liqvet, qvod ſemper per Prophetas eos de malo impendente moneat. Utiq; non faceret, ſi cuperet eos imparatos offendere, atq; inter oſcitantes opprimere. De iſtis, inqvit Apoſtolus noſter, malis hactenus deſcriptis, prophetavit. Vide, tanta eſt DEI cura, etiam pro ſua degenere creatura! Et ſi generoſitatem naturæ etiam inde probant Phyſici: *qvod faciles motus mens generoſa capit* & ἀγαθοὶ ὑπὸ δάκρυες ἄνδρες, ac David laudatur, qvod Saulis & Jonathanis, illius inimici, hujus autem fratris etiam longè acerbius qvàm ſui filii Abſolonis triſtiſſimum interitum defleverit, qvid tandem dignum

Christo vel mente concipere vel linguâ proferre possumus, qvi impendens suis inimicis malum largis lacrymis prosequitur Luc. 19. nimirum has non perpendunt, qvi effutire non erubescunt, DEUM velle multorum hominum æternam mortem absoluto qvodam decreto. Judæi qvando Christum in funere Lazari flere videbant Joh. 11, 35. inferebant rectissimè, Ecce qvomodo dilexit eum! vers. 36. nos ad eundem modum colligamus, ecce de talibus planetis omnia hinc inde turbantibus, sua autem non curantibus, de nubibus istis tempestates tantùm creantibus, de undis illis efferatis & pleraq; in mundo ceu Cataclysmo obruentibus, de istis arboribus infrugiferis prædicendum curavit DEUS fore, ut dignum suis factis oppetant exitium, si non in melius referant animi sui propositum. Qvomodo igitur dilexit eos?

III. Loc. Commun.

PRophetavit autem non tantum septimus homo ab Adam, Enochus; (unde nonnulli conjecturam hanc faciunt, qvod qvemadmodum ille fuerit in cœlum sublatus, sic etiam futurum sit, ut sex diebus magnis mundi absolutis, septimo millenario in cœlum transferantur pii, qvod in medio relinqvo, cum de futuris contingentibus non sit determinata apud nos veritas,) sed etiam omnium reliqvorum Prophetarum ac Apostolorum conciones huc spectant, præcipuè autem Christus, ille secundus Adam & verus ille חֲנֻכָּה seu Novi Testamenti πλειωθεὶς initiatus Heb. 5, 9. per qvem vera est πλείωσις initiatio ac dedicatio ad sanctimoniam (חֲנֻכָּה enim initiare ac dedicare denotat) Heb. 7, 10. 12. cap. hoc prædixit nempè Matth. 24. Marc. 13. Luc. 21. Is qvi in cœlos assumtus Act. 1. in gloria 1. Tim. 3, 16. qvi pro nobis cœlos penetravit Heb. 4, 14. excelsior cœlis factus Heb. 7, 26. ut nos inde eum rediturum expectantes Phil. 3, 20. ad se tandem pertrahat Joh. 17. Hunc igitur magnum Prophetam Deut. 18. audiamus ad Patris speciale mandatum Matth. 17, 5. Nam si qvis eum non audierit prophetantem, illum tandem audire cogetur condemnantem Act. 3, 23. Matth. 25, 41. Qva propter hoc semper nobis in memoriam revocemus. De malorum interitu prophetavit noster Enochus, Christus Jesus, ergo illum caveamus malis factis promereri, huic autem studeamus adhærere. Si autem tam vetusta est illa de extremo judicio prophetia, & semper in Ecclesia repetita; erit verissima, præsertim cum tanta hic nos circumstet testium nubes Heb. 12, 1.

IV. Loc.

IV. Loc. Commun.

REctè dictum est: *Quid fis, quid fueris, quid eris, semper meditèris.* O homo fuisti gutta qvondam fætida, nunc es nihil, bulla, umbra, spuma evanida, post vermium esca & præda fis Acherontica, si vita prava: Si proba est, cœli incola. Ergo his duabus viis propositis semper tibi obversetur illud: Ecce Dominus venit, in rebus adversis ne desperes, in secundis ne luxuries: Si malı qvid acturus es, ut abstineas, qvia sequitur pœna, si boni qvid egisti, ut gaudeas, qvia restant præmia. Qvod si venit tuus Dominus, tu jam es ejus servus, vide ut paratus sis, qvando venerit ad te, sive ut in terram condaris & moriaris, sive ut ex ea producaris & rursus exoriaris. Confer Luc. 12, 40. 42.

V. Loc. Commun.

MAgna Salomonis majestas 1. Reg. 4. ex famulitio qvoq; describitur amplissimo. At hic longè major Salomone, cui serviunt multa millia non tantum; sed etiam sancta & potentia, qvorum unus legatus potest totum conficere exercitum, 2. Reg. 19. ille comitatus nos monet qvoq; ut imitentur sanctitatem & pietatem Matth. 6, 10. studeamus autem effugere eorum potestatem, confer Matth. 13, 39. 41. 49. 50.

VI. Loc. Commun.

PRobatur hinc DEI omniscientia, qvi per suos Prophetas tam certò futura prædixit, ac si jam essent facta, & qvia omnia per Prophetas de Christi nativitate, passione, morte, resurrectione, & in cœlos ascensione sunt completa, etiam illa, qvæ de ejus ad judicium extremum reditu sunt antè prædicta, certissimè expletum iri credamus, ac pii inde nostram fidem stabiliamus Luc. 21, 28.

SECUNDA PARS.

QVando Achan contra Josuæ, imò Jehovæ mandatum Jos. 6, 17. 18. ex anathemate aliqvid furtim surripuerat, Josua prius diligenter rem inqvirit, deinde judicium severè exsequitur cap. 7. Est qvidem hoc horrendum, at longè horribilius erit malis illud judicium, qvod Jesus noster, qvi major est Josuâ, eo qvod suos in æternam introducet requiem Heb. 3. & 4. exercebit contra omnes, qvi placitis qvidem seu vetitis non potuerant abstinuisse malis; illos enim, postqvam celerrimè omnia inqvisivit, imo pro sua omiscientia tantùm in illo momento

revelaverit, qvæ antea clam fore sperabant improbi, in ignem & mortē æternam convictos scelerum conjiciet. Hoc porro nunc explicatur à nostro Apostolo, ubi ἀνθρωποπαθῶς habetur causæ cognitio, & scelerum, qvorum sunt convicti, redargutio, seu peccatorum investigatio, & sententiæ latio. Venturus enim est in extremo die cum tanta Majestate, ut *faciat judicium adversus omnes* κατὰ πάντων, qvod vel intelligendum restrictè de omnibus improbis, siqvidem credentes in judicium ire non venient Joh. 3, 18. & 5, 24. vel qvod in conspectu omnium hoc judicium sit futurum q. d. caram omnibus, vel deniq; super omnes, qvod malim ob constructionem cum Luthero vertente, über alle! qvando judicium non pro condemnatione, sed judicandi actu sumitur, *& ut redarguat.* (Græcè ἐμφατικωτέρως ἐξελέγξαι, planè ita convincat, ut nullus locus amplius sit exceptioni vel excusationi) *omnes impios eorum* seu ex iis, judicio qvi sistuntur, qvi DEUM non coluerunt, neq; ejus mandata observarunt, qvi rectè dicuntur ἀσεβεῖς Eccl. 12, 15. qvorum autem pœnas exiget? & factorum & dictorum, de *omnibus factis* impietatis seu impiis (ita enim hebræi adjectivum, qvo plerumq; carent per posterius substantivum circumloqvuntur Buxtorf. th. l. 2. cap. 3. pag. 329.) *quæ impie patrarunt*; qvod verbum etiam ad Emphasin & peculiari qvidem constructione Atticâ adjicitur πᾶν ἔργων ἀσεβείας ὧν ἠσέβησαν, & de *omnibus duris, qua locuti sunt contra ipsum* blasphemando, sacra contemnendo, *peccatores impii.*

I. Loc Commun.

POtest hîc primum dici de qvadruplici Christi adventu, incarnationis, humiliationis, sanctificationis & glorificationis, de qvo ultimo hîc agit Judas, qvod ex aliis facilè potest suppleri. Nos hîc notemus breviter contra illusores 2. Pet. 3. qvod qvemadmodum illa, qvæ de adventu incarnationis Gen. 3, 49. Esa. 7. & 9. de adventu humiliationis Zach. 9. sunt prædicta, etiam tandem sunt verissimè completa, ita etiam futurum sit, ut qvæ de adventu ad judicium extremum sunt antè scripta, in actum deducantur. Confer Dan. 7. & 12. Eccl. 12, 16. Act. 17, 31. Rom. 2, 5. & 14, 10. 1. Cor. 4, 5. 2. Cor. 5, 10. 2. Thess. 1, 5. Facit hoc ad instructionem malorum, ut terreantur; & consolationem bonorum, ut erigantur, in qvam sententiam Augustinus in Psal. 119. scribit, qvemadmodum

modum ante Christi incarnationem omnia vota piorum in primum Christi adventum respiciebant, ita nunc par est, ut respiciant in secundum Luc.21,28. Rom.8,23. Tit.2,13.

II. Loc Commun.

SIt igitur in conspectu piis afflictis illud Davidis: Commenda Domino viam tuam, & ipse faciet, si non prius, certè in extremo judicio, qvando erit dies χατασάσεως πάντων, de qvo locutus est DEus per os omnium sanctorum Prophetarum Act.3,21. tum enim DEus faciet judicium, seu κρίσιν, qvâ discernet & separabit verè bonos à malis, qvi in hac vita erant mixti Matth. 25.

III. Loc. Commun.

IN hac vitâ multa possunt negari, multa palliari, vel saltem excusari, qvæ verè pœnam merebantur: non item in judicio extremo. Ibi enim DEus ἐξελέγχει ita redarguet ac probabit singula malis imputata flagitia, ut nihil qvicqvam, qvod reponant, habeant. Ita ille carens veste nuptiali saltem rogatus, sed in conscientiâ convictus statim obmutuit Matth.22. qvod illis potissimùm inculcandum, qvi in his terris recta prava, & contrà mala bona faciunt. Si enim Noachus ante diluvium, munda qvæ essent vel immunda animalia, sciebat ex DEI revelatione, qvanto magis Christus omniscius & καρδιογνώστης, qvi verè est unicus Novi Testamenti Pontifex maximus, qvi potest judicare munda & immunda.

IV. Loc. Comman.

ILla autem qvæ sint, ex singulis decalogi præceptis possunt facilè enumerari; nempè immundi sunt & extra novam Jerosolymam ejiciendi Apoc. 21, 27. omnes idololatræ, blasphemi, homicidæ, scortatores, adulteri &c. Hæc enim flagitia qvi faciunt, & in iis perseverant, hæreditatem regni DEI non consequuntur Gal. 5, 21. Hæc sunt impia facta, qvæ DEus odit, nempè qvibus non colitur. Et sine dubio idcirco hoc loco toties idem repetitur, ut ostendatur maximè illos esse reos hujus judicii, qvi sæpè idem flagitium & sine ulla pœnitentia committunt, atqs in habitum qvendam committuntur.

V. Loc. Commun.

SI crimen læsæ Majestatis committitur, qvando aliqvid mali de Cæsare,

sare, Rege, Principe dicitur: qvantò magis DEUS puniet eos, qvi os suum opponunt cœlis, ut loqvitur Psaltes Ps.73, 9. Nimirum alloqvetur eos in ira sua, & in æstu iræ suæ perturbabit eos Ps.2,5. Nos autem præveniamus hoc judicium verâ pœnitentiâ, ut ita fruamur tandem hujus judicis benevolentiâ. Sic futurum est, ut luceamus olim in regno cœlorum ut Sol & Stellæ Matth.13,43. 1.Cor.15,41. & transplantemur in Paradisum DEI, ibiqs floreamus in æternum Ps.92,14.15.16. Amen.

AD DOMINICAM III. ADVENTUS,

JOVA JUVA.

Tit 1, 7 8.9.

QVod Levit. 2,13. de sale sacrificiis omnibus adhibendo dicitur typicè atqs in genere, id in N.Test. rectè accomodatur in specie ministris verbi Matth.5,13. & anagogicè de omnibus Christianis explicatur Marc.9,49.50. Luc.14,35. Illi enim sunt sal terræ, qvia illorum ministerio Spiritus sanctus omnem corruptionem prohibet in iis, qvi salem Doctrinæ aspersum recipiunt: hi vero salem fidei & conseqventer etiam pacis ac aliorum bonorum in se habent, atqs ita ex fide illorum bona opera effecta DEO placent. Si autem sal iste terræ ministri verbi fuerint ipsi fatui, cum in Doctrinâ hæretici, tum in vitâ pravi, qvo salietur? qvis erit qvi rectè alios instruat? Talis boni autem & fidelis œconomi DEI exemplar optimum fuit Johannes Baptista, qvi corruptos ex securitate qvosdam Pharisæos, scribas, publicanos, milites Luc.3. sale minarum legalium perfricuit, qvosdam desperatione ferè absumptos sale evangelicarum promissionum salubriter aspersit, & talem vult esse omnem verbi ministrum Apostolus in illa satis egregiâ hujus institutione Tit. 1, 7.8.9. Partes constituemus ejus duas:

Prior erit brevis & generalis propositio.

Posterior uberior & specialis expositio.

Jesu Christe AGNE DEI immaculate prorsus 1.Pet.1,19. Joh.1,29. Da tuis ministris vivere vitam inculpatam, ut ipsorum ope nos reliqvi in Doctrina vera erudiamur, de falsa moneamur, ad mores bonos instruamur, & à malis abstrahamur, siqvidem tu verè es ignis ac lux illa, qvâ oportet omne sacrificium DEO gratum, qvod per nos offertur, saliri Marc.9,49.

PARS

SI omnes Christiani in militia sua jubentur clypeum fidei & gladium spiritus seu verbum DEI sibi parare, ut possint in pugna subsistere, ac omnia rectè conficere, Eph. 6, 16, 17. qvantò magis hoc reqviritur in typis gregis? 1. Tim. 4, 12. & ipsis Ducibus hujus sacri exercitus? Heb. 13, 17. Id igitur qvàm maximè inculcat Apostolus suo Timotheo ac Tito, & sub eorum personâ omnibus. *Decet*, inqvit Paulus, δεῖ oportet eum, qvum sit factus ex promisso, qvod fecit DEO & Ecclesiæ peculiariter, debitor, qvod notat Syrus in sua versione (חַיָּבהוּ) Decet autem *Episcopum* qvod verbum ex Scripturæ usu notat omnem, qvi Ecclesiæ docendæ ac regendæ est præfectus, qviq; esse debet Ecclesiæ inspector, vigil, seu excubitor spiritualis, qvomodo idem in V. T. צוֹפֶה רוֹאֶה 1. Sam. 9, 9. Ezech. 3, 2. vocatur, indicaturq;, qvàm arduum in sacra Domini militia sustineat officium, qva de re in dicto Heb. 13, 17. Nunc confer saltem hæc loca N. T. Act. 20, 17. 28, 31. 1. Tim. 3, 2. & v. 5. hujus capitis: & videbis in sacris eundem esse ἐπίσκοπον & πρεσβύτερον, ut sanè frustra sint Pontificii, qvi in his suæ malæ causæ qværunt aliqvid præsidii, videatur Bellarm. lib. de Clericis cap. 14. Chemnitius p. 3. exam. Concil. Trid. Talem ministrum verbi, qvi observat diligenter profectum auditorum in fide & bonis moribus, oportet esse ἀνέγκλητον, talem qvi ob latam culpam in jus vocari neqveat (notum enim est qvod ἐγκαλέω significet in jus voco, seu publicè accuso: inspiciantur loca, Act. 19, 38. 40. & 23, 28. 29. & 25, 16. & 26, 2. Rom. 8, 33.) qvalem 1. Tim. 3, 2. appellat ἀνεπίλημπτον, id est, eum, qvem in judicio non possis convincere, aut ita fortiter comprehendere, ut evadere non possit. Non præcipit, (qvod esset ἐκ τῶν ἀδυνάτων,) ut sit ἀναμάρτητος, sufficit, ut sit integer vitæ scelerisq; purus, ita ut ob facinus aut scelus in judicium non possit vocari. Ratio hujus rei hæc redditur, ὡς θεοῦ οἰκονόμον tanqvam DEI Domui præfectum ac dispensatorem mysteriorum decet 1. Cor. 4, 1. qvo de dicto alibi prolixius & simul de vocis compositæ emphasi.

I. Loc. Commun.

SI qvondam mandabat Dominus Mosi ad se accessuro Exod. 3. Josuæ

verbum DEI audituro Jos.5,13. ut calceos exuerent, qvantò magis decet eos, qvi se parant, ut jugiter stent in conspectu Domini, ejusq; voluntatem rectè explorent, aliisq; porro instillent, puros esse, qvantum fieri potest, à pravis affectibus, & ut incedant in viis Domini ad exemplum Zachariæ Luc. 1, 6. & si filio prodigo jam recepto in gratiam veteres calcei jam prorsus erant exuendi & induendi novi Luc.15. qvantò magis oportet hos DEI viros à reliqvâ turbâ segregatos exuere veterem hominem, & induere novum, Eph. 4. ut ritè fiant typus fidelium. Decet autem hoc (1) Ob DEI mandatum, qvi vult, ut, qvi volunt ad ipsum accedere, sint sancti, confer Lev.10. & 19. (2) Ob munus adeò sacratum in veteri lege cogebantur Sacerdotes abstinere à contactu mortuorum, semper verò & in N. T. à mortuis operibus Heb.9. (3) Ob exemplum Prophetarum & Apostolorum probatum, vide Eliam, Jeremiam, Paulum. (4) Ob malorum ministrorum verbi factum damnatum, Jer. 23,1. Ezech.34,2. Zach.11,16.17. 1.Pet.5,1.2.3.

II. Loc. Commun.

IPsum nomen Episcopi notat & hujus muneris dignitatem, & in eo reqvisitam sedulitatem: Dignitatis enim est, aliis præesse 1. Tim. 5, 17. fidem confirmare, vitam informare, DEI Συνέργον esse 1.Cor.3. Salvare 1.Tim.4,16. esse DEI legatos 2.Cor.5. Lucem mundi Matth.5. Sedulitas reqvisita denotatur appellatione doctorum Eph. 4. ministrorum DEI Tit.1. Pastorum Eph. 4. speculatorum Ezech. 33, 7. Esa. 56, 10. His potest adjungi gravitas & authoritas Tit.2,7.15.

III. Loc. Commun.

SI minister verbi tam inculpatam vitam debet ducere, ut nullum ob scelus in judicium jure possit vocari, qvid fiet nonnullis, qvi multorum scelerum rectè rei possunt peragi? In lege à sacerdotio rejiciebatur, in qvo erat enorme corporis vitium Lev. 21, 17. qvantò rectiùs, in qvo grande flagitium? Præclarà contrà sustentantur illi conscientiâ, qvi sibi sunt conscii, se nihil in se admisisse, ob qvod rectè possint publicè accusari, non absimiles Paulo, qvi modis omnibus conscientiam bonam exhibuit DEO in iis, qvæ gessit Actor.23, 1. ut verò David Saulem facile poterat comprehendere, qvando erat speluncam ingressus, 1. Sam.24. vel qvando cubabat inter impedimenta exercitus 1. Sam. 26.

Ita

Ita Christus verus illa David habet, qvod in suis postulatis Episcopis seu rite electis ministris reprehendat, qvando rebus terrenis se immergunt per neqvitiam heluando, scortando, superbiendo, vel commissa officia non expediunt per negligentiam, ut muti canes Es. 56, 10. 11. vel qvi tantum docent ob lucrum Ezech. 13. Aliàs vero qvando faciunt officium, & à plerisq; malis nimirum propterea accusantur, ne curent tam vana malorum judicia, qvi neq; jus sciunt, neq; curant, sed alacriter pergant, DEO suo tantùm se probantes more & modo Eliæ, Johannis baptistæ, Christi 1. Cor. 4, 3. 4.

IV. Loc. Comman.

AD hanc vitæ integritatem summo studio servandam excitare eum debet 1. Officii demandati excellentia, qvod sit DEI œconomus seu gratiæ variæ dispensator 1. Pet. 4, 10. 11. Ecclesiæq; rector Heb. 13, 17. 2. Premii sperati præstantia, qvod sit futurus tandem in regno cœlorum palatinus elector Dan. 12, 3. Præterea 3. eodem nomine jam flagitatur ab iis summa diligentia. Si enim Eliezer filius discursationis domus Abrahæ cogebatur varias subire foris & domi molestias Gen. 15, 2. 3. & 24, 1. ut mensuram nominis impleret, collectamq; apud Dominum gratiam non effunderet, qvantò magis oportet in hoc incumbere DEI œconomos ac Diaconos, prout Paulus explicat 2. Cor. 6, 3. 4. 5. Et 4. iisdem, ut à domesticis œconomo, ita ab auditoribus debetur reverentia 1. Tim. 5, 17. vide qvis DEI legato Mosi ab Israelitis sit exhibitus honor: Exod. 4. v. ult. & imitare. Vide qvæ legatis Davidis inusta ignominiæ nota, & qvæ hanc seqvuta sit pœna, ac disce cavere 2. Sam. 10. Et hæc in genere.

PARS POSTERIOR.

NUnc porro in specie qvæ fugienda in moribus, nempe qvinq; vitia versu hoc eodem 7. & qvæ in iisdem seqvenda, nempe sex virtutes v. 8. qvæq; in doctrina observanda v. 9. prius n. ἀποφαλικῶς deinde καθαφαλικῶς Titum instruit Apostolus, juxta illud Davidis Psal. 34, 15. qvod & suum fecit Esaias c. 1, 16. 17. & Petrus 1. Epistola 3, 11. recede à malo & fac bonum. Ut enim hortulanorum prima cura est Zizania evellere, & deinde herbas salubres serere: ita etiam ex agro cordis humani sunt prius evellendæ ac eradicandæ vitiorum fibræ, qvàm pos-

sint ibi virtutum semina radices agere. Et ut Jehosuæ sacecdoti maximo prius vestes sordidæ exuuntur, qvàm mundæ induantur Zach.3. ita etiam Apostolus hic à ministro verbi prius removet mala cavenda, deinde proponit bona seqvenda. Inter mala *primum* est, ne sit αὐθάδης talis qvi sibi nimium placeat, aut sua instar Thrasonis nimis extollat, aut suas laudes velut canat seu ebuccinet. Cùm enim hoc maximè ipsi sit spectandum, ut Domino suo Ecclesiæq; placeat, cui præest, qvomodo hoc sine sui domini contemptu aget, ut sibi potius placeat ipsi? & si qvis est talis, ei adest qvoqve morum asperitas & cum aliis bene congruendi seu vivendi difficultas. *Secundus* hujus vestis, dedecentis præconem verbi, panniculus est iracundia, prohibeturq; ne sit ὀργίλος, irasci celer, ad iracundiam pronus, similis illis Apostolis, qvi Samaritanis recipere Dominum recusantibꝰ ignem volebant statim immittere Luc.9,54.55. *Tertiò* dehonestat verbi præconem ebrietas, vetaturq; ne sit πάροινος, qvi semper vino assideat, vel ut habet Syrus interpres, transiens ad vinum, **der dem Truncke nachgehet/ und die Zechen besuchet.** *Quartò* qvia ex vini ingurgitatione seqvitur ἀσωτία Eph.5. adjicitur, ne sit πλήκτης percussor, non tantùm, ne manu alios verberet, qvod etiam in alio vulgari homine non toleratur, sed etiam ne asperioribꝰ verbis, ubi lenioribus aliqvid potest proficì, utatur: Priori respectu Syrus interpres vertit, cujus manus non sit præceps ad percutiendum: Posteriorem patres seqvuntur pleriq;. *Quintò* denique qvia illi ordini, ut vulgò fertur, sæpè etiam experientiâ comprobatur, non-nunqvam conjunctus est nimius amor habendi, subnectitur, ne sit αἰσχροκερδής turpis lucri cupidus, qvod fit vel per se, qvando tantùm lucrum spectat in omnibus officii partibus, vel per accidens, qvando vult comportare divitias ex iis artibus, qvę ipsum non decent, ut mercaturam exercendo, cauponas aperiendo &c. Hæc enim in se honesta, ob confusionem ordinum Ecclesiastici & œconomici ministro verbi sunt inhonesta, & ex iis insatiabilis illius habendi cupiditas ac in DEUM diffidentia satis apparet. Non prohibetur autem, ne suis prospiciat verbi minister de victu & amictu, aut etiam aliqvid compareat, sed tantùm à turpi lucro jubetur esse alienus, confer 1. Tim. 5, 8. & 3, 5. & non omitte, qvod Lutherus elegantissimè vertat, **nicht unehrliche Hand-**

Handthierung treiben/ sicut & duo præcedentia idem bene vertit, nicht ein Weinsäuffer/ nicht ein Pocher. Hactenus vidimus vitia qvæ fugiat verbi præco: Virtutes vero qvibus idem studeat recensentur sex: *Prima* est hospitalitas, seu, ut sit φιλόξενος, in peregrinos benevolus, pro virili beneficus, atq; erga omnes comis atq; affabilis, imitatus hic Patriarcham Abrahamum Gen. 18. & Lotum Gen. 19. Heb. 13, 2.. Et hæc Virtus primo loco ponitur: qvia ratione illius temporis erat maximè necessaria, ubi Christiani sedibus suis pulsi cogebantur apud alios ignotos hactenus diverti, qvi se difficiles sæpe præbebant, qvando suos Doctores non prælucere videbant. *Secunda* Virtus est ut sit φιλάγαθος amans bonorum tam hominum qvam rerum, toleret qvidem malos, amet verò qvàm maximè bonos ac honestos, & illa, qvæ decent tam sanctum munus, tantùm expetat & seqvatur. Syrus huc respexit, qvando vertit, si intimè ac velut ex visceribus amans bona, Lutherus ipsum exercitium hujus virtutis denotat, Er sey gütig. *Tertiò* sit ζώφρων, sobrius corpore & animo, hoc est, temperans ac circumspectus, qvasi ζώζων τὴν φρένησιν, ut Aristoteles 3. Ethic. derivat, & Lutherus noster id indicat in margine ita scribens züchtig/ vernünfftig/ mässig. Conferantur congnata vocabula 1. Pet. 4, 7. Act. 26, 25. 1. Timoth. 2, 9. 15. Unde non ineptè Beza scribit, notari hoc vocabulo circumspectum sani judicii & singulare moderationis in victu, sermone, & gestu exemplar. *Quarto* sit δίκαιος, unicuiq; suum tribuens tam in justitia commutativa, qvam distributiva, tam in præmiis, qvam pœnis, seu promissionibus & minis legalibus rectè denunciandis ipse in se integer tribuens DEO & sibi, qvæ decet, tùm etiam erga proximum seu alios justus, confer Tit. 2, 12. qvæ tria hic etiam tribus ultimis virtutibus indicantur, nempe justitia cum proximo, sanctitas cum DEO, castitas secum agit. *Quintò* igitur præcipitur, ut sit ὅσιος, sanctus, qvum enim sine sanctimonia DEUM nemo olim sit visurus Heb. 12, 14. Nemo etiam in hac vita ad DEI colloqvium admittetur, qvi non fuerit sanctus, confer umbram qvandam Exod. 19. Ubi non poterant legem audire priusqvam se sanctificassent. *Sextò* denique sit ἐγκρατὴς seu continens, omnes affectus suos in gyrum rationis ducens & continens, ne prædominentur. Talis qvum debeat esse vita, qvænam sunt in Doctrinâ

obſervanda? Tria in genere proponuntur in verſu 9. qvorum *Primum* eſt, ut miniſtri verbi firmiter ex toto corde, qvam fidem aliis inſüllare ſatagunt, amplectantur, ac velut unguibus teneant, nec ullâ ratione ſeu hæreticorum blandiloqventiâ, ſeu tyrannorum violentiâ ſe inde abduci patiantur: qvod ut fiat, oportet probè eos tenere ac ſcire fidei Chriſtianæ capita & fundamenta, ut norint, qvid & cui crediderint cum Apoſtolo 2. Tim. 1, 12. id innuit emphaſis verbi Græci ἀντέχεσθαι Matth. 6, 24. 1. Theſſ. 5, 14. *Deinde* qvalis eſſe debeat Doctrina, cui ipſi adhæreant & qvam auditoribus inculcent, ſubjicitur: nempe, in ſe ſpectata eſt διδαχὴ πιστὸς λόγος Doctrina ſermonis fide digniſſimi, cui fidem meritò qvis habeat vide 1. Tim. 1, 15. alibi explicatú ut μάρτυς πιστὸς vocatur, Apoc. 1, 5. & 2, 13. qvemadmodum hebræi doctrinam לֶקַח à לָקַח, id eſt, accepit, appellant, eo qvod merito ſuſcipi debet ab homine: Ratione vero uſus & fructus nominatur διδασκαλία ὑγιαίνουσα, Doctrina ſana, qvæ ſanos in fide efficit, infra v. 13. & 2, 2. Dum pro varietate & ratione morborum applicantur remedia ex Scripturæ Paradiſo ſeu divite apothecâ, ſiqvidem fidelem verbi miniſtrum oportet fieri omnibus omnia, ut lucrifaciat multos Chriſto 1. Cor. 9, 22. Idem *tertio* hic declaratur diverſitate auditorum, qvorum ſalutem Paſtor animarum qværit diverſimodè, qvum ipſi ſint contrariis modis affecti. Dociles ergo debet confirmare ſeu παρακαλεῖν & ut porrò pergant, incitare; contrà indociles ac contradicentes debet refutare ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν, ita redarguere, ut qvid reponant jure non habeant, unde v. 11. vocat id ipſum Apoſtolus ἐπιστομίζειν qvod deceat illis os obthurare.

I. Loc. Commun.

JOſuæ 10. qvando terram ſanctam erat occupaturus Joſua qvinqve Reges veniebant expugnatum Gibeonem, ſed Joſua aſcendens nocte Gilgale, dum Sol ſubſiſtit & Luna ipſius precibus, fudit eorum copias, ipſos vero reges ſe abdentes in ſpelunca ſuſpendit. Sic qvando in cœlum nos ducit Jeſus noſter, ejusqve miniſtri huc præeunt, qvinqve vitia non infimi ordinis, ceu qvinqve Reges obſiſtunt, & multum moleſtiæ creant Gibeoni ſacro, ſeu monti Domini, ſeu Eccleſiæ; imò multos duces proſternunt: Joſua verò noſter ſeu Chriſtus aſcendens

in

in hujus mundi ac humani pectoris nocte seu caligine, dum nondum illud lætum mane extremi diei oritur Ps. 49,15. Idq; Gilgale, ubi facta est circumcisio cordis carnei, & jam ipse Sol justitiæ Christus suâ gratiâ subsistit, ac Ecclesia, qvæ Lunæ comparatur, durat, vitia illa qvinque à ministris verbi abigit, & dum non ita deinceps exterius audent apparere, de die in diem mortificat ac occidit, facitq; ut interfecto veteri homine oriatur novus. *Primus* verò Rex, qvi imperabat antea malo, & jam dejectus esse debet in converso ac bono, est φιλαυτία seu αὐθάδεια, vitium ex ipsis primis parentibus in omnes traductum, juxta illud, eritis sicut Dii Gen. 3. contrà, ut bonus miles hoc agit, qvo se suaq; probet suo Imperatori; servus hoc spectat, suo hero ut placeat, ita etiam fidelis verbi minister hoc unicè intendet, ut Christo suo Archiepiscopo sit probatus; & suis auditoribus in licitis ac honestis fiet omnia, ut qvosdam lucri faciat, non sua qværens, sed ea, qvæ sunt Ecclesiæ. *Secundus* Rex malus imperium qvandoq; in ministros verbi malè obtinens est iracundia, qvæ non facit qvod justum est coram DEO Jacob. 1,20. ideoq; ut Christus est mitis Matth. 11. ut Moses fuit valde mansuetus Num. 12, 3. Ita etiam fidelis verbi præco sit mitis ac mansuetus monente Apostolo 2. Timoth. 2, 24. 25. cogitantes qvod qvidem DEUM præcedat ignis, terræ motus, ventus vehemens 1. Reg. 19. Sed DEUS ipse sit in voce silentio tenui, hoc est, minas legales esse proponendas, ut conterantur saxea corda, sed erigenda esse iterum contrita Evangelii promissionibus. *Tertius* Rex qvi Imperium & Regnum sibi sæpè arrogat est ebrietas, seu potandi & heluandi studium, qvod innuit Græcum vocabulum, πάροινον, qvi semper vino adhæret, imò immersus jacet, à qvo qvid boni speres aut exspectes? Docere alios sobrietatem non potest, qvàm ipse non curat: orare non potest, qvum mens ebria non sit idonea, qvæ fundat preces DEO gratas Luc. 21, 34. 1. Pet. 4, 7. Celebrantur Rechabitæ, qvod parentis sui præceptum de non bibendo vino observarint constanter Jer. 35. & minister verbi non curabit tam multas sui patris cœlestis de cavenda crapula admonitiones? *Quarto* si novimus Jacobum adeo detestari factum crudele suorum filiorum Simeon & Levi occidentium Sichemitas ex Zelo non prorsus malo Gen. 49,5.6.7. Qvantò magis DEUS illos reprobabit verbi ministros, qvi manu magis prompti, qvàm lingua.

Ex

Ex V.T. lege ibant qvidam Sacerdotes ac Levitæ simul in prælium, sed non gerebant arma bellica, verum buccinas & arcam Domini portabant: ita verbi ministri exclament voce, & extollant eam ut buccinam Es. 58. Non autem ad verbera deveniant, cogitantes Petro esse injunctum, ut recondat gladium in vaginam, Matth. 26, 52. *Quintus* rex occidendus à Josua nostro, est habendi cupiditas & auri sacra fames, inde enim varii doli, πλυπραγμοσύνη, negligentia in officio oriuntur, eumq; ut ducem sequuntur. Tales autem sub hoc vitio seu rege stipendia facientes sibi proponant exemplum Gehasi 2. Reg. 5. & sibi dictum putent, qvod Petrus severè instincto Spiritus sancti edicebat Actor. 8, 20. Argentum tuum tecum abeat in malam rem. Sed ô Jesu Christe hæc qvinq; vulnera, & vicissim illis virtutes sanctas per Spiritum tuum sanctum inspira.

II. Loc. Commun.

LEa non infœcunda gratulans sibi Gen. 30, 20. ita exclamat, donavit me DEus donatione bonâ, nunc cohabitabit vir meus mecum, qvia peperi ei sex filios: ita etiam potest dicere verbi præco non infœcundus aut sterilis in bonis operibus proferendis, ego ope DEI adjutus, qvi mihi dedit dona hæc egregia, qvibus præditus sum, istis sex virtutibus jugiter studebo, qvas reqvirit in suo Tito, imo omni Episcopo Apostolus, ita futurum esse scio, ut DEus Ecclesiæ maritus Es. 54, 5. Hos. 2, 19. mecum gratiosè cohabitet, nec me deserat, si in bono perstitero. Lychnuchus in tabernaculo Mosis ex DEI præscripto habebat sex ramos in lateribus suis Exod. 25, 31. 32. Ego scio (subjiciat sibi qvisqve fidelis verbi minister) me esse in templo DEI lychnuchum seu candelabrum qvoddam spirituale, conf. Matt. 5, 14. 15. Luc. 11, 33. 34. 35. 36. itaq; dabo operam, ut in me luceant sex illæ virtutes à Paulo præscriptæ, etiam superiùs explicatæ: imitabor DEum, qvi bona omnia amat, omnibus etiam malis in mundo hospitium præbet, justus & sanctus est. Imitabor Christum meum, qvi fuit promptus amare bonos & tolerare malos, imitabor sanctos Prophetas, Apostolos, Martyres. Simson & Johannes baptista (at qvanti viri?) à vino & inebriante potu abstinuerunt: Ego per DEI gratiam cum Timotheo parum vini ob valetudinem bibam, neq; crapulæ deditus fuero.

III. Loc.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730466876/phys_0036
DFG

III. Loc. Commun.

UT non possent amplius esse idonei ad belligerandum, regibus captis pollices præscindebat Adonibezek Jud. 1. Ne firmiter teneant Doctrinam & depositum sibi commissum verbi qvidam ministri, Diabolus variis modis manum fidei eis præscindit, & ne aliis possint adhibere salutaria remedia, à Paradiso DEI illos procul abducit, hoc est, à lectione sacrorum bibliorum avocat, impedimentis qvàm plurimis objectis, ne possint ipsi militiæ Duces alios sibi commissos armare suo celeusmate milites, hoc procurat, ut ipsi omnium primùm fiant ἰψάσπιδες, & pietatis scuto abjecto fugiant: ne alios possint ἐλέγχειν, vel rerum mundanarum offam ori indit, vel animum ac mentem obtenebrat. Qvod ne fiat cum maximo Reipublicæ Christianæ damno, hìc tam sollicitè Episcopos monet Apostolus. DEUS faxit, ut tam libenter monenti pareant, qvam fideliter hæc à Paulo sunt exposita; ita futurum est, ut audiant tandem lætam & gratam illam vocem: Euge serva fidelis, intra in Domini tui gaudium, Amen.

AD DOMINICAM IV. ADVENTUS,

Jerem. 1, 9. 10. Matth. 10, 32. 33.

GEn. 2, 15. Accepit Jehova DEUS hominem, collocavit ipsum in horto Hedenis, ad colendum eum, & ad custodiendum eum. Illud olim in statu integritatis, atq; hoc fine, ut in illà perstaret. Hodie in statu iniqvitatis ac corruptionis DEUS, & ratione beneficiorum in symbolo singulis Sacrosanctæ Trinitatis personis attributorum, Spiritus S. Act. 13, 2. ex genere humano accipit & eligit homines qvosdam, qvos præficiat horto Hedenis DEI, id est, Ecclesiæ (qvemadmodum hæc cùm alibi, tùm in cantico canticorum aliqvoties cum horto, & Esa. 5. Matth. 20. cum vinea &c. comparatur) qva DEUS delectatur, Ps. 132, 13. ut eam salubribus monitis, præceptis, solatiis excolant 1. Cor. 3, 6. 9. & à magnis vitiis velut tribulis; vel hæresibus, velut Zizaniis ac loliis spiritualibus sartum tectum hortum custodiant atq; conservent, qvod ut ritè fiat, reqviritur magna diligentia, magna constantia: Utriusque exemplar probum est Johannes baptista in hodierno Evangelio, nempè qvod ad prius, est vox clamantis, & parat Domino viam, bapti-

zat aqvâ: qvòdad posterius, non patitur se ullis oblatis honoribus vel minis à recta viâ avocari. Tales decet etiam esse omnes, qvi cupiunt cum fructu semen DEI serere Luc. 8. Paradisum DEI plantare Luc. 13. Agrum colere 2. Tim. 2, 6. & proinde placet hoc tempore etiam ex V. T. hujus rei insigne exemplar Jeremiam producere, & in ejus institutione discere.

1. *Quæ sit in ministris verbi ritè vocatis Dei manus.*
2. *Quodnam sit eorum munus.*

Jehova, te in tuo solio sedentem nemo vidit Joh. 1, 18. nisi cui tuus filius voluerit revelare Esa. 6. rogamus, etiam nostrum os de his dicturum tangas, idoneumq; efficias, ut possit aliqvid dignum de tuis istis miraculis proferre.

PARS PRIMA.

MEritò miramur illam armigeri Jonathanis confidentiam, qvòd ausus fuerit ille solus cum unico suo hero magnas hostium copias aggredi, & multò magis, qvòd potuerint per DEI gratiam multos fundere, atq; hostes in fugam conjicere 1. Sam. 14. Sed non minus est demirandum, qvòd ausint qvandoq; fideles verbi præcones, qvi in se considerati sunt nihil qvicqvam 1. Cor. 3, 7. solo suo Domino vero Jonathane confisi totum mundum oppugnare, & qvòd pauci Apostoli totum terrarum orbem potuerint Christo suo subjugare. Verum ut ibi divina providentia, Ducis potentia, & ministri fidelis opera conspirantes tantum effecere miraculum, ita etiam hìc omnis benedictio spiritualis ex cœlis tantùm, non aliunde venit. Hoc ipsum in vocatione Jeremiæ liqvet, qvi excusans suam impotentiã, insciticm ac pueritiam, non excusatus abire potest, sed jubetur vocationem suam & vocem DEI omnipotentis spectare, qvi, qvos vocat, idoneos efficit 2. Cor. 3. Confer Bezam in Acta cap. 13, 2. *Nam extendens Jehova manum suam*, hoc qvidem loco in bonum, Esa. 65, 2. &c. Aliàs etiam in malum, ut Es. 9, 12. 17. 21. & 10, 4. & ut ibi munientis, ita hic pœnitentis virtus denotatur, qvemadmodum manus DEO ἀνθρωποπαθῶς attribuitur ad denotandam efficacem ejus operationem *Extendens autem Jehova, ipse vocans*, ut ex præcedentibus liqvet. Cum enim ego Jeremias vocatus à DEO, conferens cum tam arduo munere meam infirmitatem, detrectarem parere, potissimum qvòd nescirem loqvi v. 6. *tetigit Jehova os meum*,

meum. Qvondam unus ex Seraphim habens in manu prunam, admovit ori Esaiæ Prophetæ, atq; ita idoneum eum esse declaravit, qvi posset ire ac docere populum Esa. 6, 6. 7. Sed hîc ipse Jehova tetigit suo igne sacrato, seu Spiritu sancto, qvi venit in igne, confer Act. 1, 5. Matth. 3, 11. qviq; etiam propterea digitus DEI nominatur Luc. 11. & qvemadmodum ille Apostolos dictum factum Doctos effecit; ita etiam me hoc sacramento & signo voluit confirmare, fore, ut ejus potentia sublevaret atq; omniscientia, qvicqvid mihi deesset infirmo ac ignaro puero: ita enim postqvam Jehova tetigerat os meum, ne qværendo defatigarer, qvid hoc sibi vellet, ipse explicuit, & *dixit Jehova mihi ecce,* qvod hoc loco est confirmantis, *indo verba mea ori tuo,* Spiritus sanctus tibi suggeret ac subministrabit omnia, qvæ loqvaris. Inspiciantur & conferantur dicta Matth. 10, 19. 20. Luc. 12, 12. Joh. 14, 26. & 16, 13.

I. Loc. Commun.

MOses olim ad DEUM accedens, qvi tamen de facie ad faciem ei loqvebatur, & velut amicus cum suo amico, Heb. 12, 21. dixisse scribitur ἔκφοβός εἰμι καὶ ἔντρομος totus expavesco & contremisco: idem meritò sibi subjiciunt omnes illi, qvi ad DEUM ita sunt accessuri, ut qvomodo alios adducant ac doceant, ipsi discant. Nam est munus valde arduum, esse DEI omnipotentis légatum, ubi si qvid per malitiam vel negligentiam peccatur, magnum damnum datur, & magna pœna merito exspectatur. Parum itaq; considerant illi DEI mittentis majestatē, muneris hujus sublimitatem, & suam ipsorum infirmitatem, qvi ita facilè currere, imò se miris modis ingerere audent, & qvum non possint in se descendere, qvomodo aliorum conscientiam excutient? Si vis me flere, dolendum est primùm ipsi tibi. Christus tales præsumentes vocat cœcos cœcorum Duces Matth. 15, 14. & Paulus talibus egregiè insultat Rom. 2, 19. 20. &c. Malim autem ego cum Mose Exod. 4. & Jeremia hoc loco nimis esse timidus, qvàm cum aliis nimis tumidus, siqvidem superbis DEUS resistit, humilibus autem dat gratiam 1. Pet. 5, Qvod etiam exemplum Mosis & Jeremiæ à DEO mirabiliter confirmatorum & protectorum demonstrat.

II. Loc. Commun.

SI magi Ægyptiaci non poterant consistere coram Mose, qvando is digito DEI edebat miraculo, qvanto major erit totius manus seu dex-

træ & brachii DEI potentia? Illa autem adest in bonum omnibus ritè vocatis, ut de se hinc inde Nehemias fatetur, & de Johanne baptista, altero Elia, diserte scribitur Luc. 1, 66. Manus ille DEI *Primo* tollit in mente insciriam seu ruditatem, ut enim Moses tum poterat videre DEUM, qvando obtegebat illum manus Dei Exod. 33, 22. ita omnes, qvibus Deus manum suam extendens in vocatione porrigit, in viros alios commutat, largiens eis de suo Spiritu, qvantum sufficit, ut sciant vera, eaq; aliis inculcent. *Secundò* tollit timiditatem, qvà multi in devia abripiuntur. Qvando enim cogitat minister verbi, Dominus mecum, qvid faciat mihi caro? nihil in hominum gratiam, qvod dicendum est, reticebit, nihil qvod peragendum est, omittet, qvum sciat hanc esse dextram virtutis, qvæ Pharaonem dejecit, Herodem interfecit. *Tertiò* tollit difficultatem, nam ubi Deus ipse manum admovet, omnia prosperè succedunt statim. Cùm manus Domini sola aderat Eliæ, poterat præcurrere & antevertere Regi ipsi curru vecto 1. Reg. 18, 46. Sic qvando Dei manus non deest, velociter currit verbum ejus, nec facilè qvis cursum ejus potest inhibere, videantur Acta Apostolica.

III. Loc. Commun.

AD vocationem aliqvam legitimam reqviritur etiam, ut Deus dicat ministro verbi, *ecce ego mitto te*. Huc pertinet non tantùm tractus ille cujusq; internus & inclinatio, sed qvàm maximè etiam vocatio per eos, in qvorum manu hoc est, facta. Nam per eos DEUS jam mediatè vocat, unde etiam illos ipsos qvos Paulus constituerat Ephesi presbyteros, ipse Spiritus sanctus dicitur constituisse Act. 20, 28. Vocatio autem illa, ut sit qvidem per homines Gal. 1, 1. conceditur, sed ut juxta verbum Dei instituantur, maximè flagitatur, ut qvisq; possit sibi certò subjicere, Jehova dixit mihi. Nam si ille non misit qvomodo prædicabunt cum fructu Rom. 10? Qvando Israelitæ sine DEI mandato adoriebantur hostes, in fugam conjiciebantur multosq; ex suis desiderabant: Qvando qvis sine DEI jussu irrumpit in tam arduum docendi munus, ipse illâ DEI comminatione sine dubio prosternitur, currebant & non mittebam eos Jerem. 23.

IV. Loc. Commun.

QVid clamabo? Qværebat olim vox illa clamantis in deserto Es. 40. & ut ibi præscribitur summa proponendorum, ita in sacris literis, qvæ

qvæ aliis ad salutem necessaria scitu sunt, inculcanda habentur, & hæc sunt verba ipsius DEI, per qvæ possunt auditores salvari 1.Tim.4,16. Si qvis verò alia affert, præterqvam qvæ sunt in Prophetis Act. 26. & libris sacris, non absimilis est illi qvi Prophetam Domini suo figmento revocabat, atq; ita efficiebat, ut à leone interficeretur 1.Reg.13. Siqvidem fit, ut, dum auditores illa sequuntur, à leone infernali devorentur.

SECUNDA PARS.

SAul intelligens suam tenuitatem, & regni, cui erat præficiendus, majestatem, potius qvàm patiatur sibi diadema imponi, inter impedimenta se occultare voluit 1.Sam.10. sed qvia Deus semel constituerat illum Regem efficere, nullo modo latere poterat: ita & minister verbi futurus, qvando rem rectâ secum reputat viâ, potius sibi cum Jonâ aufugiendum esse statuit, qvàm superbæ hujus mundi Nineve exitium denunciare; & tamen si qvem talem sibi delegit Dominus, latere tandem non potest, sed cogitur ire, qvò ipsum miserit Jehova. Ita etiam DEUS ipse nunc porrò, qvem nullo modo dimittere volebat, Jeremiam instruit, qvid ipsi cœlitus sit sperandum, & suâ operâ efficiendum. *Vide*, inqvit, etiam atq; etiam considera, *præficio te* ipse DEUS, qvi qvos non dignos invenio, ipse paro, הִפְקַדְתִּיךָ constituo te tutorem, curatorem, visitatoremq; sedulum *hoc die gentibus ipsis* etiam exteris non Judæis tantum, (qvemadmodum etiam illis prædicasse legitur Jeremias à cap. 45. usq; ad 52.) *& regnis* Ægypti, Chaldæorum &c. Ut illis malum imminens prædices, atq; ita si qvi sunt dociles, conserves, si qvi autem sunt planè corrigi nescii, illi sua culpa & vitio reddantur inexcusabiles ac pereant; Siqvidem verbum hoc abs te prædicatum, ut est credentibus odor vitæ ad vitam per se, ita est per accidens ob hominum incredulorum malitiam odor mortis ad mortem 2. Cor.2,16. Tu itaq; memento, te esse præfectum illis curatorem, cui sit utraq; clavis, ligans & solvens, concredita, ut non modo piis proponas svaves Evangelii promissiones, sed etiã malis indices graves legis comminationes, imò ex Ecclesia per excommunicationis fulmen exturbes; præficio n. te hortulanum spiritualem meo Paradiso: *imò*, qvia plura ibi sunt zizania, qvàm utiles herbæ, plures infrugiferi frutices, qvàm fœcundæ arbores, *ad exstirpandum*: significes, iis non esse sortem neq; partem in regno Dei, sed securim esse positã ad radicem, & imminere, qvum abscindantur

dantur ac in ignem inextinctum conjiciantur Matth.3. ne amplius gravent agrum DEI Luc.13,7. Matth.13,38. DEUS enim illos abripiet Psal. 2,7. qvi qvod tandem à suis prædictum solet efficere, ministris verbi attribuit in scriptura, ut ita ipsius operatio à verbo prædicato non excludatur, vide 5. art. A. C. & de Mose Exod. 7. aliisq; mandatorum DEI vel nunciis vel executoribus similes phrases observa. Præficio te *porro*, qvia Ecclesia est domus DEI 1. Tim. 3,15. Gen. 28,17. ædificiumq; spirituale Eph.2,21. 1.Pet.2,5. cujus lapides sunt pii ibid. v.20. Amos 9,9. *ad demoliendum* seu diruendum, si qvi lapides inutiles istis fuerint admixti, denuncies fore, ut permissu Christi lapidis angularis cribrati Luc.22,31. calamitatum procellis impulsi ac revulsi Matth.7,27. comminuantur tandem Matth. 21,44. *Tertio* qvia Ecclesia est velut qvidam DEI exercitus, bellum gerens contra diabolum, mundum, carnem, cujus dux summus ac caput Christus, duces verò inferiores verbi ministri Hebr. 13,17. præficio *te ad perdendum*. cum inutiles milites exautorando, expungendo ex catalogo fidelium DEI servorum, tum hostes prosternendo, & plane, si nolint subjugari Christo, occidendo. Huc *quartò* spectat, qvia arma militiæ tuæ sunt divinitus valida ad destructionem munitionum, ratiocinationes evertendo omnemq; sublimitatem, qvæ sese extollit adversus cognitionem DEI 2.Cor.10,4.5. qvòd tu Propheta à me præficiaris ad *destruendum* illa, qvæ ratio humana opponit salutaribus DEI consiliis. Et hæc ratione malorum, qvi, qvia sunt plures, pluribus etiam de illis & primo qvidem loco agi debuit: ratione bonorum duo contraria ponuntur præcepta, præficio te *ad ædificandum* illam domum DEI 1.Cor.3,10,11. & 14,3.4.5.12.26. ut stabilias in fide bonos, erigas lapsos, moneas securos, instruas omnes, *& ad plantandum* in illo spirituali DEI horto 1.Cor.3,3.6. ut vel novos surculos Christo inseras, vel insertos purges, vel aridos riges imbre solatii, & aqva doctrinæ, ut ita DEI domus consistat, & paradisus in omni fructu bono exuberet.

1. Loc. Commun.

LAudatur Philippus Macedo, qvod, ne suæ infirmitatis memor in tanto honoris fastigio cristas attolleret, qvotidie sibi acclamandum curaverit, Philippe, memento te esse hominem; Credo eqvidem fore longè utilius, generiq; humano conducibilius, si ministri verbi qvotidie

die sibi ipsis revocent hæc verba DEI in memoriam, ac ut possint, in suis musæis, hypocaustis, templis ascribant, vide, præficio te curatorem istis, fili hominis, dedi te speculatorem domui meæ Ezech. 3. & 33. Memento te esse pastorem animarum: hæc itaque, qvæ ad tam arduum munus ritè obeundum spectant, etiam atq; etiam vide, ut vigiles, ne leo infernalis ovem tibi eripiat. Jacob tibi veternum excutiat, qvando dicit, se somnum oculis non vidisse suis, ne qvis agnus periret tyrannico Labani. Qvanta itaq; abs te adhibenda erit diligentia, ne una ovis Christi filii DEI sanguine redempta Act. 20, 28. se perditum eat, nimirum ipsius tui Domini exemplum seqvutus, in desertum eam seqvaris, reducas, reportes, Luc. 15. Qvando Achan aliqvid de bonis anathemate devotis surripuit, lapidibus obruitur & comburitur: qvanta verò pœna illum manebit, qvi DEI illud peculium sibi concreditum non servat fideliter. Laurentius potius sustinebat se in craticula ferrea torreri, qvàm vellet petitos Ecclesiæ thesauros tyranno tradere: at illi thesauri nil qvicqvam ad istos Ecclesiæ ministris concreditos, qvi superant totius mundi divitias, qvum has possit unico verbo cum toto mundo condere, illos verò non nisi precioſissimo filii morte comparare 1. Pet. 1, 19.

II. Loc Commun.

IDem indicat hoc loco hebræum verbum, qvod notat fidelem verbi præconem constitui à DEO curatorem suæ Ecclesiæ, singulorumq; auditorum, ut dum ipsi nesciant, qvid agant, rectè doceat, ac informet, dum sibi consulere ipsi ignorant, fideliter more patris ac tutoris præmonstret ac rectos ad ingenium bonum habeat. Alludit ad hoc & similia verba V. T. emphatica de officio ministrorum verbi usurpata Apostolus in N. Test. qvoties παραθήκης facit mentionem 1. Tim. 6, 20. 2. Tim. 1, 14. Si autem proximo bonâ fide est reddendum depositum, nisi qvis magnam DEI iram velit incurrere Exod. 22, 7. 8. qvantò majori cum fide est conservandum sacrum illud DEI ipsius depositum? Tutor qvi pupilli bona intervertit, ipso jure infamis esse creditur: Qvi sua negligentia voluit deteriorare, cogitur damnum restituere: qvid igitur in sacra hac tutela futurum est? Qvemadmodum ibi pupillis, qvod nesciant suæ vitæ habere modum, præficiuntur tutores, ita qvia in mundo pleriq;, qvæ in rem suam sint, non prospiciunt, constituti

sunt

sunt hi sacri curatores, qvi, qvæ ad saltem cujusque spectent, procurent.

III. Loc. Commun.

SI DEUS etiam Prophetas voluit exteris gentibus prædicare, ut Es. cap. 15. & seqq. Jer. á cap. 46. Ezech. á cap. 25. Ninevitis Jonam & Nahum misit; absoluto Decreto illas non constituit perdere. Si DEUS regnis Jeremiam præfecit, etiam magnatibus sunt indicanda sua peccata, ad exemplum Nathanis, Johannis baptistæ, Pauli.

IV. Loc. Commun.

QVia semper plures sunt mali in Ecclesia, qvàm boni, qvomodo se rectè gerat minister verbi, optimè indicatur istis similitudinibus nimirum (1) qvia Zizania, lolium, & steriles avenæ frugibus nocent, solent erui à diligenti agricola, ne in agro DEI bonum semen suffocent, hæreses sunt refutandæ, pravi mores corrigendi, scandala tollenda. Ut igitur qvisq; hortulanus suum hortum, qvisq; agricola sui agri portionem curat; ita etiam minister verbi in sibi potissimum demandata Ecclesia particulari repurganda laboret. (2) Qvia ubi ædificium pravè est exstructum, vel in alteram partem inclinat, illud adhærens vitium potiùs est removendum, qvàm permittendum, ut inde ædes totæ minitentur ruinam: Ita etiam in Ecclesia, si qvis lapis pravè cohæret cum reliqvis per discordiam, vel lapidi angulari per diffidentiam, revellendus potiùs est, qvam ut plures cum ipso decidant. Item si qvis malè cohærentes suæ justitiæ ædiculas exstruat, demoliatur eas fidelis verbi præco, ut stabiliatur justitia fidei. (3) Licet veneritChristus salvatum omnes, tamen qvia multi tantum Servatorem recipere nolunt, per justitiam Dei multi perduntur. Idq; fit etiam per ministros verbi, qvando in his terris ligant, & postea, qvando secundum eorum Doctrinam sententia feretur. (4) Qvia ratio humana DEO se non facilè subjicit sine DEI spiritu, sed resistit Act. 7. ideò minister verbi à tam pravo proposito homines abducat: Contra (5) Tugurium Davidis collapsum Evangelii prædicatione erigat Act. 15, 16. Et (6) Bonas arbores plantet: qvâ de re vide, qvæ dicta sunt in Ps. 1, 3. Ita futurum est, ut vincenti detur, qvod edat ex arbore vitæ, qvæ est in medio Paradisi Dei Apoc. 2, 7. Et ipse inhabitet Domum non manu factam, sed in cœlis ab æterno paratam, Amen.

IN

IN NATIVITATE CHRISTI,

2. Sam. 7, 12. 13. 14.

SAmaria aliqvando gravi obsidione pressa, & fame afflicta, qvando divinitus de nocte liberabatur, leprosi hoc ipsum primi resciscentes ita annunciandum esse existimant: dies hic dies boni nuncii seu Evangelii est בְּשׂרָה, & nos taceremus? agite euntes, indicemus domui Regis 2. Reg. 7, 9. Totum genus humanum ob peccatum Adæ & suum, in inferno conclusum tenebatur Gal. 3, 23. & famem verbi DEI seu læti de Christo nato nuncii sentiebat, unde tot piorum suspiria, Evæ Gen. 4. Jacobi Gen. 49. Davidis Psal. 14. Et omnino omnium piorum commune erat hoc votum Luc. 10, 24. sed nocte, qvâ nascebatur Bethlehemi Christus, liberabatur: veniebat illis, qvi in Sion redemptor Esa. 59, 20. Paradisus aperiebatur cœlestis, & Angeli, qvi antea gladio flammante inde nos abigebant, jam cœlitus delapsi congratulabantur Luc. 2. & satiari ibi pane vitæ poterant Joh. 6. qvotqvot fide eò confugere non detrectabant, memores illius Davidici dicti Ps. 34. Gustate & videte, qvàm svavis sit Dominus. Hic itaq; dies revera fuit dies בְּשׂרָה læti nuncii seu Evangelii de incarnato Christo: (qvum בָּשָׂר notet carnem:) Non ergo jam taceant ministri verbi, sed indicent Domui Regis summi, ut veniant ad istam aqvam vitæ Joh. 4. veniant huc & comparent omnia àbsq; pecuniâ Es. 55, 1. sed paucis, proh dolor, inest ille ardor, qvi Davidem aliqvando incenderat. Is enim agens in suo propugnaculo, à Philistæis obsessus, desiderio motus dixit: ô si qvis daret mihi aqvam è cisterna Bethlehemi, qvæ est ad portam 2. Sam. 23, 14. 15. Nos qvidem vivimus in nostro propugnaculo seu Ecclesiæ gremio, & à mundo ac diabolis coangustamur; salvabimur, si modò aqvam hanc, qvæ Bethlehemi orta est, biberimus. Hoc itaq; studium ut in nobis excitetur, lubet hoc die DEI promissionem jam olim Davidi factam ruminari, ut inde appareat, qvantus sit iste Heb. 7, 4. qvi natus est nobis hodie. Partes dicti constitui possunt duæ:

In priori erit, quæ sit promissa Christi nativitas.
In posteriori, quæ ejusdem sublimitas & majestas.

Ad hoc verò tantum mysterium contemplandum qvando accedi-

mus, meritò humanæ rationis calceos extrahimus cum Moſe & Joſuâ Exod. 3. Joſ. 5. Deumq; rogamus, ut oculos noſtros aperiat, qvo poſſimus in hujus mundi ac mentis noſtræ caligine ſcalam illam ac portam cœli rectè contueri Gen. 28. eadem etiam, qvæ circumfulſit paſtores, gloria Domini ſuper nos oriatur, & nos illuminet Luc. 2, 9. Eſ. 60, 1. 2. 3.

PRIMA PARS.

DE qvibusdam maximis hominibus in Scripturâ fuit longè ante prædictum, vel qvod eſſent naſcituri, ut de Joſia 1. Reg. 13, 2. vel qvales eſſent futuri, ut de Simſone Jud. 13. de Johanne baptiſta Luc. 1. legimus. Sed illa omnia longè ſuperantur ab iis, qvæ ab initio mundi de noſtro Salvatore ſunt prædicta, tùm qvòd eſſet tandem in hujus luminis oras edendus ex virgine, tum qvid & qvantum beneficiorum eſſet præſtiturus. Plena eſt horum promiſſorum etiam V. T. Scriptura Gen. 3, 15. & cap. 12, 15. 22. 26. 28. 49. Deut. 18. &c. Inter cætera autem non eſt poſtremum illud, qvod DEUS Davidi ſolenniter facit per Nathanem, qvod de qvo loqvatur, num de Salomone Davidis immediato ſucceſſore, vel Chriſto illo filio Davidis, qvi κατ' ἐξοχὴν hoc nomen toties obtinet in N. T. non eſt, qvod operosè diſpiciamus, qvum Spiritus S. facem alluceat in N. T. Conferantur enim cum verſu 12. & 13. ea, qvæ Angelus Gabriel dixit Luc. 1, 32. 33. & cum verſu 14. illa qvæ habet author Epiſtolæ ad Heb. Cap. 1, 5. & apparebit Chriſtum hic promitti, non ejus typum qvendam Salomonem, qvod etiam ex ipſius promiſſionis tenore facilè poterit deduci, ſiqvidem is, qvi hic promittitur, tum demùm naſciturus erat, poſtqvam David occubuerat cum ſuis patribus, qvod de Salomone dici neqvit. Ita autem habent verba, *Quando completi fuerint dies tui*, & terminus vitæ tuæ præfixus abſolutus, imò longè poſt, nempe ferè poſt annos 1047. poſtqvam etiam venit plenitudo temporum Gal. 4, 4. *& poſtquam* tu jam pridem *occubuiſti* [שָׁכַבְתָּ ſimplex pro compoſito] *cum patribus tuis* id eſt, rebus humanis valedixiſti; Phraſis enim ipſa per ſe neque ſtatum defunctorum beatum, neque damnatorum miſerum denotat, qvum indifferenter de bonis & malis uſurpetur, ſed prout qvisque deceſſit, ita ei poſtea vel benè vel malè fuiſſe conſeqvitur, inſpiciantur hæc loca 1. Reg. 2, 10. & 11, 21. 43. & 14, 20. 31. & 15, 8. 24. & 16, 8. 30. & 22, 40. 51. 2. Reg. 8, 24. & 10, 35. &c.

ut

ut sanè frustra sint, qvi inde volunt probare, eum fuisse salvatum, de qvo phrasis illa usurpetur. Qvemadmodum enim dormire dicuntur omnes mortui, tam boni, qvàm mali, ita etiam occumbere seu cubare in sepulchro, *tum* itaque, postqvam tu jam in terram ac pulverem es redactus, *excitabo* הקימותי faciam stare seu existere ex domo seu familia tua inclinata, & ex radice tua ferme arefacta Esa. 11. *Semen tuum* Christum Jesum, semen illud mulieris Gen. 3, 15. semen benedictum Gen. 12. Gal. 3, 16. *Postte* postqvam tua familia Regia jam ad summam inopiam & despectum est redacta, neque ulla spes se colligendi humanitus apparet, qvod tamen erit verè ex tuis posteris, siqvidem *egredietur* in suis majoribus ex *tuis visceribus*, & ipse erit verè tuus filius, seu aliqvis ex posteris.

I. Loc. Commun.

UT in aliis, ita etiam in vitæ humanæ termino non est nostrum nosse temporum articulos Act. 1, 7. qvos Pater suæ potentiæ & majestati reservavit. Ipse enim est, qvi cum hora nobis sit incertissima Eccl. 9, 12. Sir. 18, 8. 1. Thess. 5, 2. Jacob. 4, 13. vitæ terminum certum cuiq; præfixit, qvem non transiliet Job. 14, 5. Heb. 9, 27. Decurtare verò eum, si causas naturales spectemus & Dei antecedentem voluntatē, qvis potest, siqvidem viri sanguinarii & dolosi non producent dies suos ad dimidium Psal. 55, 24. Est itaq; & hoc ingens DEI beneficium tum demùm posse mori, qvando dies sunt completi.

II. Loc. Commun.

UT Davidem oportebat prius mori, qvàm ex eo nasceretur Messias, ita necesse est, ut ante gloriam semper præcedat passio, & si nos velimus, ut Christus in nobis vivere incipiat Gal. 2. Prius vetus ille homo occidatur Rom. 6. Col. 3, 3. 5. Non igitur difficilis est conjectura, qvi fiat, qvòd hodie in tam paucis cordibus oriatur hæc stella matutina, nimirum plerique amant tenebras Joh. 3. Nolunt in se occidere omnis neqvitiæ nebulam, ideoque Sol justitiæ in iis lucere non potest, nolunt occumbere cum suis patribus, sed ipsorum vestigiis malis insistentes lumen non vident Psal. 49, 20.

III. Loc. Commun.

OPus redemptionis nostræ in solidum DEO soli debetur, siqvidem

ipse est, qvi collapsum Davidis tugurium non modò restauravit Act. 15, 16. Amos 9, 11. & Israelem puerum suum manu porrectâ erexit Luc. 1, 54. sed etiam is, qvi erexit cornu salutis hoc in domo Davidis ibid. v. 69. Unde omnia reliqva beneficia in nos redundant. Confer cum hoc cornua altaris, qvæ qvi prehendebant, in vita conservabantur. Primus Adam in suâ integritate non stetit, sed lapsus est: Posterior hic verè à DEO ita factus est existere ac stare, ut nunqvam cadat, siqvidem ejus potentia est infinita, scientia immensa, regnum æternum. Ad Pyramidas, Colossos & alia magnifica opera erecta à qvibusdam, multi solebant avolare & mirari operis molem: Christiani ad hunc erectum salutis thronum confugiant, plenum gratiâ & veritate, & ibi possunt ex ejus plenitudine accipere gratiam pro gratia Joh. 1.

IV. Loc. Commun.

CHristus dum vocatur hoc loco semen, sicut Gen. 3, 15. Gal. 3, 16. & contra Judaizantes Calvinianos, aliosque qvi πρωτευαγγέλιον de omni piorum semine accipiunt, & eos omnes hæreticos notamus, qvi Christum non esse verum hominem docuerunt, ut Marcion, Manes, Valentiniani, Flaciani. Si enim Christus verè est semen mulieris Gen. 3, 15. Semen Abrahæ Hebr. 2, 16. verè in Maria est homo conceptus, Matth. 1, 20. & ex eadem homo natus Gal. 4, 4. sicut in symbolo confitemur.

V. Loc. Commun.

IDem probant seqventia verba, de veris posteris ac natis alibi semper usurpata, confer Gen. 15, 14. & 25, 23. 2. Sam. 16, 11. Esa. 48, 19. & 49. 1. Qvando itaque Abrahamo aliisque Patriarchis, & postea Davidi promittitur, fore ut Christus ex iis, hoc est, eorum posteritate nascatur, veritas ejus humanæ naturæ probatur, qvæ hodie benè contemplanda est: siqvidem si Christus non est verus homo, nobis ὁμοίωσις Eph. 5. Heb. 2. nos per Christum redimi non potuimus. Qvando autem verè novimus, Christum factum esse filium hominis, ut fide in eum redderemur filii DEI Joh. 1. factum esse servum Phil. 2. ut nos efficeret cœli Dominos, factum esse pauperem, ut nos ditaret 2. Cor. 8. factum esse miserum ad tempus, ut nos æternum beares Esa. 53. exulasse, ut nos reduceret

duceret in patriam Matth. 2. Veniſſe in hujus mundi deſertum, ut nos errantes qværeret, ſe ipſum iviſſe in morte perditum, ut nos perditos reſtitueret &c. rectè genethliaca Domini celebramus. Ita enim fiet, ut ſimul expendamus noſtram miſeriam, & DEI miſericordiam, nosq; coram DEO humiliantes ita exclamemus cum Davide: Domine, qvid eſt homo, ut memor ſis ejus, aut filius hominis, ut ita viſites eum? Pſal. 144, 3.

PARS POSTERIOR.

NAm qvis & qvantus ſit hic noſter Salvator ex iis, qvæ dicenda reſtant, conſtabit. David ſe exulem ac miſerum conferens cum Rege ita loqvitur 1. Sam. 24, 15. poſtqvam proceſſit Rex Iſraelis, perſeqvèris canem mortuum & pulicem unum. Nos rectiùs, ad qvem venis Rex cœli? ad cadaver putridum, ad planè perditum, ſummus ad infimum, ſanctiſſimus ad impium, potentiſſimus ad infirmum, DEUS ad hominem. De qva majeſtate jam porro DEUS hæc aſſeverat, *Ego ſtabiliam Regnum ejus* וַהֲכִינֹתִי parabo, firmabo, & ſervabo Eccleſiam ejus, ne qvid contrà eam valeant inferorum portæ Matth. 16, 18. faciamq; ut regni ejus nullus ſit finis Luc. 1, 32. 33. Dan. 7, 14. *Ipſe ædificabit domum nomini meo*, Salomo qvidem in typo, hic in rei veritate domum DEI qvæ eſt Eccleſia 1. Tim. 3, 15. exſtruet, ipſe lapis angularis Eph. 2. & fundamentum ejus 1. Cor. 3. & faciet hoc nomini meo, ut in ea nomen meum prædicetur à docentibus, & invocetur à credentibus, & ipſe velut nomine meo agnoſcar, ita viciſſim *ſtabiliam ſolium regni ejus usq; in ſeculum*, ſolium, in qvo ipſe prædicat, & judicat juſtitiam. Et qvid multis? Ipſe eſt meus filius æternus ac unigenitus, *ego ero illi* homini ex te, ô David, nato in perſonæ unitate DEO, *Pater*, ut λόγος Pater ſum ab æterno per generationem, ſic ejus hominis per aſſumptionem in λόγον, *& ipſe erit mihi filius*, ὁ μονογενὴς Joh. 1, 18. & 3, 16. ὁ υἱὸς ἴδιος Rom. 8, 32. cujus ego etiam DEUS ero Pater ἴδιος Joh. 5, 18. Vide Heb. 1, 5.

I. Loc. Commun.

GLoriabatur qvondam malè & magno ſuo damno Nebucadnezar, ſe eſſe eum, qvi magnam Babylonem ita exædificârit ad gloriam ſui nominis Dan. 4. qvæ tamen & ipſa paulò pòſt vaſtabatur prorſus: etiam falsâ qvadam perſuaſione deceptus Apries Ægypti Rex exiſtima-

bat, se ita regnum suum constabiliviſſe, ut nullus neq; hominum neq; Deorum sibi illud posset eripere, qvâ in re qvàm frustra fuerit, eventus docuit, qvando strangulatus interiit, Herod. lib. 2. sed Davidis filius, qvi idem est DEI, rectè de se potest dicere, qvod Pater sibi dederit regnum immensum totius terræ, regnum æternum omni tempore duraturum, regnum gratiæ, potentiæ & gloriæ. Ille enim constituit hunc Regem, sed ita, ut nunqvam eum regno destituat, imò omnes hostes ejus ei subjiciat". David typus ejus tandem feliciter agebat, qvando plerosq; vicinos hostes dejecerat 2. Sam. 8. & 11. Sed hic semel vicit totum mundum Joh. 16, 33. vicit fortem armatum Luc. 11. & Pater ei subjicit omnia sub pedes Psal. 8. 1. Cor, 15. Heb. 2. ut meritò hic magnificè promittat de Christo secundum humanam naturam (siqvidem secundum divinam naturam rectè dicit ipse Joh. 5, 17. Pater meus operatur & ego semper operor) qvod sit regnum ejus stabiliturus. Rex enim est Ecclesiæ Christus secundum utramq; naturam.

II. Loc. Commun.

ÆDificavit Moses tabernaculum ex DEI præscripto Exod. 40. Salomo templum sumptuosissimum 1. Reg. 6. & 8. Sed hæc erant umbræ qvædam Ecclesiæ N.T. cujus architecton summus Christus Jesus, & subdelegati architectones seu fabri 1. Cor. 3, 10. erant Apostoli eorumque successores. Hic enim est, qvi solus verè potest dicere: Ego ædificabo meam Ecclesiam Matth. 16, 18. hic est, de qvo longè antè prædixit David Ps. 87, 1. fundationem suam inter montes sanctitatis. Hic est idem ille, in qvo ita se jactitant Ecclesiæ membra ex Ps. 46, 2. 3. 6. Deus est nobis receptus & robur, ideo non timemus, DEUS est in medio ejus, idcirco non dimovetur, Dominus exercituum nobiscum est. Hic autem Dominus ædificat illam suam sanctam urbem, intus docendo & illustrando corda hominum per verbum prædicatum Eph. 2, 19. 20. 21. 22. etiam inhabitando Joh. 14, 23. 1. Cor. 3, 16, 2. Cor. 6, 16. Lev. 26, 12. exterius defendendo & muniendo Zach. 2, 9. Cum verò dicitur, *nomini meo*, facilè intelligimus, qvomodo Ecclesia malignãtium distingui seu dignosci possit à vera Christi Ecclesia, nimirum illa non ædificatur nomini Dei, sed Diaboli, Pontificis maximi, vel hypocritarum proprio, qvemadmodum facilè de omnibus hæreticis per inductionem potest probari, qvomodo non Dei, sed suam gloriam propriamq; utilitatẽ qværant.

III. Loc.

III. Loc. Commun.

SAlomo sibi exstruxit qvondam solium regale magnificentissimum, ad qvod ascendebatur sex gradibus, ad qvorum extremitates utrinque erant duodecim leones 1.Reg.10,18.19.20. Sed Christus habet soliũ longè majus, ad qvod adducunt nos duodecim Apostoli, mentis fortitudine leones. Solium autem hoc est stabilitum jure ac justitiâ Es.9,7. qvemadmodum pluribus hoc declaratur Ps.72. Es.11,2.3.4. benignitate ac misericordiâ Hos. 2, 19. confer Ps.45, 7.8.14. sanctitate Es.6,1. &c. pace Zach.6,13. qvi totus locus cum hoc est conferendus.

IV. Loc. Commun.

UNde autem hæc omnia & tanta filio Mariæ ac Davidis obtingent? qvia unitus est λόγῳ æterno Dei filio, atq; ita, ut sit una persona, aliàs non esset tantæ majestatis particeps. Nam hic est filius Dei æternus Patri coæqvalis potentiâ, majestate & gloriâ; Et bene illud adjicitur, ut ita etiam hoc die ansa detur de divina Christi natura cogitandi. Nudus enim homo neq; redimere nos, neq; redemptos contra inimicos poterat defendere: DEO verò omnipotenti nihil qvicqvam est difficile, nedum impossibile Gen.18,14. Zach.8,6. Luc.1,37. Et si DEUS dedit nobis suum filium, qvomodo non omnia cum ipso daret? & si est ejus Pater naturâ, eumq; diligit, nos ejus fratres non oderit? sed etiam nobis ob filium suum erit in Patrem, imo nos faciet suos hæredes Christique filii sui cohæredes. Ita fiat. Amen.

DOMINICA POST FESTUM NATIVITATIS CHRISTI.

1. Pet. 2, 6. 7. ex Esa. 28,16. Psal. 118,22.

1. Sam. 7. Israelitæ à Philistæis graviter oppressi DEI opem ardenter implorant & mirabiliter salvantur fusis hostibus divinitus. Samuel autem ponit ibi lapidem, qvem vocat אֶבֶן הָעֵזֶר lapidem auxilii, eò qvod Deus ibi sono magno adjuverat & liberaverat Israelitas, depresseratque hostes ipsorum. Totum genus humanum misere affligebatur à Diabolis ob peccatum Adæ & suum, ideoque multi Messiam, promissum dari suspiriis crebris petiverunt; DEUS autem, qvi

qvi est אֵל שׁוֹמֵעַ seu attendens ad preces piorum (ut ita liceat ad nomen Samuelis alludere) ponit Christum suum lapidem auxilii credentibus, offendiculi verò incredulis, suoq; vitio malis. Qva de re qvum Simeon in hodierno Evangelio vaticinetur, libet parallelum ei qvoddam ex Petro, desumptum ex V. T. dictum exponere. Partes possunt constitui duæ:

Prior, Quale Christus sit fidelibus adminiculum.
Posterior, Quale incredulis sit idem offendiculum.

Jesu Christe, in suo itinere te vidit Jacob, qvòd sis scala pertingens ac nos perducens in cœlum Gen. 28. postqvam caput in lapidem reclinaverat, da ut nos etiam te lapide salutis nixi, jam viam in cœlum rectè discamus, ac agnitam fideliter insistamus.

PARS PRIMA.

QVia Ecclesia variis rebus solet comparari, agro, vineæ, domui &c. Prophetæ & Apostoli de illà agentes, pro re natâ non uni semper inhærent, sed ab unà ad alteram similitudinem sæpe transiliunt, vide Amos 9, 9. Matth. 13. Ad eundem modum Petrus *primùm* versu 2. & 3. hoc loco fidelium cœtum eorum, qvi non ita pridem fuerant ad Christianismum conversi, infantibus modò genitis, & verbum DEI Catechetice illis proponendum lacti comparat; sicut alibi, qvi plus profecerunt, viris, & verbum DEI illis inculcandum cibo solidiori confertur, Confer 1Cor. 3, 2. Gal. 4, 19. Eph. 4, 13. 14. Phil. 3, 15. Heb. 5, 12. 13. 14. & 6, 1. *Deinde* cum spirituali ædificio, cujus fundamentum sit Christus & ipsi vivi lapides, qvos secum vitali virtute compingat, atque ne decidant ex ædificio, fulciat, componit, v. 4. & 5. Confer Gen. 28, 17. 1. Tim. 3, 15. 2. Tim. 2, 26. Eph. 2, 21. Ac *tandem* Sacerdotibus V. T. non tam confert, qvam præfert v. 5. Siqvidem illi saltem vel inanimata, vel bruta offerebant sacrificia, hi autem spiritualem hostiam vivam, sanctã, Deoq; placentem offerunt. Conferantur loca Rom. 12, 1. Heb. 13, 15. 16. Apoc. 1, 6. Et qvia dixerat v. 4. Christum esse lapidem illum vivum ab hominibus qvidem reprobatum, apud DEUM verò electum ac pretiosum: utrumque jam porro scripturæ dicto, licet more in Scripturis non insolenti, ὕστερον πρότερον. *Quapropter etiam continet* scilicet DEUS *in Scripturâ* sacrâ tanqvam insignem qvandam πρόσκλισιν Actor. 8, 32.

seu

seu dictum præclarum aliqvod, qvod multa complectitur. Qvod si autem DEus illud ibi velut summam qvandam notandam continet, etiam in Scriptura continetur, ut Beza vertit, in ea dicitur, ut Syrus habet, vnd stehet in der Schrifft, sicut Lutherus exponit. Prius tamen, qvod ipse verba præ se ferunt, est ἐμφαλικώτερον, qvando simul ipse author, unde hujus omnis authoritas, præponitur. Habetur autem hoc dictum citandum Esa. 28, 16. & qvod ad verba qvidem paulò aliter, qvod tamen ipsum sensum non immutat, sicut eâ de re dictum est Amos 5, 25. 26. 27. Est enim in hac allegatione qvædam transpositio levis, & cujusdam vocabuli omissio, verum, uti dictum est, sine ullâ sententiæ veræ immutatione. *Ecce*, (inqvit tota SS. Trinitas, qvod innuit in textu hebræo loqvendi genus) qvæ particula hoc loco magnam habet emphasin, eâque & potentis solius majestas indicatur, & non attendentium socordia excitatur, *ego pono* velut fundamentum, qvod notat verbum Hebræum occurrens apud Esaiam יָסַד Ego sum ille qvi fundavit, Græcum verbum τίθημι eandem significationem rectè obtinet 1. Cor. 3, 10. 11. *in Sione* seu Ecclesiâ Psal. 2, 6. & 87, 1. 2. Esa. 2, 2. 3. *lapidem angularem* ἀκρογωνιαῖον, qvi utrinque duo latera coarctet & contineat, operisque molem sustineat, nempe conjungens in N. T. Judæos & gentes ut pluribus explicatur Eph. 2, 11. 12. &c. *Electum* ἐκλεκτὸν vocat Petrus, qvem pro idiotismo linguæ Esaias nominat אֶבֶן בֹּחַן lapidem probationis seu probatissimum, qvemadmodum aliás sæpè abstractum pro concreto positum denotat superlativum. Et meritò electus est ille lapis præ aliis, qvia est preciosus seu τίμιος יְקָרַת rarus & carus. Talis autem qvum sit Christus in se, etiam qvalis sit illis, qvi ipso unicè nituntur, subjicitur: nempe omnis (qvod additur à Paulo Rom. 9, 33.) *qui credit in eum* (qvod posterius apud Prophetã intellectum perspicuitatis ergò ab Apostolo hic est adjectum) *non confundetur* οὐ μὴ καταισχυνθῇ ad emphasin geminatâ negatione, & deinde duplici metalepsi hebræum verbum יָחִישׁ exponitur, qvod in sacris non est infreqvens; siqvidem primo signum, confusio cum rubore solet videri in iis, qvi spe suâ frustrati & vanis promissionibus lactati vident se esse deceptos, deinde verò, qvia hoc solet illis potissimum accidere, qvi rem non rectè suscipiunt, nec ante deliberant, sed præfestinant, atque ita, dum sine consilio

certo susceperunt, eoque in ipso facto destituuntur, cum pudore plerumq; coguntur desistere. Ex antecedente præfestinare, qvod habet Propheta, consequens confundi rectè deducit uterq; Apostolus. Qvâ de re vide Junium in parallelis uberius differentem. Nos verò usum horum verborum discemus.

1. Loc. Commun.

GEn. 41, 48. 49. insignis Josephi diligentia notatur, qvòd in usum sequentium annorum per civitates cibarium congesserit ac reposuerit: sed infinitis parasangis præcedit hanc DEI cura, qvâ in libris sacris cibum ac potum animæ salubriter digessit, & qvasi locis distinxit, ut ita de hoc divino penu, pro nostra indigentia spirituali, inde qvod opus est, depromamus. Est enim Scriptura ratione alimenti nostri spiritualis qvoddam divinum penuarium, in qvo varia genera Doctrinæ, institutionis, consolationis, correctionis, refutationis, velut pabulorum animæ, continentur Psal. 23. eadem est ratione medicamenti, qvo infirmitates nostræ sanentur, qvoddam cœleste viridarium, in qvo varii flosculi & fructus velut per areolas & pulvinos discriminari exhibentur Psal. 103. in Cant. Cant. eadem est ratione belli nobis cum diabolo, mundo, carne nostrâ gerendi, qvoddam instructissimum armamentarium, ex qvo omnis generis arma cum φυλακτήρια, tum ἀμυντήρια velut certis locis reposita nobis depromuntur Eph. 6. Rectissimè itaq; & maximè appositè hoc loco Petrus dicit: DEUS πεῖρας, DEUS velut suis limitibus certis & notis distinctum hoc dictum in Scriptura reposuit, unde simul summa Scripturæ autoritas & utilitas liqvet. Si beatus est jam populus, cujus promptuaria plena proferunt juge alimentum: beatior populus est, cui DEUS ita in ocio, in negotio, in pace ac bello, ad necessitatem & voluptatem prospexit Psal. 144, 13. 14. 15. Monentur autem hoc eodem vocabulo veri Theologiæ Studiosi, ut ex Scriptura tales periochas in usum suum ad distinctas classes ac locos communes referant, ut ita possint jam ad officium promoti, velut boni patresfamilias spiritales promere de suo thesauro nova & vetera. Matth. 13, 52. qvod, nisi qvis fecerit, nec sibi ex sacro codice omnia morborum animi genera, & contra illos certa remedia distinctè cognoverit, potiùs agyrtæ, qvàm medico vero erit similis, siqvidem & ille emplastrum

strum pedibus fortè aptum oculis applicat, & ex eodem myrothecio omnes ægrotos curat, insciтè juxtà ac periculosè.

II. Loc. Commun.

SI Ecclesia est ædificium à DEO exstructum, cujus fundamentum est Christus, illa stabit sine dubio, neq; ullâ Diaboli violentiâ potest everti. Qvod etiam singula ejus membra, qvamdiù sunt in ea, imò de ea, de se usurpare possunt, siqvidem qvæcunq; mala illis accidunt, cooperantur tamen in bonum illud verum, æternum, ac spirituale Rom. 8,28. qvod enim DEUS omnipotens exstruit, qvis dimoliatur? qvod ipse ponit, qvis removeat? Posuit verò Christum nostrum Salvatorem, ut hoc loco audimus, posuit Apostolos nostros Doctores Joh. 15,16. & utrumq; DEI propositum manet firmum, Ergo etiam, qvia nos non posuit ad iram, sed ad acqvirendam salutem per Dominum nostrum Jesum Christum 1. Thess. 5,9. confidamus, à Jehova gressus nostri statuuntur, cum cadimus, non dejicimur, qvia ipse sustentat manum nostram Ps. 37, 23. 24. Luc, 1, 54.

III. Loc. Commun.

ECclesia verò in his terris est יְשִׁימוֹן, id est, locus aridus, seu desertum. Confer Israëlitas per qvadraginta annos in deserto vagantes, & Ecclesiam N.T. in desertum avolantem Apoc. 12, 14. & tamen in deserto hoc apparet nobis Dominus, ut olim Mosi Exod. 34. Eliæ 1. Reg. 19. ut meritò hoc sit omnis Christiani symbolum: sum qvidem pauper & egens, sed Dominus cogitat de me Ps. 40,18. Ita enim est, ut dicit Dominus apud Sophoniam cap. 3,12. Reliqvi mihi populum pauperem, & tenuem, qvi se recipit ad nomen meum. Etsi velimus olim Christo esse similes in felicitate, oportet nos ipsi fieri conformes in paupertate: si velimus cum ipso regnare, necesse est nos per viam angustam ambulare, & per tribulationes multas cum ipso in regnum intrare.

IV. Loc. Commun.

NOtetur hic porrò fundamenti Ecclesiæ firmitas & pretiositas. Firmitas nomine lapidis, & qvidem angularis denotatur: Pretiositas autem, cum dicitur electus, indicatur. Christus enim est ille lapis, qvi non est ullis manibus præparatus, sed divinitus ex monte seu cœlo ipso emissus, qvi reliqva omnia regna comminuit Dan. 2, 34. 45. est lapis in

imo angulo respectu status exinanitionis, qvem non multùm curant mundani Es. 53. sed tamen in eo tota domus DEI compingitur, & contra omnem externam violentiam defenditur. Est autem electus, qvia est ille, de qvo dicit Pater: Ecce servus meus, qvem elegi, ille dilectus meus, in qvo acqvievit anima mea Esa. 42,1. Matth. 12,18. ille solus apud Patrem per se est in aliqvo precio, ipse solus persolvit pro nobis λύτρον seu pretium æqvivalens, quod qvicunq; sibi fide applicat, apud DEUM est in gratiâ. Id verò significatur satis apertè verbis seqventibus, qvi credit in eum, non confundetur. Nam Pharisæus suis fidens operibus cum pudore cogitur discedere Luc. 18. & qvicunq; idolis sunt confisi, à DEO sunt confusi Psal. 115,8. Non enim est in ullo alio salus Act. 4,12. Qvemadmodum igitur qvidam vivus Ecclesiæ lapis manet ἐπ' αὐτῷ, super ipsum firma fide recumbit, nec ab eo recedit, salvatur, qvi autem hâc petrâ salutis non est nixus, imbre calamitatum facilè dijicitur Matth. 7, 26. 27.

SECUNDA PARS.

CUm David felicitatem piorum descripserat Psal. 1, 1. 2. 3. infelicitatem impiorum & in hac vita & post eam è contrario statim subjicit v. 4. 5. non sic improbi, nec consistunt in judicio. Ad eum ferè modum Petrus hoc loco progreditur, & postqvam credentium prosperitatem indicaverat, incredulorum cœcitatem ac instabilitatem subnectit, ut ita contraria juxta se posita magis eluceſcant, conditio nimirùm fidelium beatissima, & rebellium longè miserrima. *Vobis igitur*, inqvit, *qui creditis* in eum, *est honor*, vos ducit & servat ad gloriam æternam, vobis datur hic honor vel hæc res pretiosa, ut habet Syrus, ut non confundamini, sed cum magna confidentia olim coram DEI tribunali compareatis, Lutherus longè melius tamen vertit, Euch nu/ die Ihr gläubet/ ist er (der Stein) köstlich/ ut ita se referat vox τιμὴ ad superius Christi epitheton, qvod esset ἔντιμον. Et verè talis est credentibus, qvippe qvi inde exsolvunt omnia sua debita, & ornati in conspectu DEI apparent. *Contumacibus* autem rebellibus, verbo non assentientibus sed resistenbus, qvæ est verbi græci ἀπειθοῦσι emphasis, qvo magna Judæorum Evangelii doctrinæ se opponentium solet denotari contumacia Act. 14, 2. & 17, 5. & 19, 9. Rom. 15, 31. *quem lapidem reprobarunt* ædifican-

ædificantes in templo DEI, qvi tùm temporis habebantur, & ex parte erant Sacerdotes ac Scribæ, aliiq; Doctores verbi, *hic factus* est *in caput anguli* Christus, qvem ipsi Doctorem repudiabant & velut lapidem inutilem rejiciebant per excommunicationem Joh. 9, 22. & 12, 42. ex Ecclesia, à DEo constitutus est Ecclesiæ totius Rex ac caput Eph. 1, 22. in qvo tota ædificatio DEI congruenter coagmentata & compacta crescit in templum sanctum Eph. 2, 21. Verba verò ipsa desumpta sunt ex Ps. 118, 22. 23. & tanti à Spiritu sancto facta, ut digna judicarentur, qvæ aliqvoties in N.T. repeterentur Matth. 21, 42. Marc. 12, 10. Act. 4, 11. ubi, qvod reliqvi ex Hebræo מָאֲסוּ vertunt ἀπεδοκίμασαν, metaphorâ ab aurifabris deductâ, qvi, qvod metallum lapide probationis examinatum non deprehendunt esse bonum, rejiciunt: eleganter Lucas suo more vertit ὁ λίθος ὁ ἐξουθενηθεὶς lapis pro nihilo habitus, ubi γένος ἀρχιερατικὸν v. 6. his verbis alloqvitur Petrus, ut non sit necesse dubitare, qvinam ædificantes Christum rejecerint. Sed redimus ad officium lapidis angularis, qvi est caput & fundamentum Ecclesiæ suæ, eamq; à qvavis alia domo distinguit, qvam ob causam etiam si qvis nolit super eo ad normam verbi divini exstrui, suâ culpa & vitio, ille fit ei *lapis offensionis & petra scandali* ad qvam impingant & corruent omnes refractarii, qvi nolunt ædificio isti spirituali inseri vel aptari. Verba vero hæc desumpta sunt ex Esa. 8, 14. eaq; repetita leguntur Rom. 9, 23. qvomodo autem hoc contingat, Simeon in Evangelio hodierno declarat, nempe qvum Christus est εἰς σημεῖον ἀντιλεγόμενον, qvi erat à Patre omnibus comendatus summus animarum Pastor, ut eum omnes audirent Matth. 3. & 17. Act. 3, 23.

I. Loc. Commun.

ADam lapsus & sibi & posteritati notam ignominiæ inussit maximam, ut meritò omnes cum Daniele confiteamur cap. 9, 7. penes te Domine justitia, & penes nos confusio faciei: sed alter Adam Christus ignominiosam mortem oppetens, honorem nobis recuperavit, cujus reddimur fide participes. Hic pro nuditate Gen. 3. Salutis vestem Es. 61. retulit, qvod fuit olim tunicâ pelliceâ Adamo donatâ indicatum. Hic loco summæ egestatis Rom. 3. cœlestes divitias acqvisivit 2. Cor. 8. nos venditos emit, nos perditos redemit 1. Cor. 6, 20. 1. Pet. 2, 1. Apoc. 5, 9. ex servis Reges, ex inimicis amicos, imò filios DEI fecit Apoc. 1, 6. & 5, 10.

Joh.15,14.15. Rom.8. Gal.3,26. & 4,6. qvæ est summa dignitas, summus honor, summa gloria, major qvàm qvæ habebatur Mephibosetho à Davide 2.Sam.9. qvando regiæ mensæ adhibebatur.

II. Loc. Commun.

UT verò ille Regi agens gratias, utrâq; manu oblatam conditionem est amplexus: ita & nos decet in Christum credere, hoc est, Christum cum suo merito περιλαμβάνειν.

III. Loc. Commun.

ECce DEUS totâ die expandit manus, sed multi sunt rebelles ac contumaces Esa. 65, 2. DEUS per prædicationem verbi πείθει persuadet Act.13,43. & 18,4. & 19,18. & 28,23. ut oblatos gratiæ ac gloriæ suæ thesauros accipiant, sed pleriq; ἀπειθοῦσι, contumaciter ac præfractè tanta dona oblata rejiciunt, nec sibi persvaderi patiuntur, vera esse ea, qvæ de Christo & DEI voluntate afferuntur, more Agrippæ, mundana præferentis cœlestibus thesauris Act. 25, 28.

IV. Loc. Commun.

EA enim est mentis humanæ cœcitas, ea voluntatis pravitas, ut ipsum DEUM cum cœlo adventantem excludant, etiam illi, qvi volunt & debent in Ecclesiâ tenere primas. Christus est à Patre constitutus Rex Ecclesiæ Ps.2,6. sed pleriq; homines nolunt eum regnare super se Luc. 19,14. Christus est datus mundo Salvator Joh. 3. sed multi in alio qværunt salutem. Verbum omnibus proponitur, sed multi aures obturant, & hi sunt illi ἀπειθοῦντες, & lapidem angularem ἀποδοκιμάζοντες, Christus est ortus Sol justitiæ & lux mundi, sed multi amant delitescere in peccati tenebris Joh.1. & 3.

V. Loc. Commun.

CHristus est solus constitutus Ecclesiæ caput, Rex ac Judex. Caput, ut omnia membra ac totum corpus inde vitalem trahat spiritum: Rex, ut sibi colligat Ecclesiam, eamq; contra Diabolũ & mundum defendat: Judex, ut piis præmia, impiis merita decernat ac conferat supplicia.

VI. Loc. Commun.

QVemadmodum sæpe multa bona mala fiunt qvibusdam, ut noctuæ lumen solis, vinum febricitanti, opes abutenti, ita etiam Evangelii concio

concio per se odor vitæ ad vitam, incredulis fit odor mortis ad mortem. Sed tu Jesu Christe, qvi surrexisti ex mortuis, da ut per te exsurgamus tandem ad vitam æternam.

AD CIRCUMCISIONIS FESTIVITATEM.

Genes. 17, 10. 11.

HOdie novum annum, cum DEO, ingredimur: faxit idem, ut fiat hoc piè ac feliciter. Simul vero Christianè in memoriam eorum regredimur, qvæ superioribus annis nobis obtigerint beneficia, & qvæ in alios interea extiterint judicia, ac tùm meritò exclamamus cum Esaiâ cap. 55, 8. 9. Non sunt cogitationes ac viæ DEI, ut cogitationes ac viæ hominum: sed qvàm alti sunt cœli supra terram, ita altæ sunt viæ & cogitationes ejus super hominum. Nam vide cogitationes ac vias DEI in beneficiis, qvæ exhibuit, qvando ab æterno, cum nondum eramus, elegit Eph. 1. in tempore in Ecclesiâ nasci, ac per baptismum renasci voluit, in filios suos suscepit Gal. 3, 26. 27. & hactenus paternè protexit ac pace donavit, qvando tota Germania, aliæque regiones bello arserunt, & tamen non sunt consumptæ. Non fecit taliter omni nationi Psal. 147. & hæc in nostrâ regione. Qvæ verò in religione? Immensa sanè est ejus misericordia, qvòd nondum Papisticæ tenebræ, Calvinistica somnia, aut Photinianorum Arminianorumque ingruerint deliria. Vide Bohemiam, Austriam, Moraviam, Palatinatum, Belgium. Et qvum nos nostris peccatis vel graviora, qvam illi, vel certè non leviora promeruerimus supplicia, hactenus connivet, & peccata in hoc suo Israele non videt Num. 23. & qvàm alti sunt cœli supra terram, prævalet benignitas ejus supra timentes ipsum Psal. 103, 11. 12. 13. Non igitur sunt cogitationes ac viæ ejus, ut viæ hominum, in qvos si qvis peccat, vix modus est pœnæ aut suppliciorum finis. Vide verò, postqvam ita perpendisti DEI bonitatem, etiam ejusdem severitatem in judiciis, qvæ exercuit ex justitiâ, qvando qvosdam populos bello attrivit, qvosdam annonæ caritate afflixit, qvosdam peste horrendâ visitavit, atque etiam tum, qvando sine dubio multi ad DEUM clamabant ex illis. Ejus cogitationes ac viæ non sunt, ut hominum, & qvum exarserit ira ejus Psal. 2. ardet ad imum usque infernum, absumit terram & proven-

proventum ejus Deut.32,22. ut rectè hodie nobis insusurret Apostolus Rom.11,22. vide in eos, qvi ceciderunt, præcisam DEI severitatem: in te verò benignitatem, si in ea permanseris: alioqvin & tu exscinderis, & Salvator acclamet ex Luc.13,2.3.4.5. ne putetis tam miseris modis præ vobis peccatores fuisse, dico vobis, nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis. Det autem DEUS ipse, qvia illæ cogitationes nobis ex nobis sunt nimis altæ Ps. 139. 1. Cor. 2, 10. 11. 16. ut cum omnibus sanctis hodie incipiamus fide comprehendere, qvæ sit misericordiæ DEI longitudo & latitudo, qvæ profunditas ac sublimitas Eph. 3, 18. atq; ut ansa nobis præbeatur, placet aliqvid de mirabili DEI in circumcisione cum V. T. populis seu Judæis facto fœdere, idq; ex ipsâ institutione considerare. Partes constitui possunt duæ:

Ut prior sit fœderis declaratio.
Posterior ejusdem obsignatio.

Nunc verò Christe Jesu, qvi pro nobis hodie es circumcisus, ut fœdus DEI nobiscum initum, esset ratum ac firmum, nosq; per te consequeremur peccatorum remissionem, te ex toto pectore invocamus, circumcide intellectus nostri mundanas cogitationes, linguæ nostræ duritiem, aurium callositatem, omniumq; membrorum pravitatem, ut te digna de tuo fœdere sentiamus, dicamus & discamus.

PRIMA PARS.

CUm multa fœderum exempla in sacris nobis sint consignata, & qvædam etiam satis sanctè servata, tamen qvia contrahentes fuere mortales, etiam ipsa fœdera non erant perpetua: illud verò qvod DEUS cum suis fidelibus init, ratione substantiæ & fructus est verè æternum, siqvidem ipse est æternus, & qvotqvot cum fide verâ colunt, nunqvam mortem æternam oppetunt, unde rectè hoc respectu fœdus DEI cum Judæis in circumcisione initum dicitur perpetuum Gen.17, 7. 13. licet ipsum externum Symbolum suo tempore esset cessaturum, velut umbra, qvæ veniente corpore desinit Col.2. Heb.10. qvo nomine additur esse hoc fœdus, seu externam circumcisionis circumstantiam observandam per ætates Judæorum v.7. & 9. לדרתם dum durarent distinctæ tribus, & tota politia Judaica. Qvodnam itaque fuit hac ratione & respectu externæ circumstantiæ seu Symboli DEI fœdus? ita dicit Jehova, *Hoc est fœdus meum, quod servabitis*, ut faciatis, qvod præcipitur, qvate-

qvatenus ibi est qvoddam verbum mandati, & qvatenus ibi est verbum promissionis, verà fide amplectamini, qvemadmodum in N.T. sæpissimè dicuntur λόγον Θεῦ τηρεῖν, qvi in Christum credunt, & τηρεῖν τὰς ἐντολὰς, qvi secundum legem DEI vivunt Matth.19,17.& 28,20. Joh.8,51. & 14,21. & 15,10. & 17,6. 1.Tim.6,14. & in Epistola Johannis priori passim cap. 2. 3. 5. Fœdus vero hoc est *inter me* DEUM verum, fortem, & omnipotentem Gen.17,1. *& vos*, inter te, ô Abraham, & *semen tuum post te*, qvod te Patrem credentium credendo & coram me ambulando debet imitari, nimirum qvando totam actionem hujus Sacramenti consideratis, scitote, me Jehovam ab unà parte vobis promittere, fore ut sim vobis DEUS v.7. ne exscindamini ex populis vestris v.14. & vos ex vestrà parte vicissim polliceri, fore ut mihi serviatis in sanctitate & justitià cunctis diebus vitæ nostræ, qvemadmodum signo illo externo circumcisionis ab omnibus gentibus profanis estis distincti, & mihi dicati, meum peculium, regnũ ac sacerdotium Exod.19. Hoc fœdus juramento toties confirmatum est à DEO, qvoties semen benedictum, terra Canaan, imò salus æterna juramento adhibito sunt promissa.

I. Loc. Commun.

MAxima hæc est summi numinis bonitas, maxima hæc est miseri hominis felicitas, qvòd DEUS cum iis, qvi ab eo per peccatum discesserant Esa. 59. fœdus pangat, in qvo se & sua omnia promittit. Certè in eo maximè suum amorem immensum commendat, qvod inimicos suos adeò diligit Rom.5.1.Joh.4. Contrà autem si magnum qvid hoc reputabat David, esse generum Regis 1.Sam.18,23. An, inqvit, leve videtur in oculis vestris affinitate jungi cum Rege, cum ego sim vir pauper & vilis, qvantò majus hoc est æstimandum, qvod per illud fœdus nos, qvi sumus cinis & pulvis עָפָר וָאֵפֶר Gen. 18, 27. fiamus Christi Sponsa Hos.2. DEI filii & cœli hæredes Gal. 3. & per idem simus contra nostros hostes tuti. Nam si DEUS ita pro nobis, ut sit nobis fœdere junctus, qvis contra nos? Rom. 8. nunqvam deseret suos confœderatos, siqvidem fallere neqvit, qvi est veritas. Josua nolebat rescindere promissa Gibeonis facta, imò per dolum impetrata, ut in vivis conservarentur Josuæ 9. & noster Jesus suum pactum non servaret? omnino benignitas Jehovæ à seculo usque in seculum erga observantes fœdus ipsius Ps. 103, 17. 18.

II. Loc. Commun.

HOc enim ex nostrâ parte requiritur, ut nos fidei manu comprehendamus illas Dei promissiones, & simul mandata ejus efficiamus, siquidem in sacramento initiationis huic Domino nos militaturos strenuè sacramentum diximus, Ibimus, utcunq; præcedis, sacratum carpere iter comites parati. Unde dicitur hoc fœdus meum inter me & vos, nempe firmum id manet, qvamdiu homo non resilit. Nam Dei dona sunt ἀμεταμέλητα Rom. 11. sed qvemadmodum David conqveritur de qvibusdam suis subditis Ps. 18, 45. ad auditionem auris obedunt mihi, & alienigenæ mendaciter se dedunt mihi: ita longè rectiùs verus ille David de plerisq; suis confœderatis illud usurpare poterit, qvod diligant inanitatem, & procurent mendacium Ps. 4, 3. Deumq; suum turpiter derelinqvant.

III. Loc. Commun.

ETsi, ut Deus ipse unus est, ita & ejus voluntas in se sit una, tamen juxta duo præcipua Doctrinæ genera, Legem & Evangelium duplex appellari potest: in priori ostendit, qvid velit nos facere, in posteriori, qvid velit nos credere, ac ita salvari 1. Thess. 4, 3. Rom. 12, 2. Joh. 6, 39. 40. utraq; est servanda, & postqvam per hanc sumus filii Dei effecti, per illam filialem nostram Patri cœlesti probemus obedientiam, qvæ si abest, salvari nemo qvisqvam potest, licet non propter id, qvod adsit, qvisqvam beetur. Facilè igitur est conjecturam capere, qvî fiat, qvòd multi bonorum in fœdere Dei veraciter promissorum non reddantur participes; in promptu causa est, fœdus Dei non servant, sed suâ negligentiâ patiuntur sibi manum fidei, qvâ Christi meritum comprehendant, & pedes Christiano cursore dignos, qvibus in stadio à suo Imperatore sibi præscripto progrediatur, præscindi vel constringi à Diabolo, qvando ad exemplum Simsonis scortantur post mundanas delicias, & ut ille Delilæ adhærens Jud. 16. suo robore privatus, oculisq; captus in pistrinũ detrudebatur, ac ludibrium suis inimicis debebat perpetuum: ita & ipsi à Deo deficientes ad mundum ac Diabolum, nec verum vident, nec bona sectantur, sed tandem in carcerem infernalem detruduntur, ubi in æternum reservantur opprobrium atq; cruciatum.

IV. Loc. Commun.

DEus volens ostendere hæredibus promissionis immutabilitatem consilii

consilii sui, interpositione jurisjurandi usus est Heb.6,17, ut ita firmiter credamus v.18.19. Beati itaq; qvorum causâ DEUS ita jurat, infelices verò, qvi ne juranti qvidem credunt, ut habet Tertullianus. Et qvia hoc die amici sibi invicem solent mittere xenia ac dona; DEUS Pater noster donat suis Jus filiorum DEI Joh.1. & supernam illam manentem civitatem Heb. 12. interea verò dum plenarie illam possideant, conscientiæ tranqvillitatem Rom. 5. & ab hostibus securitatem Ps. 110. Mich. 5. David in regnum introductus suis subditis dabat tractam panis & lagenam vini 2. Sam. 6,19. Christus postqvam nos cooptavit in sui regni cives, donat nobis panem & aqvam vitæ Joh. 6. & 4. Imò instruit nobis mensam Ps. 23,5. & venit, ut abundemus Joh. 10,10. Magna itaq; est hujus fœderis divini nobiscum initi dignitas, necessitas, & utilitas, demus operam, ut illud rectè agnoscamus.

SECUNDA PARS.

ANgelus Jehovæ Jud.13,3. &c. imò Jehova ibid. v. 22. 23. rogatus de nomine suo, factis potius voluit declarare qvàm verbis, qvis esset, fuitq; mirificus: ita etiam DEUS suos mirabiliter separat Ps.4. à mundo, & si qvid unqvam rationi mirabile visum, certè est hoc, qvod seqvitur apud Mosen, hoc est fœdus meum seu signum fœderis, ut *circumcidatur vobis omnis ma.* qvod ne obscurius dictum cuiq; videatur per epexegesin satis luculentam utrumq; explicatur, *circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit signum fœderis inter me & vos.* Est enim ipsa circumcisio signum totius fœderis cum DEO initi, qvando illo externo signo monebantur, se cum DEO pactum iniisse, qvod illo sit ex parte suâ confirmatum.

I. Loc. Commun.

JOsua postqvam per Jordanem Israelitas traduxerat, paravit sibi cultros acutos, qvibus circumcidit eos, atq; inde locum vocavit Gilgalem, ideo qvòd hac ratione DEUS opprobrium Ægypti ab illis amovisset Jos. 5,1.2.8. Eadem ratio à Jesu vero in V. T. fuit observata in omnibus spiritualitur, ex judicii divini territorio traductos curavit circumcidendos, atq; ita opprobrium Adæ removit, fecitq;, ut essent deinceps cives terræ promissæ, seu potius hæreditatis in cœlo repositæ. Sed hæc olim tempore umbrarum: qvid itaq; hodie illa nobis prosunt? maximè. Primò. Qvia Ezechiel cap. 44,9. de tempore N.T. prædicit,

fore, ut nullus præputiatus carne veniat in sanctuarium Domini, ubi qvidem sub typo veterum umbrarum statum N. T. describit, sed hoc tamen simul innuit, ad nos qvoq; pertinere aliqvam circumcisionem, de qvâ paulo post. Deinde qvia Apostolus Coloss. 2, 11. huc alludit, ita scribens: In Christo circumcisi estis circumcisione non manu factâ, dum exuistis corpus peccatorum carnis. Licet igitur rectissimè post Christum exhibitum & sacramenta N. T. instituta Paulus scribat Gal. 5, 2. si circumcidamini, puta sub opinione necessitatis, qvasi adhuc nemo possit salvari sine circumcisione, Christus nobis nil proderit, qvia dum circumcisionem qvandam futuri Christi umbram urgetis, Christum, ipsum corpus, adesse negatis, atq; ita dum per illum abnegatum fide salvari neq; vultis, neq; potestis, debitores totius legis servandæ estis ibid. v. 3. qvamvis etiam Patres primæ in N. T. Synodi circumcisionem non esse deinceps observandam innuant Act. 15. tamen id omne de externâ circumcisione est accipiendum, interna autem ab omnibus Christianis qvàm maximè reqviritur. Ut igitur in V. T. præputium debuit amputari, ita in N. T. sunt rescindendæ in mente pravæ de Deo rebusq; divinis opiniones ac hæreses; in voluntate malæ inclinationes, ad qvævis scelera ac flagitia, in corde reprobæ suggestiones, in oculis libidó Matth. 5, 29. & 18, 9. in manibus habendi cupiditas ibid. v. 30. & 8. in pedibus ad effundendum sanguinem properantium celeritas Rom. 3, 15. metus Dei vacuitas ibid. v. 18. ex Psalmo 36, 2. ex linguâ maledicentia v. 14. ad summam, ex omnibus membris omnia mala. Hoc ipsum ex parte indicabat ipsa circumcidendi ratio, siqvidem ibi instituta, ubi maximè se prodit prava concupiscentia. Ut enim ex carnali generatione omnia mala nobis adsunt, ita per circumcisionem divinam ac regenerationem ea rescinduntur aut mortificantur, monstrante Apostolo Rom. 6. Et qvemadmodum olim in V. T. in ipsâ circumcisione pueris imponebantur nomina Gen. 21, 3. 4. Luc. 2, 21. Esa. 8, 2. 3. qvo semper hujus admonerentur fœderis, ita nos in baptismo nomen accepimus, qvod scriptum est in libro Dei.

II. Loc. Commun.

QVanqvam propter mysterium circumcisionis (ut vir est generationis principium primum, ita & ille circumcidi debebat, ut indicaretur, originem ac radicem malorum omnium per fœdus Dei gatio-

sum

sum cum fructibus tolli, nec imputari) soli viri circumcidebantur, non fœminæ: tamen qvia erant semen circumcisorum Exod. 12, 6. 48. in hoc fœdere etiâ continabantur, qvo spectabant leges puerperarum Lev. 12. & ex ipsâ circumcisione suorum parentum se sunt solatæ piæ V. T. fœminæ, ut Judith cap. 9, 15.

III. Loc. Commun.

UT olim fuit signum fœderis externa circumcisio, ita nobis semper in memoriam revocabit fœdus DEI nobiscum in baptismo initium mortificatio veteris Adami, qvando circumcidimus illa, qvæ ex pravitate ejus nobis adhærent; qvæ licet naturâ nobis arrideant, tamen hæc gratia & favor filiæ Pharaonis potius est abjiciendus, qvàm ut propterea ex regno cœlorum excludamur Heb. 11, 25. 26. Ut enim Moses, si apud illam voluisset commorari, nunqvam ad terram sanctam poterat pervenire, aut ad DEI colloqvium admitti; sic etiam homines mundani, qvi nolunt se ipsos abnegare, Christo ejusq; regno non sunt digni.

IV. Loc. Commun.

QVale signum fuerit circumcisio, optimè explicat Apostolus Rom. 4, 11. qvando non modò fecit mentionem σημείου, verum etiam σφραγίδος, qvod est notandum cùm contra Calvinianos, qvi sacramenta faciunt tantùm signa significativa, cùm revera sint etiam exhibitiva: & Pontificios, qvi negant sacramenta nos confirmare, ac certos reddere de DEI gratiâ, cum tamen sigillum omnino confirmet ea, qvæ sunt seu continentur in literis. Confer Joh. 3, 33. Rom. 15, 28. 2. Cor. 1, 22. Ephes. 1, 13. & 4, 30. Ita etiam qvæ DEUS in verbo promittit, in sacramentis confirmat, ut ita sint etiam tres in terrâ testes, Spiritus, aqva, & sanguis 1. Johan. 5, 8. iique ad unum, videlicet ut nos nil qvicqvam de gratuitis promissionibus DEI dubitemus, sed firmiter complectamur illum DEI Angelum, qvi nos ex omnibus malis liberat, secuti exemplum Jacobi Gen. 32. & 48. qvum & nos simus spirituales Israelitæ. Qvod si facimus, ut olim Josua eos introduxit in terram promissam, ita & nos noster Jesus traducet in æternam reqviem Heb. 4. ubi est gloria sine ignominiâ, cognitio sine ignorantiâ, juventus sine senectute, libertas sine servitute, pulchritudo sine deformitate, sanitas sine infirmitate, lux sine obscuratione, pax sine perturbatione, qvia DEUS est omnia in omnibus 1. Cor. 15, 28.

DOMINICA POST CIRCUMCISIONEM,

Matth. 2,13. 14 15.

JAcobum à filio suo Prorege vocatum DEus hortatur, ut in Ægyptum abeat, & promittit fore, ut adsit, deducat & reducat feliciter Gen. 46,3. 4. Nos qvi Israelem fide imitamur, à Rege cœli in mundi hujus Ægyptum Apoc. 11,8. sumus deducti, in qvo sunt tenebræ Joh. 1. & pressuræ Joh. 16. Pharao vero est Princeps hujus mundi Joh. 12,3. & 14,30. & 16,11. 2. Tim. 2,26. adeoq; Deus qvidam hujus seculi, 2. Cor. 4,4. cum suis Angelis in statu Ecclesiastico hæreticis, qvi meras tenebras luci verbi divini inferunt, & in statu politico tyrannis, qvi Ecclesiæ meras pressuras inducunt, qvalis in Evangelio nostro Herodes. Ut enim Pharao necabat ibi recens natos puerulos Exod. 1. ita ille multos in agro Bethlehemitico occidit infantes. Et, si qva bona ac pia in illis exsurgit cogitatio, vel bonum opus, impedit per sua instrumenta Diabolus vel planè interficit. Qvemadmodum verò Jacob cum suis in Ægypto ad certum ac à DEo prædefinitum tempus Gen. 15. & Josephus cum Christo manere debebat, donec ab Angelo evocaretur: ita etiam nobis ex hoc mundi ergastulo non est sine jussu Imperatoris decedendum, sed exspectandum patienter, donec ille avocet, & nostræ animæ per Angelos deportentur in sinum Abrahæ Luc. 16. Interea soletur nos & contra omnia mala muniat istud, qvod adsit, & ut in hunc mundum mirabiliter introduxit Ps. 22. ita etiam deducat per eum Ps. 73,24. & tandem ad se ex eo educat. Hoc itaq; Christiani jam discamus, ex hâc historiâ à Christo ejusq; parentibus. Nam

Exul erat Christus, comites nos exulis hujus
Esse decet, patriam si quis adire cupit. Partes constituentur tres.

I. *Qua fuerit* DEI *de suo filio providentia.*
II. *Qua Josephi obedientia.*
III. *Qua Scripturæ convenientia.*

Jesu Christe, qvi Israelitis per desertum vagantibus dux esse dignatus es in columnâ ignis de nocte, nobis etiam per mundi hujus inhospita tesqua, & lachrymarum vallem ad tuæ gloriæ collem tendentib°, igne verbi tui Jer. 23. prælucere ne dedigneris, ut ita omnibus tandem hostibus

hostibus tibi subjectis 1. Cor. 15. tecum possimus triumphare in terræ sanctæ antitypo, seu ipso cœlo, Amen.

PRIMA PARS.

IN primâ parte notanda sunt hæc tria 1. Angeli apparitio. 2. Fugæ demandatio, & 3. addita ei ratio; cui tamen brevissimè præmittitur occasio, qvæ est hæc: Qvando jam magi divinitus in somnis moniti, ne reverterentur ad astutum Horodem Matth. 2, 12. & illi divino mandato parentes, per aliam viam in regionem suam reversi erant, ipseq; Herodes ex morâ longiori facilè conjiceret, se esse delusum, ac consilia de occidendis omnibus infantibus agitaret, quò & recèns natum Judæorũ Regem è medio tolleret, ibid. v. 2. 16. postquam ipsi erant *regressi in suam regionem* (quod ipsum vocabulum Græcum ἀναχωρησάντων, innuit) *ecce*, vide, & nota, quomodo DEUS de suis nedum cogitantibus, qvid se malorum maneat, sit solicitus, & providam rerum curam gerat, tum ut confidas ei, tum ut vites peccata, qvum ille tam acutũ omnia cernat, nec unquam dormitet ille custos Israëlis Ps. 121. ecce verò *Angelus Domini*. qui stat in conspectu DEI, ut nutum ejus observet ac jussa expediat de mandato Jehovæ, cœlo delapsus *apparet*, vel apparere visus est, vel revera assumto ad tempus corpore cernebatur *in somnis* tempore noctis, quando somnia immittuntur hominibus; quomodo usurpatũ hæc phrasis Math. 1, 20. & 2, 12. 19. & 27, 19. Cui verò apparet? non improbo Herodi, aut ejus stipatoribus nequam, sed *Josephi*, Christi curatori, viro justo Matth. 1, 19. Quid autem affert? *dicens* & mandatum DEI exponens, *surge*, & experrectus *assume puerulum & matrem ejus*, Christum cum Mariâ supra v. 1. & 11. & *fuge*, seu celeriter abi, ac sine morâ te confer Math. 10, 23. *in Ægyptum*, quò in typo eum præcesserunt Patriarchæ Abraham Gen. 12, 10 Jacob cap. 45, 6. Josephus cap. 37, 28. *& esto* seu commorare *ibidem, donec dixero tibi*. ac te reverti jussero. Cur ita? *quia futurum est, ut Herodes quærat puerum*. quem ex Magis cognoscere non potuerat, & quærat, eâ gratiâ, *ut occidat*, ac perdat *illum*, ut ipse solus regno suo frueretur.

Loci Communes.

QUos, quia plures sunt, indicabimus potius, quàm exponemus, ex quibus quisque pro re natâ, ratione temporis & auditorii deligere potest nonnullos.

L. Loc.

I. Loc. Commun.

AD exemplum Magorum divinitus monitorum, & fugientium conversationem Herodis discamus nos vitare consortium malorum, ne contaminemur 2. Cor. 6, 14. 15. 16. 17. Ita Christus apparet Discipulis Emaunta se conferentibus, & à Pharisæorum Concilio se abstinentibus Luc. 24. Resonet itaq; semper in auribus illa vox cœlestis Apoc. 18, 4. Exite ex eâ populus meus, ne communicetis de peccatis ejus, nec accipiatis qvicqvam de plagis ejus.

II. Loc. Commun.

QVando iidem in suam revertuntur regionem, non ibi sacellum exstruunt, ubi Christum viderant, nec in cœnobium se abdunt; rejici videmus Monachorum nugas de locorum qvorundam sanctitate perpetuâ, & profectionibus ad ea, item de mutandâ vitæ conditione. Nimirum aliud sentiebat David Psal. 37, 3. 4. & Apostolus 1. Cor. 7, 17. 20. Qvisq; in qvâ vocatione vocatus est, in illâ maneto, nec Johannes baptista genera vitæ mutate svasit, sed vitæ vitia Matth. 3. Luc. 3, 10. 12. 14.

III. Loc. Commun.

IN eo ferme sunt omnia, ut Christianus tantum semper ante oculos animumq; sibi proponat DEI providentiam, qvod si fecerit, eum sine dubio timebit ac colet ut Dominum, amabit ut Patrem, confidet ut summo Monachæ. Est enim nomen Domini arx fortissima, qvò confugiens justus salvatur Prov. 18, 10. DEUS est suis propugnaculum Ps. 18, 3. murus igneus Zach. 2, 8. fluvius Es. 33, 21. idem omnia bene conficiet, si modò ipsi commiserimus Ps. 37, 5. & 55, 23. Prov. 16, 3. 1. Pet. 5, 7. Ut enim hic pro Christo suo vigilat, eumq; periculo præsentissimo subtrahit, ita hodie etiam novit & videt consilia malorum & cogitationes, qvas contra pios ineunt Ps. 2. Esa. 8.

IV. Loc. Commun.

ANgeli sunt ministratorii Spiritus Heb. 1, 14. qvi custodiunt pios in viis suis Ps. 91, 11. In omnibus ordinibus, statu Ecclesiastico, Politico, œconomico, vide Dn. Chemnitium part. 1. Loc. Com. & Angeli sunt nostri excubitores ac stipatores, ut olim Jacobi Gen. 32. vide Ps. 34, 8.

V. Loc.

V. Loc. Commun.

QVamvis nobis non sit promissum, & propterea neq; petendũ neq; exspectandum, ut Angeli ita nobis appareant, ut Josepho, tamen merito hic commonefactio illa est instituenda, rogandum esse DEUM singulis diebus vesperi, ut ipsius bonus ac sanctus Angelus nos de nocte custodiat, ne qvid juris in nos Satan habeat. Ita futurum est, ut nos spiritualiter fide intueamur illam scalam Jacobo in somnis oblatam Gen. 28.

VI. Loc. Commun.

ITa enim est, si qvis DEUM timet, & justa facit, acceptus est ei Act. 10, 35. & addit ei suos Angelos custodes, qvi contra Diabolum defendant Dan. 10. & 12. Tob. 8. Apoc. 12. à malis culpæ prohibeant Gen. 16. à malis pœnæ liberent 2. Reg. 6.

VII. Loc. Commun.

VIde qvomodo DEUS curet tenerrimam ætatem puerulorum, & sexum fœmineum infirmum? Vide etiam qvomodo piorum hominum operâ in ordinariæ suæ providentiæ cursu utatur, ut hic Josephi, & alibi Mosis, Davidis.

VIII. Loc. Commun.

MUlieres piæ in sepulchro ubi Christum non inveniebant, inde magnâ cum festinatione aufugiebant Marc. 16, 8. sic nos fugiamus illos omnes, in qvibus Christus fide non habitat Eph. 3. aut vivit Gal. 2. qviq; sunt velut sepulchra dealbata Matth. 23.

IX. Loc. Commun.

CUiq; in statione suâ manendum, qvamdiu DEUS inde non evocat, qvi velut summus Imperator aciem in Ecclesiâ instruit, & suum cuique locum assignat, qvem nemo temerè mutare potest, aut debet. Etiam nemo vitam sibi ipsi decurtet, aut ex eâ decedat sine ejus jussu, sed cogitet omnis pius, mea tempora, ô Deus, in manu tua Ps. 31, 16. Non enim est ab exortu, vel occasu, vel meridie exaltatio, sed DEUS judex hunc deprimit, & illum extollit Ps. 75, 7. 8.

X. Loc. Commun.

TAles plerumq; se Christo maximè opponunt, qvicunque maxima

ab eo accepèrebeneficia: ut hic Herodes per eum regnabat Prov. 8. ab eo potestatem acceperat Dan. 2. qvem ita oppugnabat Ps. 2. Act. 4.

XI. Loc. Commun.

CONsidera hîc DEI benignitatem, & hominum malignitatem. Is venit hos salvatum, hi eum perditum: is aderat vita, hic Herodes mortem minatur. Sed non minus indignè DEUM, Deiq; benevolentiam suscipiunt illi, qvi nomen DEI blasphemant execrando, diris devovendo, imò elementis, Sacramentis, Christi vulneribus diabolicè abutendo, & illis cupiunt multi eos ire perditum, qvæ in salutem ac vitam divinitus sunt ordinata, qvo peccato ut hodie nil freqventius, ita certè nil gravius dici aut cogitari potest. Væ verò illis Christi legatis, qvi ad tantum flagitium nil audent mutire! væ illis diis vicariis, qvi nolunt id severè punire! væ parentibus & Præceptoribus, qvi in suis hoc ferunt, imò qvandoq; suo exemplo pravo præeunt.

SECUNDA PARS.

HActenus DEI mandatum, nunc Josephi obseqvium videamus. Samuel vocatus à DEO, ecce me, inquit, loqvere Domine; qvia audit servus tuus, 1. Sam. 3. Ita etiam Josephus non obloqvitur DEO, non multùm inqvirit, non excusat noctem, viæ pericula, aut alias molestias prætendit, sed *experrectus*, ac exsurgens, *assumpsit puerulum & matrem ejus*, cujus ipse Pater existimabatur Luc. 3, 23. qvum tamen revera in terris esset ἀπάτωρ Heb. 7. *de nocte* intempestâ, *& secessit in Ægyptum, eratq; ibidem usq; ad Herodis obitum*, ubi maximè in genere notanda præceptionis & executionis congruentia, siquidem eadem verba hic in Josephi facto, qvæ supra in Dei mandato. Præterea observentur hi Loci Communes.

I. Loc. Commun.

JOsephus suo exemplo docet, qvòd, ut DEO est præcipiendi potestas, ita nos maneat obediendi necessitas. Si enim aliàs in rebus brutis, dixit, & facta sunt Psal. 33. & 148. qvanto magis ab homine, Domino rerum omnium, vult sibi præstari promptum obseqvium. Unde etiam homini in statu integritatis legem de non comedendo fructu arboris vetitæ posuit. Et ex his locis biblicis Exod. 35, 21. & 36, 21. Psal. 110, 3. & 51, 14. Rom. 6, 18. 1. Pet. 5, 2. 2. Cor. 9, 7. Philem. v. 14. Syr. 35, 10.

satis

satis liqvet, qvòd DEus tantùm probet opera non coactè sed spontaneo motu facta.

II. Loc. Commun.

QVisq; suorum maximè curam gerere tenetur, qvod qvi non facit, fidem abnegavit,& infideli deterior est 2.Tim.5,8. Conf.Gal.6,10.

III. Loc. Commun.

ETiam DEus iis adest, qvi ratione vocationis suæ coguntur de nocte iter facere,aut alia opera de nocte exercere: qvemadmodum olim de nocte duxit suum populum in columnâ ignis,Exod.14. & adfuit Jacobo Gen.28. & 32.Paulo Act.27,23. Aliàs qvisq; putet sibi dictum esse, qvod est apud Johannem cap.11,9. nonne duodecim sunt diei horæ, si qvis ambulat in iis, non offendit, & consentit Psaltes Psal.104,23. manè prodeat homo ad opus suum, & ad culturam suam, usq; ad vesperam, vide exemplum Abrahami Gen.22,3. Josuæ Jos.3,1.

IV. Loc. Commun.

JOsephus in Ægypto nullum habebat neq; notum neq; cognatum, & tamen DEi jussu eo profectus vivere ibidem potuit; ita DEus qvocunq; suos vocat, ibi ipsis de necessariis prospicit. Sic olim adfuit Abrahamo & Jacobo in Ægypto, Davidi exulanti, suo populo per desertum vaganti, Eliæ in solitudinem se propripienti, Apostolis à se emissis Matth. 10, 9. Luc. 22, 35.

V. Loc. Commun.

MUlta, sine dubio tamen adversa, in Ægypto pertulit Josephus, nec aufugit priusqvam mandaret Dominus: sic & nos bona mala toleremus, dum manus Jehovæ mutet Psal.77,11. Tu igitur labores & ærumnas sustine,ut bonus miles Jesu Christi 2.Tim.2,3. Notandum id fuerat illis, qvi ubi non statim sunt in re lautâ & bene auctâ, suum officium resignant,& miris modis conditionem meliorem qværunt. Mane donec tibi dixerit Dominus, qvi te non deseret, nec derelinqvet Heb. 13, 5. 6. Interim & hoc.

VI. Loc Commun.

DIscamus exemplo Josephi,qvod pericula rectè possimus,imò debeamus legitimè declinare, ut fecit David ex Saulis aulâ profugiens,

Christus Matth. 14, 13. Paulus Act. 27. Nam qvi amat periculum, in eo perit Sir. 3, 26.

VII. Loc. Commun.

QVia tandem fuit τελευτὴ Herodis, monemur, qvòd molestiarum, qvas creant mali bonis, tandem futurus sit finis; qvemadmodum tandem fatis suis cedens Herodes furere desinebat. Cum itaq; afflictiones hæ sint ἓ ὧν καιρὸς Rom. 8, 18. & τὸ παραυτίκα ὸλαφὸν 2. Cor. 4, 17. feramus patienter, cum DEus sit fidelis, qvi faciet cum tentatione eventum 1. Cor. 10, 13.

TERTIA PARS.

QVod in genere, seu indefinitè dicitur Amos 3, 7. non facit Jehova qvicqvam, nisi qvum revelaverit secretum suum servis suis Prophetis, id verissimè ita se habet in iis, qvæ erat Christus facturus & passurus: Unde etiam in illa dicuntur inqvisivisse diligentius 1. Pet. 1, 10. 11. & toties in N. T. repeti solet, ut impleretur, qvod prædictum est. Ita etiam hoc loco V. & N. T. convenientia hactenus ostenditur, nimirum Christus ita profugit in Ægyptum, & inde est divinitus revocatus, ut *impleretur qvod dictum est à Domino*, seu ipso Jehova omniscio, sed *per Prophetam*, qvi est vox DEI Esa. 40. *dicentem*, nempe Hoseam cap. 11, 1. *ex Ægypto vocavi filium meum*. Nam si inde verè debebat evocari, oportebat eum prius eò deferri, atq; ibidem paulisper commorari. Oritur autem hic dubium, qvis filius intelligatur apud Prophetam. Plerique interpretes statuunt ipsum Israelem eo nomine indigitari, & notari illud beneficium, qvando DEus illum eduxit ex Ægypto, ut ita præteritum aliqvod DEI inculceretur beneficium. Cumque Scriptura qvandoq; soleat qvædam capiti tribuere, qvæ sunt membrorum, & contrà, ut patet de hoc ex collatione locorum Psal. 2, 9. & Apoc. 2, 27. hoc loco Evangelistam ostendere, in Christo capite id aliqvando etiam esse completum &c. Qvæ licet non sint contra fidei analogiam, tamen qvia id apud Prophetam fuit prædictum, qvod in N. T. tandem implendum, ut habent verba diserta Evangelistæ, & necessariò, si unus utriusque loci biblici sensus esse debet, unus intelligatur utrobiq; filius. Evangelista autem de solo Christo loqvatur, malim id statuere, eundem etiam apud Hoseam denotari, ut si hic sensus: Israel licet ex parte ingratus,

adopti-

adoptivus filius meus, tamen eum diligo, sed in Christo, qvem, ut mundi Salvatorem, Ecclesiæq; suæ Regem diligo, & qvia diligo ac Ecclesiæ præfeci Psal. 2. ex *Ægypto* eum revocavi in Judæam, ut ibi educetur, doceat & patiatur, ut ita more Prophetis solenni Hoseas de certissimè futuro usurpet præteritum. Tum nihil obstat, qvod nulla sint vestigia in Hebæo, qvod Israel sit genitivus, qvia non in genitivo vertimus: Nec illud, qvòd illi filio, qvem Deus ex Ægypto vocavit, objiciatur ingratitudo, qvia hoc nuspiam probatur, siqvidem illi לְנַעַר non לְבֵן ea competit. Alia prolixa & ex omnibus conqvisita videantur alibi, mihi non placet facilè aliorum scrinia compilare, aut centones magnos contexere, sententia ipsa indicata.

I. Loc. Commun.

QVum Deus verax nullo modo mentiatur 1. Sam. 15, 29. Rom. 3, 3. Heb. 6, 18. & 10, 23. tandē est τιλείωσις τοῖς λελαλημένοις παρὰ κυρίου Luc. 1, 45. & qvia jam suo tempore Gal. 4, 4. prima illa liberatio per Christum facta est, de secundâ ne dubitemus, qvia verbum Dei non præterit Luc. 21.

II. Loc. Commun.

VErbum à Prophetis prolatum, imò à ministris verbi prædicatum, est ipsum Dei verbum Luc. 10, 16. 1. Thess. 2, 13. qvod contra Enthusiastas, Calvinianos, & alios notandum, de qvibus in A. 5. A. C. exegesi solet agi.

III. Loc. Commun.

DEI solius est salus Psal. 3, 9. & copiosa redemptio Ps. 130, 7. 8. Is verò ut populum Israeliticum ex Ægypto eduxit, ita in Christo omnes ex inferno liberavit, & nos, cum ipsi visum fuerit, ex mundi hujus Ægypto in verè sanctam nostram patriam evocabit, atq; traducet.

IV. Loc. Commun.

RAtio est, qvia nos diligit in Christo Eph. 1. & nos per eum jam factos filios hæredes vitæ æternæ efficiet Joh. 1. Rom. 8. Gal. 3. & 4. O Pater omnis misericordiæ, fac tandem finem hujus miseriæ, & nos participes tuæ gloriæ, Amen.

IN DIE EPIPHANIÆ,

Psal 72, 9.10.

QVando audierat Rex Babyloniæ miraculum illud, qvod Hiskiæ obtigit, misit ad eum suos legatos cum munere, ut inqvirerent de prodigio illo, qvod fuerat in illa terrâ, nimirum qvando Sol decem gradibus retrocesserat, atq; ita erat pristinæ sanitati Rex restitutus, sicut prolixius exponitur 2.Reg.20, 10. 11. 12. 2.Chron, 32, 31. Esa. 38. & 39. cap. Comparari cum illis legatis possunt Magi, qvi hodierno in Evangelio ad Christum ex Oriente venisse narrantur; illi enim, qvemadmodum isti in Babyloniâ motum Solis observantes, & ordinarium ejus cursum mutari videntes, qvid hoc esset, inqvisiverunt, qvando stellarum ortus & occasus attendebant sedulo, novam q; stellam apparere animadvertebant, cum muneribus adventant, eum ob finem potissimum, ut de miraculorum omnium mirificissimo instruerentur, videlicet qvomodo Sol justitiæ Mal. 4. per decem sphæras, ut vulgo numerant, ex cælo in terram sit delapsus, ut ita genus humanum ex morbo peccati hæreditario liberaretur, qvæ pietas magorum Deo tantopere probata est, ut longè antè eam voluerit prædici apud Esaiam cap. 60. de qvo aliàs, & in Ps. 72, 9.10. qvos jam cum Deo exponemus, ut ita etiam convenientia V. & N. Test. appareat. Partes erunt duæ:

Prior declarabit, qua sit futura etiam inimicorum Christi reverentia,

Posterior, qua subditorum Christi munificentia.

Jesu Christe, nil habemus qvod non accepimus; ideoq; te nunc qvoq; rogamus, ut dona tui Spiritus S. nobis largiaris, ut dona piorum tibi oblata & grata ita contemplemur, ut & nostra oratio ac devotio statuatur, ut suffitus coram te, & elatio manuum nostrarum, ut munus vespertinum Psal. 141, 2. & ego, qvi hæc aliis conor explicare, meritò cum Davide ita suspiro; sint accepti sermones oris mei, & meditatio animi mei coram te, Jehova rupes mea & redemptor mi Ps. 19, 15.

Pars Prima.

PSalmum hunc de Messiâ agere cum Judæis negat Calvinus & alii; sed contrarium constat ex iis, qvæ illi, de qvo fit sermo, attribuuntur; nempe ei competit æternitas v. 5. & 17. regni perpetuitas v. 7. Dominii immen-

immensitas v.8. Cultus & adorationis Divinæ majestas v.11. benedictionis potestas v. 17. qvæ aliàs in Genesi cap. 12.15.22.26. &c. Soli Christo ex interpretatione Apostoli Gal. 3, 16. tribuitur. Deniq; idem evincit mirabilis ejus nativitas, de qvâ v. 6. ubi alluditur ad historiam Gideonis, de qvâ Jud. 6. Sicut enim ibi prius solum vellus rore aspergitur, totâ reliqvâ terrâ siccâ manente & aridâ; ita solus Christus à Spiritu S. ex intactâ virgine nascitur, Patri dilectº filius, cui ubertim omnia contulit, ut ex ejus plenitudine omnes acciperent, & arefacta corda per eum irrigarentur cœlitus. Contrà verò, ut postea solum vellus rorecarebat, & tota terra aspergebatur eo, ita Christus in cruce exarescens, ut testa, solus à Patre deseritur, ut ita omnes homines ejus sanguine asperси vivere inciperent, sicut exponitur Psal. 22. Confer Ps. 110, 3. Porrò ut pluvia ex cœlo descendit, ita & filius DEI: ut illa terræ maximè prodest, ita hujus adventus est salus nostra, qviq; per verbum suum velut pluviam Esa. 55. ac rorem Es. 26. nostra arida corda rigat, ac aqvâ vitæ potat Joh. 4. Ipse habet regnum, & potentiæ, qvo in medio inimicorum dominatur Psal. 110. & gratiæ, qvod est in Ecclesia, ubi sua dona ac bona distribuit suis civibus. De illo agit v. 9. hujus Psalmi, & dicti nostri pars prior, *coram eo* לְפָנָיו *ἐνώπιον αὐτοῦ*, non tantùm qvod ejus conspectum ipsi, dum adhuc sunt mali, cogantur metuere, sed etiam qvia oculos ejus, omniscientiamq; effugere planè non possunt, *incurvabunt se honorem exhibentes*, genua flectent, qvod est signum reverentiæ siqvidem à כָּרַע, qvod hoc loco extat, derivatur nomen duale בִּרְכַּיִם, id est, crura. Incurvabunt autem se צִיִּים loca deserta & arida, metonymicè feri, barbari desertorum locorum incolæ, agrestes atq; indomiti potentiam hujus Regis agnoscentes, se subjugari patientur, & *inimici ejus pulverem lingent*, pronosq; se in terram prosternent, fatentes suam impotentiam, indignitatem, ac hujus Regis jugo se submittent, conferantur loca Ps. 17, 13. & 22, 30. Mich. 7, 17. Esa. 49, 23.

I. Loc. Commun.

INdicatur hìc Christi Regis omnipræsentia, ipse enim, qvod ad impios, in medio inimicorum dominatur, qvòd ad pios, adest suis usq; ad consummationem seculi Matth. 28. semper autem debet hoc omnibus Christianis esse in conspectu, qvòd stent & sint ipsi, ubicunque sint, in conspe-

conſpectu ſui Domini, & proinde qvod eum poſſet offendere, ſedulò vitent. Si enim qvid turpe nemo audet in oculis alicujus viri honeſti & gravis, multò minus turpia qvis aggreditur, qvamdiu rectè cogitat Deum hoc cernere vindice ſuo oculo. Beatos jam Regina Sabæ prædicet ſervos, qvi ſtant in conſpectu Salomonis: beatiores ſunt, qvi jugiter obſervant nutum ſui heri, & Regis Chriſti Jeſu Pſ. 123, 2. Matth. 12, 42. 50.

II. Loc. Commun.

QVando Spirtus Sanctus reverentiam Chriſto exhibendam per flexionem genuum denotat, habemus, qvod de externis ceremoniis obſervemus, nimirum eas probari, qvæ ad decorum faciant & cordis pietatem declarant, qvales ſunt manuum complicatio, oculorũ elevatio, capitis apertio, genuum flexio, &c. qvod ſi ita eſt, errant Pontificii, qvi eas adhibent & urgent, vel ſine ullo bono cordis motu, & animi affectu, vel eo fine, ut Deo cultus aliqvis in illis præſtetur, qvibus Salvator illud occinit ex Eſa. 29. qvod extat Matth. 15, 8. 9. & qvod additur eidem Marc. 7, 8. 9. Errant etiam Calviniani, qvi talia externa velut mera Pontificis Romani deliramenta rejiciunt omninò, qvum non modò in ſacris hinc inde qvædam præcipiantur, qvædam ſæpius indice digito oſtendantur, & proponantur in exemplis ſeqvenda. Sed ita fieri ſolet, dum vitant ſtulti vitia, in contraria currunt, qvemadmodum de multis aliis Calvinianorum placitis poteſt probari, qvando nimium cupiunt vitare papiſmum. Nos tenemus illud de genu flexione, qvum per illam totus cultus divinus alicubi deſcribatur, ut, 1. Reg. 19, 18. Pſ. 22, 30. Eſ. 45, 23. Mich. 6, 6. Rom. 14, 11. Phil. 2, 10. & exempla Chriſti Luc. 22, 41. & Chriſtianorum etiam in N.T. Luc. 5, 8. Act. 20, 36. & 21, 5. ſicut in V.T. Salomonis Regis 1. Reg. 8, 54. Eliæ Prophetæ 1. Reg. 18, 42. extent, poſſe eam ſine ullâ ſuperſtitione rectè uſurpari.

III. Loc. Commun.

QUantumvis homines ſint maximè feri, tamen qvum cogitant, Chriſtum eſſe Dominum, & judicem totius terræ, cui aliqvando ſit reddenda ratio 2. Cor. 5, 10. contremiſcunt cum Felice Act. 24, 25. & proinde ſæpius illud fuerat inculcandum cum ſeveritate debitâ Tit. 2, 13. 15.

Nemo adeò ferus eſt, ut non mitescere poßit.
Si modò cultura patientem accommodet aurem.

Vide 2. Tim. 2, 24. 25. 26. illa verò cultura ſpiritualis agricolæ Luc.

Luc. 8. qvomodo debeat rectè & sedulò institui, non more modoq; vulgi, Paulus, electum illud DEI vas, suo exemplo ac præcepto docet Act.20,20.21.25.27.28.31.

IV. Loc. Commun.

SI Davidi cogebantur omnes ejus hostes tandem se subjicere 2.Sam.8. multò magis illi, qvi volunt θεομαχεῖν Act.5. Coguntur omnipotentem DEI experiri manum, & potentiam ejus agnoscere, cujus oblatam spernebant gratiam. Hic enim est ille Rex, qvem cum nolunt multi super se regnare, reversus ad judicium suos hostes pro merito punit Luc. 19, 14. 27.

V. Loc. Commun.

EX tota verò hac parte potest proponi illa, qvæ hodierni diei propria est, doctrina, nimirū de vocatione gentium ad Ecclesiam. Ut enim hic ea qvoq; est prædicta: ita Paulus narrat Eph.2,12.13.14.15. qvòd illi, qvi fuerint longè remoti, sint advocati, hostes sint reconciliati; id qvod sub initium N.T. cœpit, qvando primitiæ gentium, Magi, ad Christum accessere, eumq; humiliter adoraverunt. Tum Petro Act.10. offertur illa visio, animalia hactenus sub lege habita immunda nunc ab illo ejusq; collegis esse spiritualiter DEO mactanda, Confer Rom.12,1. dum ipsi docuerunt, abnegandam esse omnem impietatem, & domandos esse pravos omnes ac beluinos affectus Tit. 2,12. leonis crudelitatem, lupi rapacitatem, ursi ferociam, canis iram, eqvi libidinem, asini tarditatem, vulpis astutiam, serpentis calliditatem &c. & ut verbo dicam, qvi erant antea filii diaboli, tum reddebantur filii DEI Joh.11,52. qvi antea erant aberrantes oves Joh.10. 1.Pet.2,25. ad pastorem animarum, sunt conversi Luc. 15. ita DEUS hodie voluit allicere Japhetum, ut habitaret in tentoriis Schemi Gen. 9, 27.

SECUNDA PARS.

ET meritò is accessit vocatus, siqvidem si olim, cùm audiebant homines, qvâ sapientiâ esset præditus Salomo, ex omnibus populis accurrebant 1.Reg.4,33.34. & qvidam etiam munera afferebant 1. Reg.10,10. multo rectius omnes approperare fas fuit, qvando verus ille Salomo & Rex pacis, de qvo hic Psalmus 72. loqvitur, & qvi Salomone major est Matth. 12. suam sapientiam in prædicatione Evangelii manifestat, ni-

mirum Reges animadvertere, & judices terræ eruditionem percipere debebant Psal. 2, 10. qvod etiam futurum fuisse hic porrò prædicitur, *Reges* Tarsis, seu matris (nam תַּרְשִׁישׁ per antonomasiam qvandam mare denotat, ut fuit explicatum Jon. 1,3. licet ibi non ita usurpetur) qvia Tarsus ad mare erat sita, & synecdochicè omnes Oceani accolæ isto possunt venire nomine, *& Insulæ* metonymicè, incolæ earum, *munus adducent* שִׁיבוּ reddent, vel qvòd à DEO, qvicqvid habent, acceperunt, vel qvòd nunc tandem, qvod hactenus deastris seu idolis tribuentes DEO vero sunt suffurati Hos. 2. DEO vero reddant, *Reges Schebæ & Sebæ* felicis & desertæ Arabiæ. Vide notas in cap. 10. Gen. v. 7. *Donarium afferent* vox אֶשְׁכַּר potius est peregrina, qvàm hebræa, licet possit ratione literarum reduci ad radicem שָׁכַר inebriatus fuit. Eam verò more suo perperàm legerunt græci interpretes vertentes ἐν μισθοῦς, qvasi esset שָׂכַר: Spiritus S. autem adhibuit, qvum de peregrinorum donis ageretur, qvi ex terris procul dissitis erant sua donaria oblaturi; qvod egregiè indicatur hoc loco verbo hebræo יַקְרִיבוּ appropinqvare facient. Qvid autem notetur hisce phrasibus, seqventis versus exegesis clarè docet, *adorabunt eum omnes Reges, & omnes gentes ei servient.*

I. Loc. Commun.

CUm magistratus à DEO maximo honore sit affectus, atq; adeò, ut ejus in terris vicem sustineat, unde etiam nomine Deorum in illo constitutos Spiritus S. dignatur Ps. 82. Joh. 10. Decet eum etiam maximè in hoc incumbere, ut subditis in pietate bono præluceat exemplo 2. Chron. 19, 7.

II. Loc. Commun.

CUm etiam maximum sit beneficium, qvando per mare merces exoticæ in urbem possunt importari, & quibus ea abundat, aliò transportari, eoq; etiam hæc nostra ora, atq; adeò omnes urbes Anseaticæ sint affectæ, decet vicissim illas Domino gloriæ portas aperire, ut intret Psal. 24. & de sua abundantia pauperibus largiter succurrere. Qvicqvid enim minimo membrorum Christi afflictorum factum est, ipse in extremo judicio sibi factum esse coram toto mundo prædicabit Matth. 25. Ita jam non est necesse qværere, qvomodo & nos possimus Christum

ſtum noſtris muneribus honorare, Confer Matth. 26, 11. & 10, 40. 41. 42. cumq; jam ultra centum annos noſtri majores Chriſto aurum fidei, thura precum, & myrrham patientiæ in cruce obtulerint, videamus, ne deinceps degeneremus, aut ille à nobis aliò transmigeret, noſtrâ ingratitudine velut Samaritanorum rejectus Luc. 9, 53. vel incuriâ, ut Gergeſenorum neglectus Matth. 8, 34.

III. Loc. Commun.

INſulæ qvando medio in mari conſervantur divinitûs, ne aqvis opprimantur, DEI providentia hinc elucet maxima, & viciſſim qvæ ab earum incolis DEO debeatur reverentia, vel qvæ hujus in illos ſit ira, docet exemplum antediluvianorum, Ægyptiorum & noſtro ſeculo ſtrandenſium, aliorumq; miſerè in aqvis ſuffocatorum.

IV. Loc. Commun.

DAvid qvum ſeqveretur oves Patris ſui, divinitus vocatur ad Regnum, Deiq; auxilio hoſtes ſuos fundit, ab iis multa ſpolia reportat, & theſaurum reponens præparavit pro domo DEI, ita autem illa omnia, qvæ ſunt adeò multa, ut vix fidem apud noſtros non adeò beneficos inveniant, DEO ſuo conſecrat 1. Chron. 29, 12. 14. 16. divitiæ à facie tua ſunt: Etenim qvis ego ſum aut populus meus, ex te ſunt hæc omnia, & à manu tua hoc, qvicqvid eſt, acceptum reddimus tibi, Jehova, tota hæc rerum multitudo, qvam paravimus ad ædificandam domum pro nomine ſancto tuo, è manu tua eſt, & tua hæc ſunt omnia. Hoc exemplum pii Regis omnes DEI œconomos in omnibus ordinibus oportet qvotidiè cogitare, ac ſecum perpendere, qvid & qvantum beneficiorum, donorum ac bonorum à DEO acceperint, qvidq; meritò Jehovæ rependere debeant, omnia enim creavit Jehova ad reſponſum ſuum Prov. 16. Sapiens DEO reddat ſuam ſapientiam, robuſtus fortitudinem, dives divitias &c. videantur hac de re admonitiones Apoſtolicæ Rom. 12, 6. 7. 8. 1. Cor. 12, 4. 5. 6. 7. &c. 1. Pet. 4, 10. 11. qvicunq; verò ea, quæ à DEO accepit, non reddit ipſi, dum non omnia facit ad nominis divini gloriam, ſacrilegii reus eſt, gravesq; olim de tantâ ingratitudine rationes reddet, ſapiens qvi hæreſes invenit vel ſpargit, robuſtus miles qvi aliis vi ſua eripit, dives qvi opibus ad luxum ac ſuperbiam abutitur, & ſic de cœteris.

V. Loc. Commun.

QVando munus, qvod reddent Reges & Insularum incolæ, qvodq; gratum sit adversus Jehovam, vocatur מִנְחָה non extortum, sed sponte oblatum, monemur Deo spontaneum tantum probari Spiritū, non coactum cultum Ps. 110, 3. 1. Pet. 5, 2. 2. Cor. 9, 7. Ut enim illos omnes Gideon jubebatur tanqvam inutiles domum remittere, qvi erant timidi aut tardi Jud. 7, 3. ita Deus repudiat eos omnes, qvi ipsum velut suum Imperatorem gementes seqvuntur.

VI. Loc Commun.

SIcut Dominus ab omnibus servis, tam ab illo cui unam, qvàm ab illo cui decem minas concrediderat, rationem reposcit, Matth. 25. Luc. 19. & hoc loco tam Sebæ qvàm Schebæ populos sibi vult offerre munera, docemur, hoc neminem excusare, qvod pauca à Deo acceperit, neq; hoc minus gratum esse Domino, si qvis pauca pro suâ conditione præstet, qvàm si alius multa ac magna; Ita enim paupercula vidua dans duos obulos laudatur, Luc. 21, 1. 2. 3. 4. Marc. 12, 41. &c. Nam ut olim in festis solemnioribus nullum volebat Deus coram se comparere vacuum, Exod. 23, 15. sed pro eo, qvod habebat ac poterat, offerre Deut. 16, 16. 17. ita nos etiam in N. T. decet unumqvemq; pro re suâ libenter conferre, qvod faciat ad ædificationem templi spiritualis.

VII. Loc. Commun.

QVi aberant in V. T. longè, in N. facti sunt propinqvi Eph. 2. & illi qvi qvondam in vestibulo cogebantur morari, nunc in ipsum templum Dei admittuntur, Deoq; omnia sua devovent, vide qvæ dicta sunt Zach. 14, 14. 21.

VIII. Loc. Commun.

EX tota autem hac parte discimus, qvænam sit vera Christianorum libertas, nimirum Deo servire, eiq; vivere Rom. 6. mundo autem & sibi ipsis mori, qvapropter

Sis pius, & uitæ tibi meta sit ultima Christus,
Per quem dulce pio vivere, dulce mori.

DOMI-

DOMINICA I. POST EPIPHANIAM,
Deut. 6, 5. 6. 7.

GEn. 18. commendatur valdè Abrahami pietas, non tantùm qvòd hoſpitalitatem exercuerit, atq; ita inſcius etiam Angelos ſuſceperit Heb. 13, 2. verùm etiam qvod ſuis filiis ſit præcepturus, ut obſervent viam Jehovæ, exercendo juſtitiam & judicium, atq; ut præſtet Jehova, qvod promiſit v. 19. Ita etiam nobis Jehova Joh. 14, 23. cum ſuis Angelis Heb. 1. v. ult. aderit, ſi modo nos eum dilexerimus, & libenter cum diſcipulis Emmaunticis hunc Dominum exceperimus Luc. 24. qvando venit in ſuis legatis, ſeu fidelibus verbi præconibus 2. Cor. 5, 20. ſtat ad oſtium cordis noſtri & pulſat, ſi qvis audit vocem ejus, introibit Apoc. 3, 20. tùm vero maximè hoc futurum eſt, qvando diligenter verbum DEI ſcrutamur ad Chriſti præceptum Joh. 5, 39. & Berrhoënſium exemplum Act. 17, 11. de mirabilibus Domini loqvimur Pſ. 119. Luc. 24, 36. & viam Jehovæ in verbo præſcriptam obſervamus Pſ. 128, 1. exercendo juſtitiam, non modo illam juſtitiam fide imputatam bonis operibus declarando Gal. 5, 6. ſed etiam DEO, qvod eſt DEI, tribuendo Matth. 22. juxta primam Decalogi tabulam, & judicium præſtando, qvod reqvirit ſecunda decalogi tabula, erga proximum. Hæc demum eſt vera illa & probata enutriendi ac inſtruendi liberos ratio in diſciplina & admonitione Domini Eph. 6, 4. eamq; qvando in hodierno Evangelio in parentibus Chriſti obſervamus, placet ex Moſe explicare, qvàm ſeverè DEUS omnibus mandaverit, præſertim iis, qvi ſunt parentum loco, non tantùm, ut ipſi DEUM ritè colant, verùm etiam ſibi concreditos in pietate erudiant. Partes dicti erunt duæ,

Prior, quænam uniuscujusq; hominis debeat eſſe in DEO colendo integritas.

Poſterior, quæ in DEI cultu alios inferiores docendo reqviratur ſedulitas.

Jeſu Chriſte, nos poſtqvam à latronibus infernalibus ſumus in protoplaſtis noſtris miſerè percuſſi, jacemus ſemimortui Luc. 10. Imò planè in peccatis exſtincti Eph. 2. qvomodo igitur te ex noſtris viribus diligamus, qvi vita ipſa es? Ex toto corde? Cor noſtrum eſt tardum ad credendum iis, qvæ dicta ſunt per Prophetas Luc. 24. eſt obſcuratum te-

nebris Eph.4,17. qvomodo igitur ei ſine te lux verbi tui illuceſcet aut orietur? acumen ingenii noſtri eſt hebes Gal. 3,1. niſi tu illud exacuas, lingua noſtra eſt muta, nec eloqvitur vias tuas, niſi tu eam ſolvas, Marc.7. & os noſtrum aperias Pſal. 51. Tu qvi per tuam infinitatem nusqvam abes, fac cogitemus imò ſentiamus te nobis, ubicunq; locorum fuerimus, præſentiâ gratiæ adeſſe, & proinde ut omniſcium Dominum ac futurum totius terræ judicem reverenter colamus, Amen. Eccl. 12, 13. 14.

PRIMA PARS.

Sirac. 18, 30. optima eſt fiducia in Dominum ſolum, qvandoqvidem mortuum cor adhæret rei mortuæ. Explicatio hæc qvædam eſt primi præcepti κατὰ θέσιν, κατὰ ἄρσιν,

Fide Creatori, nullis confide creatis.

Ille enim ſolus eſt vita, & qvi credit in eum, mortem non videt æternam Joh.8. Ille ſolus vivit & regnat in cœlo, & qvæcunq; vult, facit Pſal. 115. Reliqva omnia idola & deaſti gentium nil ſunt, nil poſſunt ibid. & 1. Cor. 8, 4. 6. Multi diligunt divitias, in auro ponunt ſpem ſuam, & inſigni auro dicunt fiducia mea Job. 31, 24. ſed hoc non poteſt eripere die furoris Jehovæ Soph. 1, 18. Alii ſunt φιλήδονοι μᾶλλον, ἢ φιλόθεοι 2.Tim.3,4. ſed tales in delitiis viventes vivi naturaliter, mortui ſunt ſpiritualiter 1. Tim. 5, 6. imò ſæpe ex improviſo ex hac vita & deliciis ſuis abripiuntur Dan.5. Luc.12. Alii honore ſuo abutuntur, ut Rex Babylonis Eſa. 14. Dan.4. Alii robore ſuo freti miſerè piriere, ut Goliathus 1. Sam. 17. & qvis poſſet omnes pereundi modos enarrare, qvi obtingunt iis, qvi rebus perditis ac perdendis adhærent. Rectè igitur Moſes: Audi Iſrael, Johova DEUS noſter unus eſt & ſolus Pſal. 86, 10. Eſ. 37, 20. & ſi ille ſolus eſt Jehova, qvi à ſe, & à qvo reliqva omnia, ſummum illud numen, & ens entium ſupra alias res omnes meritò diligendus ac colendus eſt. *Itaq; diliges Jehovam Deum tuum,* qvi multis magnisq; beneficiis ſuum amorem tibi probavit abundè, *ex toto corde tuo,* ut in nullo alio ponas fiduciam, *ex toto animo tuo* & in omni vitâ ac propoſito tuo nullum alium ſperabis aut invocabis, qvàm eum, *& ex omni virtute tua.* Heb. *toto valde tuo* hoc eſt, eo omni, qvod valde in te amas vel ipſe, vel alii, qvodq; aliis merito præfers, unde rectè vertitur hoc loco, ex omnibus vel totis viribus tuis, ſiqvidem כל apud Hebræos utrum-

utrumq; notat, & per ὅλ@· redditur Luc. 10, 27. ubi hoc primum & præcipuum in tota lege præceptum allegatur, sicut & Marc. 12, 30. ac Matth. 22, 37. ex qvorum dictorum collatione etiam hoc liqvet ב rectè posse verti per ἐξ & ἐν. Qvod vero ibidem additur ἐξ ὅλης τ῀ διανοίας ζ῀, videtur esse qvædam explicatio seqventium verborum apud Mosen, *& erunt verba ista, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo*, hoc est, sedulò de iis semper cogitabis, nec unqvam excidere animo patieris, & hæc ut tanto melius observentur, etiam rythmos qvosdam hebraicos in textu esse adhibitos videmus.

I. Loc. Commun.

OMnis pietatis fons & origo est, scire ac firmiter credere, qvòd Jehova sit unus & solus DEUS super totam terram, à qvo, in qvo, per qvem, ad qvem sunt omnia, qvi solus ab æterno; cum reliqva omnia habeant suum principium ac finem. Id enim si nobis persuaderi patimur, potiùs solliciti simus, ut illum unum habeamus, qvàm omnia cætera Psal. 73, 25. 26. Nam qvid desit illi, qvi DEUM omnia creantem ac possidentem habet. Considera Abrahamum ex patriâ extorrem, Jacobum profugum, Israelitas & Eliam in deserto, Danielem in exilio, & cum videris qvomodo illis, cum nil fuerit, nil defuerit, ubi DEUS adfuerat, tu qvoq; confidere DEO discas, neq; ad vetita vel illegitima media unqvam descendas, aut rebus mundanis te mancipes, qvum utrobiq; mala resident præmia.

II. Loc. Commun.

OMnia flumina, inqvit Rex sapiens Eccl. 1, 7. à mari oriuntur & in mare revertuntur, nos rectius & magis piè: omnia bona dona à DEO descendunt, ergo etiam omnes homines suâ gratiarum actione & amore ad eum ascendant, hunc solum reverenter adorent, & præsentem DEUM habeant. David unico illo beneficio à Jonathane affectus, qvod, ut vitæ suæ fugâ consuleret, esset admonitus, fatetur se eum amasse magis, qvàm ullam mulierem 2. Sam. 1, 26. Ecce DEUS modum salutis invenit, & procuravit ipse solus per filii mortem, & adhuc qvotidiè monet ac rogat, nobis ipsis consulamus exeundo ex Babylone hujus mundi Apoc. 18. fugiendo in montem DEI, cujus typus qvidam est in Lotho egresso Sodomâ. Mephiboseth á Davide iterum donatus bonis patriis,

patriis, qvæ persolvit ei sostra, qvam ei etiam exuli declarat sinceram benevolentiam 2. Sam. 9. nos qvæ in Adamo Patre nostro perdidimus, per Christum alterum Adamum recuperavimus. Nonne igitur hunc diligemus? omnino dicit Johannes 1. Epist. cap. 4, 19. qvia ipse dilexit nos prior, qvando creavit, cum eramus nihil, qvandò redimit, cum eramus perditi, qvandò illuminavit suo verbo, cum sedebamus in tenebris Esa. 9. & paucis, qvid habes, ô homo, in animo ac corpore, in bonis fortunæ, in donis naturalibus ac spiritualibus, qvod non accepisti? 1. Cor. 4, 7. si autem à DEO accepisti, scias te ei ad omnem cultum & amorem merito esse obstrictum.

III. Loc. Commun.

ET qvis non diligat illum æternum ac omnipotentem, illum animum paternum & clementem? Illud notat vox *Jehova*; hoc vox, *DEUM tuum*. Reliqva enim sunt tantùm apparentia bona, vel fluxa & caduca, Jehova autem semper unus & idem Ps. 102. ita valetudo, honor, divitiæ, voluptates bona sunt nunqvam propria aut perpetua, Jehova autem cujus est portio Ps. 73. elegit bonum, qvod nemo potest ei eripere Luc. 10, 42. Et si est Jehova, habet juvandi facultatem, si est DEUS noster, habet miserendi voluntatem Psal. 103. & amorem in nos plusqvam maternum Es. 49. Jam vide saltem matrem Mosis, qvàm sollicitè curet filii sui vitam, & cum summo suæ vitæ periculo, Exod. 2. & hinc conjice cætera. Si Deus nos dilexit, qvum adhuc eramus ejus inimici, qvantò magis justificati & reconciliati per filium servabimur? Rom. 5, 9. 10. Postqvam enim Christus jam omnibus officii mediatoris partibus expeditis in cœlum erat ascensurus, verè dicit; Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum, ad DEUM meum & DEUM vestrum, Joh. 20, 17.

IV. Loc. Commun.

SEd multi homines dicunt, se Deum diligere 1. Joh. 4. multi ex parte amant ac ei confidunt, simul autem in aliis rebus spem suam locant, hoc primum decalogi & præcipuum omnium mandatorum præceptum vetat. Ut enim mater coram Salomone contendens volebat sibi totum ac vivum suum dari filium 1. Reg. 3. Sic Deus vult totum hominem Rom. 12, 1. & ut olim in V. T. holocaustum (qvod nomen etiam ipsum

ipsum innuit) totum comburebatur,& igne quidem divinitus accenso, ac postea jugiter conservato Levit. 6,2. 5. 6. & 9, 24. ita etiam oportet illum amorem, qvi DEo magis placet, qvàm holocaustum, esse ex totó corde, divinitus, flammâ amoris acccenso Marc.12,33. inde nihil qvicqvam cessit aliis,neq; hic DEus patitur rivalem aut socium. Qvando uxor Lothi ad montem properabat, ita tamen, ut ad Sodomam respiceret, eripere se non potuit, sed facta est statua salis,ut te fatuum condiat Gen. 19. idem omnibus continget, qvi mundum potiùs amant, qvàm DEum Luc.17,32.33. qvalis fuit Demas 2.Tim.4,10. & multi Christi discipuli Joh. 6. Luc. 9, 62.

V. Loc. Commun.

MUlti autem,qvum florem juventutis consecrarint Diabolo,fæcem senectutis DEo devovent,qvum cor ipsum applicuerint rebus terrenis,os,manus,linguam,aliaq; externa membra in DEi cultu more hypocritarum,de qvibus Matth.6.& 23. occupant, & non secus cum DEo agunt, ac in fabulâ adumbratur, ubi qvis dicitur invocasse Mercurium, ut adesset sibi propitius in hoc itinere, si qvid inveniat, fore ut ex æqvo dividat; invenit autem sacculum repletum amygdalis nondum purgatis, tum ille nucleos comedens, putamina DEo obtulit, qvi dederat omnia. Tales erant omnino illi, de qvibus DEus conqveritur Mal. 1, 8. &c. qvòd cum habeant multa pecora benè curatâ cute, macilentum, cœcum, claudum, pollutum, ægrum ac debile offerunt. Tales sunt, qvi tum DEum volunt colere, qvando ad alias res obeundas sunt minus apti, vel qvi DEo consecrant,ex qvo precium sperare non possunt. *Ridicule! hæc Domino, nequeunt quæ vendere, donant.*

VI. Loc Commun.

QVum DEus dicit improbo Psal. 50, 16. 17. qvid tu assumis fœdus meum in os tuum, cum oderis disciplinam, hoc ipsum perstringit, qvod est vitium valdè usitatum, qvod homines multa de rebus divinis garriant, & nihil faciant, qvos fatuis ædificantibus comparat Salvator Matth. 7. Jacobus oblivioſis cap. 1, 23. 24. & Petrus 2. Epist. 2,15. Judæ v. 11. talibus mercedem Bileami promittunt. Hi sunt qvi labiis appropinqvant,dum cor procul abest Esa.29,13. qvi culices colant, & camelos deglutiunt,decimant mentham,sed graviora legis, judicium de doctri-

nâ, misericordiam in proximum, & fidem in DEUM dereliqverunt Matth. 23,23.24. Qvia autem in N. T. omnes sunt facti spirituales qvidam sacerdotes 1. Pet. 2. Apoc. 1, 6. ut olim Pontifex maximus urim & thummim ac sacrum pectorale super cor gestabat, unde, qvæ esset DEI voluntas, cognoscebatur Exod. 28,15.30. ita sint verba legis etiam super cor uniuscujusq; pii, unde discat, qvid DEUS velit nos facere, qvid omittere Rom. 12, 2. Eph. 5, 17. Et hæc in cultu DEI reqviritur integritas.

SECUNDA PARS.

QVando Salomo vim verbi divini, ejusq; efficaciam descripturus est Eccl. 12,13.14. confert illud aculeis & clavis infixis, traditis à Pastore uno, qvibus potius moneri nos patiamur, qvàm aliis scriptis humanis. Et rectè. Ut enim stimulis agitari solent segnia animalia, ut cursum vel opus suum absolvant, ita in lege homines exstimulantur, & à naturali suâ tarditate ac segnitie incitantur: & ut clavis qvædam inter se connectuntur ac firmantur, ita verbo Evangelii corda DEO per fidem, & per caritatem proximo conjunguntur, & hæc sunt illa verba, qvæ semper debent esse in oculis ac oculis nostris, imò supra cor nostrum (ut habet textus hebræus) ut ad illa sursum spectemus. Idem nunc porro Moses aliâ adhibitâ metaphorâ declarat, qvando scribit, *& exacues ea tuis filiis.* Ut enim bellatores arma sua acuunt, qvò facilius in hostes penetrent; sic tu liberis tuis doctrinam de DEO debitâ cum gravitate, severitate ac diligentiâ propones, ut stimulos in cordibus eorum relinqvas: & qvemadmodum sæpè gladius coti admovetur, qvando acuitur, ita tuos filios sæpius ad verbi divini normam adduces, atqve illo ut ipsorum aures personent jugiter, sedulò curabis. Qvò partinet (1) Qvod hebræis ab eâdem radice שָׁנַן, qvæ hoc loco extat in Piel, acutum & pungens dictum seu dicterium שְׁנִינָה appellatur Deut. 28, 37. 1. Reg. 9,7. Jerem. 24, 9. (2) Qvod cognita radix שָׁנָה iteravit, ingeminavit, notet, unde hoc loco non incommodè exponunt qvidam, ingeminabis, iterabis, continuò dices, dextrè, argutè & sæpe propones. (3) Qvod qvialiis contumeliosè obloqvuntur, vel in eos inclementer dicunt, dicuntur acuere linguas suas Ps. 64, 4. & 140, 4. & verba eorum sagittæ acutæ appellantur Ps. 120, 4. Prov. 25,18. Idem seqvens phrasis innuit, nempe magnam in pueris instituendis adhibendam esse

esse diligentiam, qvando legimus וְדִבַּרְתָּ בָּם & *loqueris in iis*, hoc est, non modò de iis verba facies, ut plerique interpretes tantùm vertunt, sed etiam commentarium in illa facies, singula accuratè exponendo. Atq; hoc est præceptum de sedulâ liberorum institutione latum, qvod ut ubiq; ac semper, omni loco ac tempore, domi, foriſq;, noctu & interdiu observetur, qvæ subjiciuntur in textu monent: nempe explanabis Dei legem, qvando qvieſcis, seu *qvando desides domi tuæ*, (יָשַׁב enim etiam inhabitare & residere notat) & qvando te moves, seu peregrè proficiſceris, *qvando ambulas per viam* seu iter facis, hoc est, in omni loco, & omni tempore, nocte ac die Psal. 1, 2. qvod periphrasticè ita indicatur, *qvando cubas*, puta in lecto, qvod fit de nocte, & *qvum surgis*, qvod fit manè, qvando experrecti ad officii nostri munia redimus. Confer cum hoc loco, qvod ad phrasin Ps. 139, 2. 3. & ea, qvæ dicta sunt in Ps. 1, 1. Qvod ad rem ipsam, eadem repetuntur Deut. 11, 18. 19.

1. Loc. Commun.

MOnemur, qvanta à parentibus, imò Eccleſiæ Doctoribus & Præceptoribus in instruendis junioribus reqviratur diligentia, nimirum non perfunctoriè, non segniter, non somniculosè, (ut sæpe fieri amat) illa cura suscipienda est, sed ita, ut cogites tibi cum aliqvot feris, qvæ sint configendę vel domandæ, vel cum aliqvot truculentis hostibus rem esse, qvi sint prosternendi ac subjugandi. Etenim qvid aliud sunt vitia, qvæ natura corrupta producit, qvàm feræ beluæ? imò homines iis dediti qvibusvis bestiis sunt deteriores, & hæ omnes cupiditates ac concupiscentiæ carnales, velut hostes jurati, militant adversus animam 1. Pet. 2, 11. His ut rectè eatur obviam, oportet arma nostra spiritualia, qvorum usus est in hâc militiâ sacrâ, esse acuta Ps. 149, 6. 7. Eph. 6, 13. 14. Hebr. 4, 12. Apocal. 1, 16. magnoq; studio præparata, non verò operâ tumultuariâ arrepta, situ sqvallentia, ac minus secum ipsa cohærentia. Doceat minister verbi ὡς ἐξουσίαν ἔχων Matth. 7, 29. Luc. 4, 32. & Marc. 1, 22. Ad qvem locum Lutherus noster in margine hanc notam ponit: ipse spiritu fervidus concionator, non tepidus, non frigidus, qvales Dominus ex ore suo evomit Apoc. 3, 16. Der HERR lehret gewaltiglich / das ist / seine Predigt war / als eines / der es mit ernst meynet / vnd was Er sagte / das hatte eine Gewalt / vnd lehrete / als hette es Hände vnd

Füsse/ nicht wie die Lumpenprediger/ die daher speyen und geiffern/ daß man drüber Vnlust und Grewel gewinnet. Christus Luc. 24, 25. 32. ita sermocinatur ipse Zelo ardens, ut inde cor discipulorum ardere inciperet, Paulus tam graviter disserit, ut inde contremisceret magnus Dominus & præses Felix Act. 24, 25. Petrus tales stimulos adhibet, qvibus corda ipsa auditorum compunguntur Act. 2, 37. Proprætor seu Proconsul perculsus super doctrinam Domini credidit Act. 13, 12. Dicis, non omnes ita possunt concionari, ut Christus ejusq; Apostoli: ut illud facilè de gradibus donorum concedo, ita de Zelo, qvi debet esse in omnibus, & efficaciâ verbi nego: qvia unum idemq; DEI verbum vivum & efficax est Hebr. 4. & qvi audit ministros Christi, ipsum audit Luc. 10. qvod proponunt (si proponunt ut eloqvia DEI, non humanâ tantùm arte composita 1. Pet. 4, 11.) est ipsum DEI verbum 1. Thes. 2, 13. & verbum DEI nunqvam redit vacuum Esa. 55, 10. 11. qvomodo ipsi vocantur DEI συνεργοὶ 1. Cor. 3. DEUS etiam per verbum non tantùm ab Apostolis, sed omnibus N. T. Doctoribus, Pastoribus, Præconibus prædicatum est efficax, per id tanqvam pluviam liberalissimam rigat, qvod est aridum, per id tanqvam tonitru & vocem omnipotentem flectit, qvod est rigidum, per id tanqvam ignem cœlestem fovet, qvod est frigidum, confer Psal. 68, 9. 10. 19. 34. Eph. 4, 8. 11. 12. Jer. 23, 29. & 5, 14. Et perpende saltem, qvomodo hebes aliqva somniculosi Concionatoris, præceptoris, parentis, qvi omnium odia timent, admonitio possit cor aliqvod induratum naturaliter penetrare? resilit videlicet tam socors admonitio, ut telum minus acutum hostem non vulnerat, qvum vestem, loricam, vel æreum thoracem non penetrat. Exacue igitur tua tela, si vis occidere illam veterem Adamum, & seriò rem gere Gal. 5, 24. Colos. 3, 5. aliàs inanem sumes operam, nisi fortè (qvod fieri nunqvam potest) DEI verbum mentiatur. Exacue securim, ut possis minus fertiles ac luxuriantes ramos amputare, arbores infrugiferas exscindere. Id enim tibi, ô hortulane spiritualis, seriò demandatum est Luc. 13, 7. 9. Matth. 3, 10. Qvod autem hæc, qvæ parentibus præscribuntur, rectè etiam ad ministros verbi accommodentur, patet, qvia ipsi parentes spirituales, & auditores eorum filii sunt 1. Cor. 4, 15. Gal. 4, 19. Phil. 2, 10. Et qvidni liceat à minus ad magis ita, scripturâ duce, progredi? si parentes tantâ curâ debent suos liberos instruere, qvanto major à Pastoribus

floribus animarum, ex qvorum manibus DEUS est pereuntium in Ecclesiâ, ubi admoniti non sunt, reqvisiturus sanguinem, sedulitas est adhibenda.

II. Loc. Commun.

SI qvi suorum domesticorum curam non gerit in externis, qvæ ad victum & amictum spectant, fidem abnegavit 1. Tim. 5, 8. multò magis ille, qvi suos liberos in pietate non erudit Eph. 6, 4. Nunqvam enim qvisqvam suam carnem odio habuit, sed alit & fovet eam, dicit Apostolus de conjuge Eph. 5, 29. idem tamen etiam de liberis, qvi sunt de substantiâ parentum rectè dici potest. Oderunt autem illi suos liberos, qvi ex inferno animam eorum non redimunt, qvantum in se est, docendo & ducendo ad ea, qvæ pia, honesta, justa, casta, confer Prov. 13, 24. & 19, 18. & 22, 15. & 23, 13. 14. Phil. 4, 8. Multi curant, ut congerant ipsis divitiarum cumulum, ipsum autem, qvi illa bona modestè ferat & rectè usurpet, non instruunt vel induunt animum, non minus inepti, censente Plutarcho, qvàm si qvis calceum magnâ curâ servet, pedem autem, cujus gratiâ ille est, prorsus negligat. Vide qvisqvis es, ut tui filii sint divites in Domino Luc. 12, 12. ita nihil rerum ad vitam necessariarum deerit Psal. 34. sed omnia qværentibus regnum DEI adjicientur Matth. 6. Multi hoc unicè agunt, ut filiis prospiciant de conjugio, ut existimant, felici, si fuerit nummatum, non in id incumbentes, ut cum Christo spirituali copulentur conjugio, qvo sine omnes opes cum ipsis sunt ad perditionem Act. 8, 20. Multi solliciti sunt, ut filii ipsorum perveniant ad honores, non cogitantes, qvod multi, qvum DEI gloriam non spectant, majori in inferno afficiantur ignominiâ. Hæc autem & similia plura rectè administrat, qvi filiis suis legem DEI exacuit.

III. Loc. Commun.

QVando jubentur parentes loqvi in verbis legis, notatur, qvòd debeant esse in hac ὑποθέσει plurimi, assidui, & ita accurati, ut qvi victura scribunt commentaria: Qvam ad rem non mediocris reqviritur diligentia. Qvod si tantum studium à parentibus exigitur, qvid fiet nonnullis otiosis, pigris, socordibus somnolentis verbi ministris, qvi non tantum nulla ex se meditantur in sacros textus explicandos pro re natâ apta & bona commentaria, sed ne qvidem aliorum consulunt, sed

ex postillâ qvâdam, qvam semel edidicêre, qvotannis recitant, qvasi singulis annis iidem auditores, iisdem vitiis laborantes, in iisdem virtutibus excitandi, in iisdem calamitatibus vel tentationibus consolandi adessent, non minus inepti, qvàm stulti agricolæ, qvi eidem agro idem semen semper concredunt, exiguum vel nullum tandem reportantes fructum; neq; minus delirantes, qvàm si qvis infanti & valido rustico eundem cibum velit ingerere, vide 1. Cor. 3, 1. 2. Heb. 5, 12. 13. 14. 1. Pet. 2, 2. Sed qvid aliud speres aut exspectes à tam cœcis cœcorum ducibus? Matth. 15, 14. Luc. 6, 39.

Quod à parum novit, nemo docere potest.

IV. Loc. Commun.

QVodille dicebat μνημονευτέον θεοῦ μᾶλλον, ἢ ἀναπνευστέον sæpius DEI recordari, qvàm spiritum ducere debemus, hic satis bene per partes à Mose explicatur: & qvemadmodum nullus locus aut tempus est, qvo DEUS non sit, imò nobis adsit, qvum per illum simus, vivamus & moveamur Act. 17. ita in omni loco 1. Tim. 2, 8. & omni tempore Psal. 34, 2. ejus nomen celebrare ac invocare decet, ut ita DEUS, per qvem sunt omnia, in omnibus glorificetur, cui sit honos & gloria in sempiterna secula, Amen.

DOMINICA II. POST EPIPHANIAM.

Genes. 2, 18.

DE Conjugio, cujus instituendi fundamentum est divina autoritas, continuandi & retinendi in genere humano est maxima necessitas, & servati summa utilitas, qvia agitur in hodierno Evangelio, placet eâ occasione, cùm de ejus primâ institutione ex Mose prolixius, tum de ejus summâ commendatione ex Apostolo Heb. 13, 4. exordii loco brevius dicere, & ut rerum hic ordo postulat, ἐμπεριχῶς ac ὕστερον πρότερον. Ita igitur hic progreditur, ut simul matrimonii dignitatem, & violationis ejus indignitatem ac malignitatem declaret, ibi DEI mandantis veritatem, hic damnantis severitatem inculcet. *Nuptiæ*, inqvit, indefinitè, ita tamen ut æqvipolleat universali propositioni, qvod probat aliorum locorũ biblicorum expositio Gen. 2, 23. 24. 1. Cor. 7, 2. 9. &c. Matth. 19, 11. 12. & oppositio 1. Tim. 4, 3. sunt *honorables* ac in magno cùm apud DEUM, tùm homines prudentes precio ὄγκῳ τιμῆς

τιμὴ, & inde in suo genere non minus honorati sunt conjuges in statu œconomico qvàm qvi sunt in statu Ecclesiastico Act. 5, 34. qvi tamen si bene præsunt, duplici honore sunt digni 1. Tim. 5, 17. & qvidem *in omnibus* hominibus, cujuscunq; sint conditionis ac status. Ubicunq; enim Scriptura non excipit, neq; nostrum est fingere exceptionem, qvâ de re infrà cum DEO. Et proinde thorus seu *cubile* sit *impollutum*, ita ut qvisq; conjugum uni & soli, qvi cum fœdere tam sancto junctus est, se servet immaculatum. Contrà verò si qvis hâc admonitione spretâ vel scortando, qvando cœlebs est, nec matrimonio junctus vivit, vel adulterando, qvando conjugium iniit, sextum decalogi præceptum violaverit; sciat se id inultum non auferre, sed pœnam divinam tacitis pedibus advenire, *quia scortatores & adulteros* judicabit, qvid dico judicabit? ex hebraismo noto, ubi simplex sæpe ponitur pro composito, qvo sancta lingua caret, *condemnabit DEUS*, non tantùm in hâc vitâ per magistratum, ignominiæ & plagis eos exponens, si is suo velit fungi officio; sed post eam, nisi resipiscant æternis cruciatibus adjudicans. De idiotismo linguæ Hebrææ videantur, qvæ dicta sunt in Psal. 9, 17. & κεῖμαι pro κατάκειμαι accipitur, Joh. 3, 18. 1. Cor. 11, 29. Memorabilis itaq; hæc est Conjugii commendatio, dum qvæ sit honestorum conjugum gloria, & inhonestorum scortatorum miseria, paucis, sed emphaticis verbis declarat Apostolus. Nam utrobiq; à DEO & præmia & pœnæ inferuntur. Confer Rom. 2, 6. 7. 8. 9. 10. Qvorum illud summæ beatitatis, hoc extremæ infelicitatis. Et meritò id faciet DEUS; qvia illi institutioni & ordinationi divinæ parent; hi eandem deridentur. Qvod ut constet, ipsam videbimus, & qvidem in his duobus membris:

Prius continebit Cœlibatus incommoda,
Posterius Conjugii commoda.

Domine, tua sunt hæc statuta sacra, doce nos de iis Psal. 119. & qvia non est bonum, nos solos ex nostris viribus tuum verbum scrutari 2. Cor. 3. Fac, tuus spiritus nobis adsit, qvi scrutatur omnes mysteriorum DEI profunditates 1. Cor. 2, 10. Is nos de hac materia differentes in omnem veritatem ducat Joh. 16. Siqvidem ipse Paracletus verus nostris infirmitatibus opitulatur Rom. 8, 26.

PRIMA

PRIMA PARS.

NAomi tum denique intelligebat sua ex conjugio orta bona, cum quæ in potestate habuerat, amiserat, ipsaq; viro & filiis orbata suis redibat domum. Tum enim nomine suo vocata, ne vocate me, inqvit, Naomin, id est amœnam, sed Maram seu amaram, eò qvòd omnipotens amaritudine me valdè affecit Ruth. 1, 20. Et certè ita est, ut subjicit, se fuisse plenam ac divitem satis, qvando vir vivebat, etiam in annonæ caritate, atq; extra patriam, qvæ jam melioribus annis reversa sit vacua, eò qvòd virum non habeat, familiæ columen. Ut autem hæc deplorat suam viduitatem ac ejus mala, viro mortuo qvæ se manebant, ita maritus mortuâ conjuge merito luget ac acerbè deflet eam, exemplo Abrahami Genes. 23, 3. qvia sublatum videt desiderium oculorum suorum Ezech. 24, 16. qvod Lutherus etiam benè vertit Augenluſt/ & in margine rectè explicat, da er Troſt/ Luſt/ und Freude von hat. Et qvidni ita sentiat homo, qvum hæc DEI ipsius sit sententia? non modò ubi conjugi Ezechielis tribuit hoc encomium, sed etiam ubi omnium honestarum matronarum laudes decantandas curat Prov. 31, 10. & ubi ipsum instituit conjugium ipse primus omnium paranymphus. *Dixit* enim *Jehova*, DEUS essentiâ unus, personis trinus, omnium rerum autor, conditor, conservator, vindex ac judex, *non bonum*, scilicet est, id est, ex stylo Scripturæ & idiotismo linguæ, *peßimum est*, pluribusque, qvàm credi aut dici potest, scatens incommodis (Qvicqvid enim Hebræi volunt valdè affirmare, per negationem contrarii efferunt, sicut alibi probatum est prolixius. Nunc videri possunt hæc loca Psal. 83, 2. Prov. 10, 2. & 18, 5. & 23, 13. Amos 2, 4. Joh. 1, 20. & 3, 15. 16. 17. 36. & 5, 24. Rom. 4, 19.) *esse hunc hominem* הָאָדָם *solum* heb. לְבַדּוֹ soli sibi. Non enim nobis solùm nati sumus, sed partem nostri ortus parentes, patria, & alii homines sibi postulant. Per hominem autem, ut non solus Adam, seu unum illud individuum intelligitur, qvod notat ה præfixum, ad speciem integram pertinere, qvę hactenus de primo parente dicuntur tum solo, uno atq; unico homine in terris existente, ita simul indicatur, qvia de Adamo viro fit sermo, & illo, qvi in ipsâ ætatis, staturæ, virium, sapientiæ ἀκμῇ fuit tum constitutus: qvod liqvet non tantùm, qvia statim potuit paradisum colere, liberos gignere; sed etiam, qvia reliqva omnia

mnia in perfectissimo gradu sunt creata, arbores cum fructibus, animalia jam omnibus numeris absoluta: debere eum jam virum esse, seu dudum ex ephebis excessisse, cui postea competat illud prædicatum, qvòd non conveniat, eum esse solum. Ita enim postea explicatur sub finem capitis v.24. per אישׁ, id est, virum jam maturum conjugio.

I. Loc. Commun.

QVandò Deus ipse est autor conjugii, divina ipsum est ordinatio; & proinde meritò diabolica illa doctrina, qvæ, qvod Deus omnibus, dono continentiæ peculiariter non præditis, Matth.19,11.12. instituit, nonnullis prohibet 1.Tim.4,1.3. qvod faciunt Pontificii, vide Bell.l.1. de clericis cap.18. à qvibus saltem hoc petitur, ut concilient, qvomodo matrimonium sit sacramentum, & res sanctissima, ac verè gratiam conferens, & tamen eo sanctissimis qvibusqȝ interdicendum. Est qvidem signum adumbrans conjunctionem Christi & Ecclesiæ Ephes. 5, 32. sed qvod per se gratiam conferat, ut probatum eunt frustra Pontificii ex 1.Thess.4,4. 2.Cor.7,14.16. nondum claret; qvum ibi de sanctitate morum ab hominibus præstitâ, hic de Ecclesiasticâ, externâqȝ, qvâ aditus patet filiis ad bona Ecclesiæ propria, agatur. Credendum igitur est magis soli Jehovæ veraci, qvàm Pontificiorum turbæ fallaci.

II. Loc. Commun.

REfutantur ii, in qvorum numero etiam patres qvidam fuêre, ut Tertullianus, Hieronymus, qvi conjugium non esse bonum, sed ex minùs malis statuunt, & qvi etiam secundas damnavêre nuptias, qvum tamen in genere hic asseratur, non est bonum, hominem, sive antea duxerit conjugem, & per mortem jam ab eâ sit liberatus (ut loqvitur Apostolus de muliere, cujus maritus est mortuus 1.Cor.7,39. conf.Rom.7,2. & ex naturâ relatorum ad nostrum propositum facilè potest accommodari) sive non fuerit anteà matrimonii jugo subditus, esse solum. Si autem bonum est, hominem non esse solum, concludimus ex contrario, malum est, hominem, ad conjugium aptum donoqȝ continentiæ non præditum, esse solum. Et horsum pertinent omnia commoda conjugii, qvæ alibi ab aliis κατὰ μέρος enarrantur & explicantur. Possunt autem pleraqȝ reduci vel ad DEI cultum, qvomodo sæpe vir pius melius instruit conjugem minus piam, vel vice versâ vide 1.Pet.3,1.2.

vel ad liberorum educationem, vel sui conservationem, qvæ potissimum elucet in morbis, aliisq; calamitatibus, vel deniq; ad meliorem rei familiaris administrationem.

III. Loc. Commun.

QVibus hoc dicatur, jam antè est indicatum, videlicit iis, qvi jam virilem attigêre ætatem, vel illi virgini, de qvâ usurpari illud potest poetæ, qvod sit

Jam matura viro, jam plenis nubilis annis.

Ubi qvot annos in juvenibus, qvot in puellis reqvirant leges Politicæ, ex Jureconsultis qværi potest; sed non semper hic videndum, qvid liceat, verum etiam, qvid sit honestum. Qvæ enim damna in Rempublicâ (ut alia omittamus) redundent ex nuptiis impuberum, politici enarrant, & res atq; experientia vel tacita clamat: qvi enim nondum suæ vitæ tenere modum sciunt, qvomodo aliis rectè præerunt? & qvi ipsos se regere neqveunt, ac suos affectus domare, qvi illi conjugi itidem vitulanti, vel familiæ refractariæ leges dare qveant? qvi adhuc ipse infirmum gerit animum more pueri, qvomodo suos liberos in admonitione Domini instruet, aut eos rectos habebit ad ingenium bonum.

IV. Loc. Comman.

QVænam sint mala solitudinis, ex parte indicat Rex sapientissimus Eccles. 4,8.9.10.11. Si enim ubiq; obtinet illud, toties à prudentibus laudatum, Ζωὴ δὺ ἐρχομένω &c. qvidni maximè locum in œconomiâ inveniat? ubi si vir rectè foris rem gerere & qværere, uxor autem qvæsita comparcere, ac domi reponere rectè novit, omnia benè sub manus succedunt, qvemadmodum id explicat Psaltes in Psal. 128,2.3.

SECUNDA PARS.

QVando Siracides cap. 26. prolixè satis bonam & malam describit mulierem, inter alia v. 17. & 18. hæc habet: donatio Domini est mulier taciturna atq; benevola, neq; est qvicqvam, qvo erudita illius anima commutari possit; gratiâ suprema est (puta in externis bonis) pudica & fidelis mulier. Et cum his consentit Salomo Prov. 18,22. & 19,14. & 31, 10.30. Ita enim est, à Jehova propitio datur, & non est, qvod ei possit præferri. Utrumq; hoc loco à Mose explicatur. Ita enim dicit DEUS, *faciam*, (qvod Lutherus rectè observavit, vetus autem interpres non attendit,

ttendit, neq; alii, qvi hoc promittebant, correxêre: unde poſtea qvidam voluerunt pluralitatem perſonarum in divinitate fruſtra probare, & ſine dubio, ut multa alia in aliâ verſione non ex textu authentico, ſed alio loco Gen. 1, 26. hoc eſt deſumptum) *illi homini ſoli*, cui non adeſt auxilium commodum, *auxilium* עֵזֶר Targum סְמַךְ fulcrum, Græci reddunt βοηθὸν, qvæ vocata ſtatim compareat, & pareat, auxilium כְּנֶגְדּוֹ, qvòd ſit, qvaſi coram ſe ipſe ſit, naturali ſpecie & forma ἀνάλογον, juris vocationisq; conſors, & omnium officiorum particeps, ut Tremellius explicat: Vulgatus interpres, ſimile: Lutherus meliùs, **Die ümb ihn ſey/** & in margine explicat: **Kein Thier nahm ſich des Menſchen an/ ümb ihn zu ſeyn/ das ihm hülffe ſich mehren und nähren.** Qvæ omnia licet ſint vera, & in emphaſi vocis hujus contineantur, tamen plura præterea notat, qvorum nonnulla affert in notis biblicis Vatablus. Ad verbum, inqvit juxta illum, vel tanqvam è regione illius: nam כ eſt nota ſimilitudinis, hoc eſt, per omnia correſpondens & conveniens. Doctus autem inter hebræos dicit, כ eſſe veritatis expreſſivum, hoc eſt, rem affirmare. Alii exponunt, qvòd ſit coram illo, ut ſcilicet miniſtret ei. Confer Ezech. 44, 11. Dan. 1, 5. Denotatur autem hoc vocabulo (1) ſuſtantiæ ſimilitudo, imago qvædam viri; ut in ſpeculo imago ſpectantis ſe. (2) Individua cohabitatio: ut imago in ſpeculo ſemper adeſt ſpeculanti, ſic ipſa libenter videatur, cogitetur à viro, **Sie ſoll ſeyn die Liebſte im Hertzen/ und die Schönſte in den Augen:** & contrà ipſa ſemper nutum obſervet mariti, ut ſciant oculi, qvid frons viri velit, ut gratificari velit marito in omnibus Eph. 5, 24. Unde (3) oriuntur amor & benivolentia mutua, eaq; conſtans per totam vitam. (4) Fides ſincera, ut conjunx non ſit alia abſens, alia præſens, ſed ſemper כְּנֶגְדּוֹ, qvaſi videat & ſciat omnia maritus. (5) Auxilium in bonis procurandis & malis avertendis. Qvibus (6) adjuncta eſt voluptas ex iſtis omnibus enumeratis rectè obſervatis: unde ſatis benè, ſi hæc omnia perpendas, vertit, qvod ad ſenſum, Tremellius, *commodum* ipſi *& utile*.

I. Loc. Commun.

CUm dicitur à DEO, *faciam*, monemur, DEUM eſſe non modò primum conjugii autorem, qvod præter loca ſuperius allegata Salvator Matth. 19, 4. &c. declarat: ſed hodie etiamnum unicuiq; de con-

juge prospicere; qvemadmodum probat exemplum Isaaci & Rebeccæ, Jacobi & Rachelis, Mosis & Ziporæ, Davidis & Michalis, & ut habet in loco de providentia Dn. Hunnius, cui vult, in remunerationem antegressæ pietatis commodum, in pœnam vero impietatis infelix donat conjugium. Qvæ est generalis regula, sed ob alias causas nobis occultas, nunqvam tamen injustas, patitur aliqvando exceptionem, ut cum Nabali datur Abigail, & Mopso Nisa. DEUS itaqj omnium primo invocandus cum servo Abrahami Gen. 24. & Tobiâ juniore, ut ipse velit illam adducere ac donare conjugem, qvam novit esse piam, pudicam, prudentem. Ipse enim si non fuerit νυμφευτὴς, contingit illud, qvod non inscitè notarunt Rabbini in nomine אִישׁ & אִשָּׁה. Inde enim, si damas illas duas nominis יְהוָה literas י & ה, nil aliud remanere qvàm אֵשׁ אֵשׁ, ignem, ignem, hoc est, duplicem imò multiplicem calamitatem, discordiam, litem ac omnis generis infelicitatem, imò etiam ignem hujus & alterius vitæ: qvod etiam in multis non in DEI nomine ac timore cœptis conjugiis videre est. Multi enim, ut vulgò ajunt, ducunt oculis tantùm, multi auribus, multi manibus: illi pulchritudinem solam venantur: isti famam (qvod etiam merito fieri debet, siqvidem bona sponsa est ea; *de qvâ mentiri fama veretur*, juxta poëtam) solam attendunt, qvæ tamen etiam aliqvando fallit, præcipuè si illa nitatur commendatione anicularum; hi spectant opes, divitias, vitæ genus, splendorem. Sed fallax gratia & vana pulchritudo; mulier, qvæ timet Dominum, ipsa laudabitur Prov. 31, 30. Deinde, futurum hoc monet multos, qvi nimis præpropere ad nuptias anhelant, ut exspectent illum temporis articulum à Deo constitutum, qvi dicit in Evangelio: Nondum venit hora mea. Jacobus septem annos servit, anteqvam ipsi datur Sponsa expetita. Josephus per triennium in carcere commoratur, anteqvam à Deo destinata ipsi jungatur uxor. Qvomodo igitur tu, qvi nondum didicisti, aut comparasti tibi, unde familiam possis alere, primo qvoqj die & horâ uxorem duces?

II. Loc. Commun.

FACIAM illi, qvando dicit Jehova; omnia adulteria & vagas libidines prohibet, & hoc, qvod sequitur in hoc capite v. 24. *erunt in carnem unam*, imò etiam qvod Salvator Matth. 19, 5. & Apostolus 1. Cor. 6, 16. Eph. 5,

Eph. 5, 31. subjectâ materiâ ita exigente adjecerunt, *duo illi*, aliis qvidem verbis, sed sensu eodem profert. Non enim fecerat DEUS Pharaoni Saram Gen. 12. neq; Rubeni Bilham Gen. 35, 22. neq; Davidi Bathsabeam 2. Sam. 11. neq; Herodi fratris sui conjugem Matth. 14. neq; incestuoso Corinthiaco novercam 1. Cor. 5. Qvia itaq; omnia adulteria sunt nefaria, qvædam mandati divini violatio; magistratus pius, qvi cupit mensuram nominis sui implere, qvo vocatur אֱלֹהִים Psal. 82, 6. severè debet punire, neq; ita facilè connivere ad flagitium tam grande, & cùm extant hâc de re expressæ leges divinæ, ne patiatur se seduci aliis prætextibus, ne qvadret in illum istud, qvod est apud Evangelistam Marc. 9, 13. sanè bellè aboletis mandatum Dei, ut traditionem vestram servetis. Qvæ sancta ironia nonnullis legulejis, suprà, qvàm decet & scriptum est in sacris, sapientibus, diligentius à fidelibus verbi ministris in hoc & similibus casibus erat inculcanda: sæpe enim propter unum Paridem tota Troja perit, & propter unum Davidis adulterium multæ calamitates in totum regnum redundant. Hæc est illa prudentia politica scilicet, qvæ ita egregiè servat in pace Respublicas.

III. Loc. Commun.

Conjux à Deo marito adjungitur, ut sit ei auxilium. Instillandum hoc est iis, qvæ non in partem virum aut domum juvant; sed qvicqvid vir labore suo invenit, turpiter dispersunt: qvalis vivis coloribus depingitur à Salomone Prov. 7, 10. &c. Dicendum idem est illis, qvæ putant se propterea natas, & nuptum esse datas, ut vivant in ocio. Spiritus S. certè mulierem strenuam comparat navibus negotiatoriis Prov. 31, 14. & commendat eam, qvòd surgat, dum adhuc nox est v. 15. vide autem contrà multas, qvæ stertunt in multam lucem glire somnolentiores; & considera, qvantum juxta Salomonem sit in illis virtutis? Apostolus hoc ex ipso fine creationis deducit, qvòd debeat uxor virum juvare, qvando scribit 1. Cor. 11, 9. non est creatus vir propter mulierē, sed mulier propter virum: propterea, ut pro suo modulo id faciat, sit οἰκουρὸς ἀγαθὴ, bona domus custos, Tit. 2, 5. qvæ non sit modò foris, modò in plateis, modò prope qvemvis angulum civitatis Prov. 7, 12, sed, ut bonam, pudicam, & commodam uxorem depingebat Apelles, velut domiporta testudo. Nam mulier gratiosa continet honorem, Prov. 11, 16. hoc est, interprete Petro 1. Epist. 3, 4. cujus ornatus non est

externus ille in nodis capillorum, & circumpositō auro, vel palliorum amictu, sed occultus ille cordis homo, situs in incorruptione, lenis ac qvieti spiritus, qvi est in conspectu DEI preciosus, Confer Esa. 3, 16.17. 18. 1.Tim.2, 9.10.11.

IV. Loc. Commun.

QVando DEUS dicit, se facturum auxilium commodum, monetur qvisq; observet illud Pittaci τὸν καιρὸν ἴσθι, vel illud Ovidii,

Si qua voles aptè nubere, nube pari:

Pari autem religione, conditione, (& qvantum fieri potest) ætate. Præterea etiam indicatur, non posse conjugium dissolvi, nisi ob solum adulterium, qvando non amplius conjux se servat marito immaculatam: desertio enim non est causa faciendi, sed jam facti divortii publicâ autoritate facta declaratio 1. Cor. 7, 15. Sed tu Domine conjugii autor & conservator, da omnibus conjugibus, ut servent invicem pium amorem, sibi exhibeant debitum honorem, sic ornent thorum, ut olim referantur in Angelorum chorum, Amen.

DOMINICA III. POST EPIPHANIAM.

Exod. 15, 27.

INter alia Elisæi Prophetæ miracula hæc tria non sunt postrema, qvæ 2.Reg. 4. & 5. leguntur. Primò enim viduam, debitis obstrictam, ita liberat, qvando oleum divinitus augetur, ne opus sit ejus filios vendi. Deinde Sunamitidis, qvæ erat mulier magna, & admodum pia, filium ex mortuis excitat, atq; ipsi reddit. Tandem Nahamanis lepram divinitus tollit, dum, qvid ipsi sit faciendum, præmonstrat: nimirū ut se lavet in Jordane. Salvator noster Jesus Christus, (de qvo verè potest qvisq; pius dicere אֵלִי יְשׁוּעָ, DEUS ille meus est salus, neq; hæc in ullo alio reperitur Act. 4,12.) Propheta ille magnus, à DEO qvondam promissus, Deut. 18,15. & suo tempore excitatus atq; datus Luc. 7,16. Actor. 3, 22. & 7, 37. non tantum fideliter docuit in Judæa, sed etiam ibidem miracula edidit qvam plurima, qvippe ita non missus, nisi ad oves perditas domꝰ Israeliticæ Matth. 15, 24. & minister circumcisionis Rom. 15,8.9. qvi tamen postea per suos Apostolos, eorumq; successores, omnibus curavit prædicandum Evangelium Matth. 28. Marc. 16. Luc. 24. Act. 1. Coloss. 1.

Sed

Sed etiam modum optimum ostendit, qvomodo homines à debitis suis seu peccatis possent liberari & absolvi, ne sub potestate Diaboli venditi manerent Esa. 61, 1. Luc. 4, 18. nimirum si crederent, qvòd ubi illa aucta sunt, etiam superabundaverit gratiæ DEI oleum, confer Rom. 5, 20. Luc. 10, 34. (uti plerique hoc tantum explicant, qvod ita analogiâ Scripturæ non obstante potest accommodari. Vide Matth. 25, 4. & adde, qvòd Spiritu sancto ungi dicuntur, qvi eo donantur, & qvòd ipse unctio appellatur Ps. 45, 8. Heb. 1, 9. Act. 10, 38. 2. Cor. 1, 21. 1. Joh. 2, 20. 27.) qvando ab hominibus piis Evangelii doctrina velut à vasis DEI utilibus libenter acceptatur; tum enim accenditur fides, & Spiritus sancti dona augentur Act. 9, 15. Rom. 9, 23. 2. Cor. 4, 7. 2. Tim. 2, 20. Act. 2, 41. Hoc ipsum prolixè declaratur cap. 5. 6. 7. Matth. qvomodo Christus potenter & magno cum fructu docuerit, & qvomodo apud illos debitores, ad Christum accurrentes, auctum sit divinum oleum, ac debita exsoluta. In initio verò capitis 8. ubi hodiernum Evangelium describitur, duo alia adduntur miracula, qvæ facilè cum illis Elisæi possunt conferri: siqvidem leprosus solo verbo mundatur, cum ad fontem omnis judicii, Christũ, cui Pater omne Judicium dedit Joh. 5, 27. (id enim nomen illud hebræum compositum sonat, ut alibi dictum est) accedit: & Centurionis, cujus magna fides ac pietas celebratur etiam Luc. 7, 4. 5. servus, morti vicinus, pristinæ sanitati restituitur. Ex qvibus omnibus qvando discimus, Christum esse illum, ad qvem omnes, in spiritualibus & corporalibus morbis ac calamitatibus debeamus accedere, & pios tantùm auxilium & gratiam ejus obtinere, age ex Mose utrumq; discamus, nempe

1. *Quodnam debeat esse Christianorum officium.*
2. *Quodnam à Christo possit sperari auxilium ac beneficium.*

Jesu Christe, homo animalis non percipit ea, qvæ sunt spiritus tui 1. Cor. 2. tu fac, ut attendamus, aperiendo cor nostrum, ut Lydia Act. 16. digito tuo Spir. S. aures nostras tange Marc. 7. In tenebris sedemus, & verum non videmus: tu nos illumina, tu enim solus es noster curator & medicus, animarum Pastor & Episcopus 1. Pet. 2, 25. agnoscimus, te esse DEUM, qvi efficiat nos populum suum, & gregem pastus sui Ps. 100. v. 3. tu verè nostros morbos & dolores pertulisti: fac ut tuo tumice sit nobis curatio Esa. 53, 7. 8. Amen.

PRIMA

PRIMA PARS.

OCcasio hujus salutaris admonitionis fuit hæc. Postqvam non modò ex Ægypto Israelitæ erant educti, verùm etiam per mare rubrum seu algosum mirabiliter traducti, progressi in desertum, non inveniunt aqvam primò: deindè Maram pervenientes, inveniunt qvidē, sed amaram: murmurat populus. Moses autem Jehovam invocans, Jehovâ præmonstrante, lignum qvoddam injicit, qvò aqvæ dulcescunt: & ut in totâ vitâ hujus rei essent memores, se ita à DEO esse tentatos, & scirent, qvomodo omnia vitæ acerba edulcorare qveant, injecto illis ligno crucis Christi, & Christianæ patientiæ arbore, qvomodo semper annitendum sit, ipsis indicat, ut fidem veram, ac per opera se probantem habeant, declarat. ***Dixit*** enim ***Moses, si sedulò*** (hebraicè audiendo audieris) ***attenderis ad vocem Jehovæ DEI tui***, qvam audivisti hactenus per me explicari, & paulò post ad montem Sinai cœlitus promulgari videbis, ***& si*** (particulam enim inſinitio semel positam, plerumq; ad reliqva seqventia ejusdem generis membra pertinere, dictum est Ps. 3, 2.) ***feceris, quod rectum in oculis ejus est***, qvod sit gratum adversus ipsum, ipsi acceptum & probatum, non qvod tu propriâ devotione aut bonâ intentione eligis, ***& si aurem tuam accommodas, eamq; audire facis*** (qvæ est vis verbi hebræi) ***præcepta ejus, & si observaveris omnia statuta ejus***, non modò cognoscendo, sed etiam vitâ exprimendo, non tantùm qvæ sunt in lege morali, sed etiam ceremoniali & forensi, pro ratione illius temporis, qvò vigebant ac vivebant ex ordinatione divina: qvomodo tam multis verbis & repetitione crebrâ, ac enumeratione omnium specierum, serium DEO obediendi studium indicatur. Confer qvæ nuper ad Deut. 6, 5. 6. 7. allata sunt.

I. Loc. Commun.

QVando Moses occasionem sibi datam, & superiùs indicatam statim sine morâ arripit, populumq; sibi commissum inde instruit, monentur etiam alii verbi divini præcones, suum esse, ut in omnes benè monendi occasiones sint intenti, nec ullum tempus sibi facilè elabi patiantur, qvò non privatim vel publicè alios, qvibuscum vivunt, hortentur ad pietatis studium, & à rebus terrenis ad cœlestium, spiritualium, ac æternorum bonorum curam abducant. Ita Christus, qvando discipuli

qvære-

qværebant Matth. 24. præcipuè de ruinâ urbis, ipse magis respondet de interitu orbis; qvando Samaritana iverat allatum aqvam, de aqvâ vitæ parandâ eam admonet Joh. 4. qvando Judæi exspectabant, ut denuò satiarentur panibus paucis multi, de pane vitæ incipit concionari Joh. 6. Si itaq; vel maximè fidelibus verbi ministris in conspectu, imò animo inscripta illa Apostli Pauli adhortatio 1. Cor. 10, 31. sive editis, sive bibitis, sive aliud qvid facitis, omnia ad gloriam DEI facite. Inter edendũ, qvando alii adsunt, qvod hypocriticè faciebat, & ad ostentationem Pharisæus Luc. 14, 15. faciant ipsi animo sincero & zelo ferventi ac inculcent: Beatus, qvi edit panem in regno DEI, tum gratiæ, tum gloriæ. Inter bibendum de siti spirituali agant Matth. 5, 6. qvæ reddit felices. Ea verò si non adest in hâc vitâ, seqvitur sitis illa æterna, qvâ se torqveri gravissimè conqverebatur dives epulo Luc. 16. Si fuerit in ædibus, de domo DEI, seu Ecclesiâ tam militante 1. Tim. 3, 15. qvàm triumphante, & mansionibus sermonem instituat Joh. 14, 2. & horsum vocet omnes. Si fuerit in agro, de semine verbi & cordis humani agro differat cum salvatore ex Luc. 8. Si viderit januam, de Christo cœli januâ Joh. 10, 7. & 14, 6. sermocinetur. Sol ortus est, de Sole justitiæ cogitetur ac dicatur Mal. 4, 2. Cùm occidit, de tenebris humanæ mentis, imò inferni Joh. 1. Matth. 8, 12. orationem habeat. Atq; ita juxta Basilium magnum totum hunc faciat θεογνωσίας παιδευτήριον: juxta Antonium eremitam, universum mundum sibi instructæ bibliothecæ instar esse sciat, unde possit, divinâ prælucente Scripturâ, utiles admonitiones depromere, atq; ita, qvod est in veteri versione, & qvod adsensum, (qvi alibi habetur in sacris) benè, ac propterea meritò à Patribus dilaudatum illud, sibi suisq; auditoribus dictum putet bonus concionator ex Ps. 84, 6. Ascensiones in corde suo dispositi in valle lachrymarum: ac illa omnia, qvæ contingunt, sive bona, sive mala, materiam erudiendi alios sibi præbere exemplo Mosis reputet. Qvò eum vocant tam crebræ Salvatoris ex rebus obviis desumptæ parabolæ, & allusiones vel comparationes in totâ sacrâ scripturâ.

11. Loc. Commun.

COnvertere se homo ex se non potest, pædagogiam externam præstare, atq; cũ studio discendi auscultare potest ac debet. Vide præter

alios hâc de re Dn. Mentzerum in exegesi A. C. Art. 5. p. 234. §. 13. 14. Mamphros. in Erotemat. in artic. visit. de prædestin. thes. 2. p. 476. &c. Et hinc facilè conjecturam capies, qvî fiat, qvòd multi non convertantur, nimirùm non audiunt audiendo, ut loqvitur Moses, non auscultant crebrò, non sedulò.

III. Loc. Commun.

VErbum à ministris prædicatum, est ipsum DEI verbum, qvod itidem in qvinto art. A. C. contra Calvinianos vide declaratum.

IV. Loc. Comman.

QVia multi qvidem audiunt, sed non faciunt, qvæ DEUS præcipit: Similes sunt ineptis fabricatoribus ædium, qvi nullo idoneo jacto fundamento superædificant Matth. 7. Valet enim illud Christi Joh. 13, 17. si hæc scitis, beati eritis, si feceritis: atqꝫ ita demum DEI amici erimus, si fecerimus qvæ præcepit Joh. 15, 14. Confer Prov. 3, 3. & 22, 17. 18. 19. 20. Sirac. 19, 20. Luc. 12, 47. 1. Cor. 8, 2. Jac. 1, 22. 23. Rom. 2, 13. Jac. 4, 17. & qvid multis? πίστις καὶ ἀγαθὴ συνείδησις debent esse conjuncta, neutra autem qvicqvam valet sine alterâ 1. Tim. 1, 19. imo nec esse potest, licet multi id sibi persuadeant.

V. Loc. Commun.

NUlla opera sunt bona aut DEO placent, nisi qvæ ipse præcepit in suo verbo Deut. 12, 32. Esa. 29, 13. Ezech. 20, 19. Col. 2, 8. qvæqꝫ ita fiunt ut non fugiant ejus autores lucem Joh. 3. Sed in conspectu DEI se astare probent. Non itaqve sola bona intentio bonum opus efficit, qvod volunt Pontificii.

VI. Loc Commun.

QVando eadem aliis verbis repetuntur, docemur, sæpius eadem esse inculcanda Phil. 3, 1. nunqvam enim nimis dicitur, qvod nunqvam satis discitur, aut factis exprimitur.

VII. Loc. Commun.

QVando non tantùm fit mentio מִצְוֹת, verùm etiam חֻקִּים qvæ propriè notant leges ceremoniales, seu statuta pro conditione illius Reipublicæ Judaicæ, & ratione V. T. lata monemur DEUM velle, ut

ut in omnibus ipsius præceptis observandis, qvantum fieri potest, occupemur, ad exemplum Zachariæ & Elisabethæ Luc. 1, 6.

SECUNDA PARS.

QVod Israëlitis qvondam accidit, typus noster est 1. Cor. 10, 6. 11. & ipso Salvatore judicium faciente Joh. 3. Est autem hoc. Murmurabant enim contra DEUM, & cibum cœlestem ac omnium optimum pro re vilissimâ habebant, ideoq; DEUS serpentes immittit, à qvibus multi morsi, fuêre mortui. Remedium autem monstratur illud, ut serpens æneus exaltetur, qvem si qvis aspiciat, sanetur. Num. 21, 5. 6. 8. 9. ita etiam si & nos contra DEUM insurgimus, ac verbum atq; præcepta ejus, qvæ sunt cibus animæ, melleq; dulciora Ps. 19. parvi facimus; à serpente illo antiqvo, seu diabolo Gen. 3. Apoc. 12. multis plagis ex justo DEI judicio affligimur; ab iis vero per Christum in cruce suspensum liberamur, qvando fidei oculis eum intuemur. Qvi vero contra DEUM suum præfracte non peccant, à DEO etiam non puniuntur. Ubi enim homo suum facit officium, de qvo in parte priori; nullum permittitur inferri à diabolo maleficium vel damnum. Hoc promittit Moses porro loco DEI, imo DEUS per ipsum, si mihi, Jehovæ, obedieris, ô Israël, ***nullum morbum*** (מַחֲלָה hoc loco generatim notat plagam, qva aliqvis infirmatur, qvemadmodum liqvet ex seqventi descriptione) ***quem imposui Ægypto*** (fuit autem is multiplex, qvum numerentur potissimum decem plagæ insignes Exod. 7. 8. 9. 10. 11.) ***imponam tibi*** עָלֶיךָ super te, ut te velut pondus premat ac oneret, imo planè conterat, sed (בְּ qvod etiam adversative alibi usurpatur Gen. 45, 8. 2. Sam. 16, 18. & hîc ita esse accipiendum, diversitas imo oppositio docet expresse) ***ego Jehova medicus***, seu Curator ***tuus*** רֹפְאֶךָ à רָפָא curavit, medicinam fecit. Unde Autor comœdiæ Tobiæ, ut censet Lutherus rectè in præfatione Germanicâ, non potuit melius appellare Angelum, qvi restitueret visum, qvàm רָפָאֵל id est, medicum divinum, seu à DEO missum.

I. Loc. Commun.

UT mors, ita etiam omnes morbi, (qvi mortis nomine comprehenduntur in comminatione DEI, ejusq; executione, ubi mulierum dolores, virorum labores & sudores eâ appellatione veniunt Genes. 3, 16. 17.

16.17.19. Qvemadmodum etiam aliæ calamitates magnæ ac mortiferæ eâ voce denotantur Exod.10,17. 2.Reg.4,40.Psl,18,6.2.Cor. 11, 23.) peccati sunt stipendia Rom. 6,23. Unde emphaticè dictum observant nonnulli Gen. 2, 17. morte morieris, id est, omnis generis morte, ac statim simul ac peccaveris, morieris spiritualiter, mortalis fies naturaliter, ac lassitudinem aliaq; incommoda senties; siqvidem homo lapsus non subitò est exstinctus, qvod contra φλυαρίας Photinianorum est notandũ, confer Rom.5,12. & historiam, ad qvam alludit Moses, nempe qvomodo ob sua peccata Israelitæ in deserto 1.Cor.10. & Ægyptii in suâ regione sint afflicti, imò omnis vita talium exemplorum plena est. Vide, qvæ malorum Ilias secuta sit Davidis adulterium. Sentimus itaq; corporis morbum animæ morbum præcessisse, agnoscamus, & ad medicum animarum alacres accurramus, qvod utrumqvè hoc loco Moses declarat.

II. Loc. Commun.

VErbum imponendi duo notat, nimirum qvòd malum á DEO immissum sit inevitabile, & in perferendo valdè durum ac difficile, velut jugum. Ut enim illa, qvæ sunt alicui portanda imposita, qvocunqve ipse ierit, cum eo progrediuntur: ita calamitates divinitus illatæ, semper & ubiq; nos premunt, ubi vult Jehovah Psal.139. Amos 9. Et qvemadmodum onus impositum admodum gravat: ita etiam morbi, omnisq; generis alia damna. Considera typum vinculorum, & jugi apud Jeremiam cap.27. Jugum bobꝰ inditur, ut domentur, atq; assuefiant inservire suo hero: ita etiam jugum suum DEUS hominibus imponit, qvia sunt ut eqvus & mulus Psal. 32, 9. & vitulus indomitus Esa. 16, 5. Jer.31,18. qvo jugo gravi si fuerint ad frugẽ reducti, jam porrò id commutat jugo svavi, tum crucis Thren.3,27. tum lucis Matth.11,29.30.

III. Loc. Commun.

IN Ægypto regnabat Pharao, tyrannus pessimus, vivebant subditi pessimi & superstitiosi. Ita etiam verũ semper est, qvòd multa flagella sint improbo Psal. 32, 10. qvia DEI justitia id reqvirit, ut qvi legem nefariè violat, etiam pœnam suam ferat Exod.20,5. Lev. 26, 14. Deut.28, 15. & ubi ille infernalis Pharao, seu Diabolus regnum obtinet, etiam ira DEI non emanet 1.Thess. 4,6. Col.3,6. Eph.5,6. Videamus itaqve, ut cum veris

veris ac spiritualibus Israelitis fugiamus ex Ægypto, confer Apoc. 11, 8. & 18, 4.

IV. Loc. Commun.

VIdendum semper, non qvalia, sed qvalis qvisq; patiatur, qvâ de re eleganter ita disserit disertissimus patrum latinorum Augustinus lib. 1. C. D. cap. 8. qvandocunq; boni maliq; pariter afflicti sunt, non ideo isti distincti non sunt, qvòd distinctum non est, qvod utriq; perpessi sunt. Manet enim dissimilitudo passorum etiam in similitudine passionum, & licet sub eodem tormento, non est idem virtus & vitium. Nam sicut sub uno igne aurum rutilat & palea fumat, & sub eâdem tribulâ stipulæ comminuuntur, frumenta purgantur; nec ideò cum oleo amurca confunditur, qvòd eodē præli pondere exprimitur: ita una eademq; vis irruens, bonos probat, purificat, eliqvat, malos damnat, vastat, & exterminat &c. ut liceat etiam vere dicere: duo cum patiuntur idem, non est idem, non qvod diversa res sit, sed qvod illi, qvi patiuntur.

V. Loc. Commun.

QVomodo DEUS contra omnia mala noverit adhibere remedium, jam sæpe est dictum, & patet qvâdam inductione. Adami lapsum curat filii sui morte. Noachi interitum præcavet suâ providentiâ paternâ. Abrahamum tuetur in exilio. Saræ, Rebeccæ, Rachelis sanat sterilitatem. Jacobi inopiam sublevat. Josephi ignominiam cum gloriâ commutat, calamitatem cum felicitate. Mosen & Israëlitas defendit, pascit, potat in deserto, & qvis possit omnia enarrare à DEO sanatorum exempla in morbis animæ & corporis? vide cap. 11. Epist. Heb. & huic medico cum Davide gratias semper age ex Ps. 103, 1. Benedic anima mea Jehovæ, qvi medetur omnibus morbis tuis. Benedic corde, ore, opere, dictis & factis, ipsum colendo, proximum diligendo, aliis ad ejus exemplum benefaciendo Eph. 5, 1. & Christianè patiendo, Mich. 6, 8. Ita futurum est tandem, ut à morte ac morbis omnibus liberatus, cum ipso in æternum vivas beatus. Ita fiat Christe, Amen.

DOMINICA IV. POST EPIPHANIAM.

Psal. 46.

ISraëlitæ ab hostibus suis pressi, ac in conflictu cæsi; hoc capiunt consilii, ut arca DEI adducatur in castra, ut procedens in medio ipsorum

ſervet eos è manu inimicorum. Et licet ipſi benè ſperent ac lætentur, qvando illa advenerat; tamen ſpes hæc illos fruſtrabatur, qvandoqvidem DEUS ille juvat pios tantùm, ipſi autem maximam partem erant maximè impii 1. Sam. 3, 1. & 4, 3. Chriſtiani autem, qvi fide ſunt Iſraëlitæ, malis afflicti, qvum vident, ſe non eſſe ferendo, rectiùs cùm diſcipulis ad DEUM, qvi videtur dormire, dum non juvat Pſal. 78, 65. per Chriſtum, qvi vere eſt præfiguratus per arcam fœderis & propiatorium, qvod erat ſuper eam Rom. 3, 25. accedunt, eumqj precibus ſuis velut excitantes clamant; Domine, ſerva nos, perimus. Qvod ſi verâ fide hoc fit, nullum eſt dubium, qvin Dominus ſtatim faciat placitum timentium ſe Pſ. 145, 19. ſin autem hypocriticè & animo non recto, Dominus averſatur iſtos malos, & ridet in calamitate ipſorum Prov. 1. Ubi vero ille עִמָּנוּאֵל adeſt propitius, non exiſtit verbum, qvod loqvuntur mali contra bonos Eſa. 8, 10. ſed ita, ut ſit ipſe eis timori & pavori ibid: v. 13. Et qvia hoc ipſo tempore non tantùm bello miſerè infeſtatur; verùm etiam annonæ caritate aliisqj magnis malis affligitur Eccleſia, & ſatis diu, atqj ita, ac ſi Chriſtus dormiat, neqj attendat: placet explicare occaſione hodierni Evangelii Pſ. 46. ſed breviter: qvia ille DEI perpetuam in pios clementiam, & contra horum in DEUM fiduciam celebrat, atqj ita ut Eccleſiæ cives ad conſtantiam, hoſtes verò ejus ad pœnitentiam hortetur. Partes erunt duæ:

Prior, quæ ſit piorum confidentia.

Poſterior, qua Dei paterna providentia.

Hoc ut rectè diſcamus, unum eſt neceſſarium, Da Domine cum Maria (qvæ notat amaram animo) ad pedes tuos ſedentes (qvod eſt diſcipulorum Act. 22, 3,) audiamus & intelligamus hunc ſermonem tuum, dum alii in mundo aliis multis rebus fruſtra ſe aliosqj fatigant cum Marthâ Luc. 10, 39. 41. 42.

PRIMA PARS.

DE titulo nunc pauciſſimis, qvum ea res ſit in tam intricatis aliqvid certi ſtatuere altioris indaginis. Proponitur hic Pſalmus decantandus *magiſtro ſymphoniæ*. vide Pſal. 4, 1. *in poſteris Korah* (erant enim certi ordines Levitarum ac cantorum, de qvo 1. Chron. 15. & alibi) *ſuper virgines puras*, id eſt, inſtrumenta muſica virginalis ſoni ſeu toni, h. l. עַל־עַלְמוֹת, plurale pro ſingulari καθ' ἐξοχὴν עַלְמָה ſuper puriſſimam

rissimam illam virginem, Christo regi datam in matrimonium, in superiori Psalmo. Confer 2 Cor. 11, 2. *canticum* Titulus ita explicatus optimè congruit cum argumento Psalmi; siqvidem agitur in eo, (ut dictum est) de Christi sponsi erga eam curâ, ejusq; natura, qvòd sponso fisa suo credat in spem contra spem, mediisq; in malis exultet, qvum omnium optimus ei adsit, imo præsit & protegat. Ita etiam non longè abit ab hâc sententiâ Lutheri versio, von der Jugend/ qvia Sponsa Christi est satis tenera, & ut juventus à DEO regenda. Discimus hinc nos, in Ecclesia hæc semper esse cogitanda, qvia

Nunquam bella pius, nunquam certamina desunt.

Ut enim Israëlitis omnes vicini sæpius se opponebat; ita nunqvam non Ecclesia suos experitur hostes atqve adversarios: semper tamen potest gaudere & canere in Deo suo Ps. 34, 2. Luc. 1, 47. Rom. 5, 2. 3. Unde autem oritur illa malis lætitia? hinc demum qvod v. 2. seqvitur: *DEUS nobis* in Ecclesiâ viventibus *est refugium*, refugium, asylum מַחְסֶה vide in Psal. 2, 12. & in infirmitate nostrâ *robur* 2. Cor. 12, 9. *auxilium in angustiis, inventum valdè.* Qvod per syntheſin refertur hoc loco ad sensum, & notat, qvòd DEUS abillis, qvi eum qværunt fide, facilè inveniatur: unde Tremellius rectè vertit, præsentissimum. Qvâ de re, qvi plura nosse desiderat, consulat Druſium in Epistola 109. ubi satis bene hæc explicat. Vulgatus interpres malè vidit, dum vertit, angustiis, qvæ invenerunt nos nimis. Non enim cum צָרוֹת plur. fœm. ullo modo potest construi singul. masc. נִמְצָא, vide etiam Gesn. in hunc locum. Eadem propositio ut tantò rectius observaretur, ac firmius memoriæ infigeretur, paulo aliter bis conclusionis ergò repetitur v. 8. & 12. primum enim ne per אֱלֹהִים (qvod nomen etiam Angelis & magistratui tribuitur) intelligas aliqvem DEI vicarium vel legatum, illiq; confidas, hìc utrobiq; nomen DEI veri proprium יְהוָה ponitur, & vel respectu omnium creaturarum, vel sui populi describitur: nimirum priori modo, qvod sit DEUS *exercituum* (de qvâ ellipsi vid. qvæ dicta sunt in secundâ edit. exerc. biblic. p. 121. & 122.) h. e. omnium creaturarum, qvibus ipse summus Imperator solus præest, qvia solus fecit & conservat. Confer Gen. 2, 1. Psal. 103, 21. 22. & posteriori modo, qvod sit *DEUS Jacob* in illo populo peculiariter sibi electo

Exod.

Exod. 19, 6. 1. Pet. 2, 5. 9. & in qvo se suaq; jura revelavit Psal. 76, 2. & 147, 19. 20. qvi qvod sit solus, unus, & verus DEus, qvi velit, & possit salvare, docetur Ps. 115, 3. Hic itaq; terræ Judex Gen. 18. suorumqve vindex Luc. 18. est *nobiscum* עִמָּנוּ & *locus editus* seu arx, & refugium, ac propugnaculum extra omnem teli jactum, nobis ei confidentibus, firmâ fide adhærentib⁹, invocantibus est *maxime*. id qvod per conseqventiam qvandam posse denotari voce סֶלָה, dictum est in explicatione Psalmi tertii pag. 69. 70. Vult enim hoc bene in animo ponderari psaltes & proinde aliqvantulum cantores morari. Hæc itaq; est generalis & velut proleptica reliqvorum omnium in hoc Psalmo contentorum propositio, qvæ deinceps per partes explicatur. Notanda verò hic ad nostrum usum *ex parte hominum* (1) qvod tantùm verè pii ac fideles possint sibi applicare hæc, qvod innuit vox NOBIS, toties repetita, ac deinde v. 5. 6. explicata (2) Qvod maximè in angustia seu calamitatibus hæc sint cogitanda, qvarum gravitas declaratur v. 3. 4. 7. Nam ut discipuli tum demum ad Christum approperant, qvando futurum erat, ut navis fluctibus opprimeretur; Mosesq; tùm demùm clamabat, qvando nulla elabendi via patebat: ita & nos in precando frigidi, tum demum spiritu fervidiores esse incipimus, qvando omnis generis mala adesse cernimus, Ps. 124. *Ex parte autem* DEI breviter hic declaratur, (1.) DEI essentia, nomine ejus proprio. (2.) Justitia. (3.) Clementia, qvando se suis affore promisit Ps. 91. Idemq; præstitit Israelitis & aliis. (4) Excellentia, qvòd sit Dominus & Monarcha, Imperator omnium creaturarum. (5) Potentia, asylum, robur, propugnaculum. Confer Ps. 18, 2. 3. si itaqve tempore Salomonis considebat qvisq; sub vite & ficu suâ securè 1. Reg. 4, 25. qvidni nos in hoc rege nostro suaviter conqviescamus, qvum sit ipse omnipotens? Cæsar aliqvando in mari graviter cum procellis & fluctibus ponti conflictatus, qvum nautam timore perculsum videret, ita solatus eum fuisse dicitur: confide nauta, cæsar est, qvem vehis. Nos rectius: confidite Christiani, DEus est vobiscum. Conferatur cum hac propositione egregiũ Esaiæ dictũ, qvod extat c. 43, 1. 2.

Seqvitur jam uberior hujus propositionis expositio & primo qvidem confidentiæ, qvà DEO suo nituntur pii, *Idcirco* עַל־כֵּן propter sic, qvum ita se res habeat, qvum DEUS unus sufficiat omnibus abigen-

abigendis malis,& protegendis piis, *non timemus* etiam tum, *quum terra mutat* scilicet locum,& nutat: qvum tamen naturaliter ex terræ motu ac concussione magnus oriri soleat in animis hominum timor,

Si fractus illabatur orbis
Impavidos ferient ruinæ,

aut non horrescimus, *si dimoverentur montes*, ex istâ concussione depulsi à suâ sede, *in cor*, seu medium *maris*, in ima maria delapsi. Hactenus de elemento terræ, qvæ maximè firma, jam deinceps de elemento aqvæ. *Fremant*, qvantum velint, perstrepant, & *lutosæ fiant*, ex infimis gurgitibus eructantes cœnũ ac lutum *aqvæ ejus*, cujusq; partis maris, & *si commoverentur montes in elatione* ejus maris, maximè seu Selah. In qvibus Psalmista πληροφορίαν piorum describit comparatione factâ à magis ad minus, hoc modo. Si illa, qvæ maximè solent perterrefacere, securo animo contemnimus; multò magis alia spernimus: qvomodo qvæ alii literali sensu tantùm hic contineri existimant,& per terrã imperia mundi, per montes diabolos (qvâ scripturę analogiâ, fateor me ignorare, etiã nescire, qvomodo tamẽ scopo Psalmistæ hæc verba qvadrent) per aqvas populos denotari volunt, in nostrâ includuntur sententiâ, qvæ servant verborum significationem propriam. Docemur autem (1) qvàm firma esse debeat piorũ fiducia, videlicet qvæ nesciat ullo modo concuti: nam qvi confidunt Jehovæ, similes sunt monti Sionis, qvi non dimovetur, sed in seculum permanet Ps.125,1. confer Matth.7,24.& 16,18. (2) Qvàm multiplex esse soleat eorundem miseria, qvùm Diabolus velut mundi Deus 2.Cor.4,4. Deu permittente, omnia contra eos insurgere faciat, uti luculenter probat exemplum Jobi. Qvando autem de aqvis (cum qvibus optimè hoc loco possunt conferri calamitates vide Psal.69,2. & 32,6. & 124,4.5. & 144,7.) hoc loco dicitur, possumus regredi in memoriam miraculosæ conservationis Noachi in diluvio, & præmonstrante Petro 1.Epist.3,20.21. cum arcâ Ecclesiam comparare.

Porrò uti supra innuimus, qvum hucusqve sit declarata illa propositionis Catholicæ hujus Psalmi particula, in angustiis, deinceps exponet psaltes istâ, Deus est nobis receptus. Ibi audivimus, qvæ à Diabolo & mundo Ecclesiæ inferantur mala, nunc subjicietur, qvæ à Deo in eandem redundent commoda, unde confidere incipiat. Nam ecce licet mare contra eam insurgat, & contra parvum flumen, imò rivulus

eam circumluat, tamen hinc major in eam promanat utilitas, qvàm inde timor injiciatur. *Flumen* qvid dico flumen, imò *rivuli ejus* Kidron scilicet, & alii inde deducti rivuli, *lætificant civitatem DEI:* seu Jerosolymam, ubi DEO ignis & furnus est Esa. 31, 9. ac *sanctißimum* locum in toto terrarum orbe Psal. 132, 6. 7. 13. 14. *& habitacula,* seu habitaculum optimum ac gratissimum, *excelsi,* ubi pluralis numerus iterum notat excellentiam. Qvi verò hoc fit? inde adeò, qvod DEUS suâ gratiâ ibi præsens omnem defectum naturalem facilè suppleat, DEUS *est in medio illius,* hoc est, verè adest, hinc *non dimovetur ea;* qvantumvis omnia externa insurgant, & minitentur ei exscidium, qvia DEUS *adjuvat illam, dum aspicit* vel appetit *manè* id est, oportunè ac diligenter. De phrasi vide Exod. 14, 27. de explicatione & emphasi, in expositione Psalmi 5, 4. Adde Prov. 1, 28. Drusium Prov. 77, lib. 4. c. 2. Lutherus vertit früh/ id est, satis maturè, & satis benè. Potestne etiam DEUS contra omnia mala solus sufficere? omninò, inqvit psaltes, & qvidem solo verbo, aut nutu. Nam *fremant licet gentes* turmatim convenientes vide Psal. 2, 1. qvàm maximè contra Ecclesiam, *& moveant se regna* statim, *simulac* saltem DEUS noster *edit vocem suam,* non modò illæ gentes contremiscunt, verùm ipsa fundamenta terræ timore concutiuntur, adeo *terra* videatur *liquefieri* Potissimum autem hoc fit, qvando DEUS intonat, ut probat exemplum Cananæorum Jos. 10, 11. Siseræ Jud. 4, 15. Philistæorum 2. Sam. 5, 20. 24. &c. & DEUS dicitur dare suam vocem, (qvod Lutherus notat in margine) qvando tonat Psal. 18, 14. & 68, 34. & 77, 18. & videatur totus Psalmus 29. Notanda hic sunt (1) piorum αυτάρκεια 1. Tim. 6, 6. Psal. 73, 25. 26. Prov. 30, 8. Debet itaq; hoc omnibus Christianis esse commendatum, qvod censet Psaltes Psal. 37, 16. Bonum est parum cuiq; justo, plus qvàm copia sua improbis multis. Hoc DEUS probavit, qvando in deserto vestes Israëlitarum conservavit Deut. 8, 4. Eliæ de cibo prospexit &c. proinde prima cura sit, ut DEUS adsit, ita nihil deerit qvicqvam Psal. 23, 1. (2) eorundem in malis lætitia Rom. 5, 2. Ps. 34, 2. Act. 5, 41. huc refer, qvæ de palmâ, nitente contra pondera, narrant alii, & palmis in atrio DEI plantatis accomoda Psal. 92, 13. 14. vide Plin. l. 13. c. 4. & l. 16, 42. (3) Ecclesiæ excellentia, qvod DEUS præoptet in illa habitare Psal. 87, 1. 2. per gratiam, putá peculiariter, qvi adest ubiqve per essentiam ac poten-

ac potentiam. (4) Jehovæ de suis providentia, qvos contra omnia pericula tuetur. Moses putabat, tùm omnia fore salva, qvando Jehovæ facies præcedebat populum. Exod. 33, 15. 16. & rectè. Siqvidem

Omnia coguntur cedere prona DEO,

Aqva non suffocat aut inundat, ignis non exurit Es. 43, 1. 2. vide Israëlitas Exod. 14. & socios Danielis Dan. 3. Nos autem videamus, ut DEUS semper sit in medio nostri, hoc est, habitet in corde. Nam hypocritis verè non adest, licet nomen ejus in ore ipsorum crebrò usurpetur, nec inutilibus aut malis auditoribus sermonis divini verè adest, licet videatur cum verbo intrare aures. Sic de cæteris, qvando dantur eleemosynæ non bono corde aut fine. (5) Mundi impia molimina, dum DEUM velut oppugnare non erubescunt, qvando ejus Ecclesiam infestant Psal. 2, 1. Act. 5, 39. & 9, 4. 5. Zach. 2, 8. (6) Vocis divinæ efficacia, cùm naturaliter, tùm supernaturaliter aut spiritualiter. Confer Exod. 9, 23. & 19, 16. 1. Sam. 7, 10. & 12, 16. Psal. 68, 34. Hæc est confidentiæ piorum depræ-dicatio: seqvitur DEI providentiæ observatio.

SECUNDA PARS.

QVando David Goliathum interfecerat ex omnibus civitatibus occurrebant ei, & gratulabantur 1. Sam. 18. Qvantò magis itaq; decet Dei facta stupenda observare; qvum illius vi ac potentiâ ille tantum facinus patraverit Psal. 144. 1. Sam. 17. Hàc de causâ motus psaltes, qvum divinum agat præconem, ita facit auritum omnem populum. *Venite*, seu agite (qvando enim duo imperativi, vel unus cum infinitivo jungitur sine copulâ, prius rectè potest verti per adverbium. Vide Buxtorf. thesl. 2. c. 16. p. 461. Gualtper. lib. 2. de Syntaxi verbi cum nomine Reg. 18. (*Videte opera Jehovæ*, cum ordinaria in rerum conservatione, tùm extraordinaria in miraculis (siqvidem hi duo providentiæ divinæ modi nobis proponuntur, & qvod hæc nomine מַעַל veniat, probari potest ex Esa. 5, 12. Eccl. 11, 5. addantur, qvæ dicta sunt, ad dictum Prov. 16, 4. in secunda edit. exercit. bibl. pag. 130.) qvi propter hominum peccata tantas *disponit desolationes*, de qvibus v. 3. 4. 5. in terrâ, & per hostes, ceu suam virgam Esa. 10. homines castigat, contra verò placatus hominum pœnitentiâ ipse est *faciens, ut cessent bella, usq; ad extremitatem terræ*, non in uno aut altero mundi angulo, sed qvà patet totus hic orbis, *arcum perfringit, & truncat hastam, currus comburit igne*, qvomodo

do pto ratione veteris militiæ per μίμησιν pleraq; instrumenta bellica recensет, qvibus sublatis, qvin ipsum bellum cesset, nullum est dubium. Per mimesin vero hujus summi monarchæ decretum ita refert, *desistite* inqvit, vos, qvicunq; hactenus, me permittemte, potuistis contra meum populum furere, & *agnoscite, me esse* DEUM, qvi omnia rectissimè gebernet, qvi nôrit,

Parcere subjectis & debellare superbos,

me solum excelsum supra v. 5. *exaltatum iri* in gentibus, qvas aut perdam refractarias, aut salvabo obseqventes, *me exaltatum iri in tota terra*, dum omnia gloriam meam illustrare coguntur, qvomodo Lutherus satis rectè vertit, Ich will Ehre einlegen. Et tum dicent pii, à me conservati, sibi ex animo gratulantes, *Jehova, Dominus exercituum nobiscum est, locus editus nobis* DEUS *Jacob maximè* qvomodo non sine causa, sed ad indicandum sacrosanctæ Trinitatis mysterium ter ferè iisdem verbis eadem sententia in hoc Psalmo v. 2. 8. 12. repetitur, ut discamus omnium primò in principio, medio ac fine cujusq; rei DEO confidere, & teneamus DEUM Patrem, Filium, & Spiritum sanctum esse illum verum DEUM, suæ Ecclesiæ defensorem unicum.

Observanda hic est (1) DEI providentia, siqvidem non est ille Numen ociosum, verùm operatur semper Joh. 5, 17. Ille de nostra salute ab æterno fuit sollicitus Ephes. 1. Ille in principio cœlum terramqve creavit, & hucusq; conservavit, ille nos ad sui filii regnum vocavit: venite & videte tanta opera Domini, ille ex pulvere terræ rursum excitabit ac vitâ æternâ donabit. O mira opera Domini! digna certè, qvæ fidei spectentur oculis. (2) DEI Justitia, DEUS ad iram provocatus est autor mali pœnæ, & in specie ipse est, qvi bella immittit, ut comminatus est legis transgressoribus Levit. 26. Deut. 28. ipse mutat & transfert regna Dan. 2. Propter injustè facta, contumelias & pecunias dolo partas Sir. 10, 8. Prov. 28, 2. Ita ob suam impietatem devastata est Sodoma Gen. 19. Samaria, Jerosolyma, Carthago, Roma, & hodie multiplicibus nostris peccatis idem DEUS offensus tantas devastationes nostræ immisit patriæ. (3) DEI misericordia, qvi in irâ misereri recordatus Hab. 3, 2. filii merito fide applicato placatus, malâ immissa vel tollit, vel mitigat. Sic DEUS est recordatus Noachi in diluvio Gen. 8, 1. Israelitarum Exod. 6, 4. Davidis Ps. 132, 1. 2. Sam. 24. & omnium suorum

Luc.

Luc. 1, 54. 72. Qvi itaq; vis bella aliaq; mala ceſſare, deſine peccare, ita faciet DEUS, ut illa qvoq; ceſſent. Ejus rei exemplum præbent egregium Iſraëlitæ tempore Judicum: à DEO averſi affligebantur & opprimebantur à tyrannis, ad DEUM converſi ſalvabantur à divinitus miſſis heroibus. (4) DEI potentia, qvæ tanta, ut nullis terminis finiatur, nullis viribus reprimatur. Potens erat Rex Salomo, qvi à mari ad mare, à flumine uno ad alterum imperabat, nullumq; hoſtem experiebatur, 1. Reg. 4, 21. Sed nihil ad omnipotentem cœli Dominum. Aſverus 127. Provinciarum erat Dominus, Eſther 1, 1. ſed miſer hujus Monarchæ tantùm vaſallus. Et vide ſaltem utriusq; ſatellites ac ſtipatores, ac facilè æſtimabis dominorum potentiam. DEO inſerviunt millia millium Angelorum, qvorum unus potuit unâ nocte 180. millia hominum in caſtris Aſſyriis occidere: Eidem ad nutum præſtò ſunt omnes Diaboli malorum vindices, omnes creaturæ: reliqvis Regibus ſæpe inſerviunt non ita multi, & qvandoq; luxu ac deliciis fracti. (5) Qvæ hominum ſumma ſapientia, nempe DEUM rectè noſſe ac colere Sap. 15, 3. Joh. 17, 3. 1. Cor. 1, 31. Huc itaq; ſtudia omnia noſtra tendant, huc omne principium, huc refer exitum, & agnoſce DEUM in malis juſtum, in ſecundis rebus bonum; ita futurum eſt, ut qvum DEUS in te fuerit exaltatus, tu ab eo poſthac exalteris, & ut ipſe tibi hîc affuit gratioſè, ſic in omnem æternitatem deinceps ei adſis glorioſè, ac canas hoc Ἐπινίκιον: Jehova nobiſcum, DEUS Jacob nobis locus editus.

DOMINICA V. POST EPIPHANIAM.

Eſa. 5, 1. 2.

SOlet Eccleſia conferri cum arcâ Noachi, idqve poſſe fieri, jamdudum præmonſtravit Petrus 1. Epiſt. 3, 20. 21. Membra comparationis hujus poſſunt dari longè plurima: in præſentiarum verò hæc videri poſſunt. 1. DEI illam parantis ſedulitas. 2. Animalium in eâ varietas. Ut enim nihil dicam de Noachi, qvam in duluvii prædictione & arcæ facricatione ſuſtinuit 2. Pet. 2, 5. afflictione, de ejusdem mirabili conſervatione, deq; conſervatorum hominum arctiſſimâ cognatione, qvia ut tabulæ illius navis erant pice obductæ, nec ubi rimis illa fatiſceret: ſic glutine amoris & viſco caritatis corda hominum in illâ degentium erant conjuncta, ut doceremur, eos demum veros eſſe Chriſti diſci-

discipulos, ac in mundi παινωλεθεία servandos, in qvibus amoris nota reperitur Joh. 13, 35. Consideretur hîc tantùm de cavendo exitio & parando subsidio, DEi mandatum, Gen. 6, 13. 14. & apparebit, qvomodo idem semper homines per verbi ministros moneat, ne se præcipitent in mortem æternam, sed beneficio baptismi in Ecclesiæ gremium recepti, hoc agant, ut ex verbi thesauro, & sacræ cœnæ antidoto sibi prospiciant de omnium malorum remedio. Et velut in eâ erant munda ac immunda animalia Gen. 7, 2. ita in Ecclesiâ sunt boni pariter ac mali. Et qvemadmodum ibi longè plura immunda, ita hîc multò plures mali, & qvidem omnis generis. Id adeo hinc fit, qvod ubi DEUS curat serendum semen bonum, Diabolus varii generis adjiciat Zizania, ut habet hodierni diei Evangelium Matth. 13, 24. 25. & ubi est una rosa Scharonis, & unum lilium convallium, ibi semper sint multæ spinæ Cant. 2, 1. 2. Hoc ipsum placet in aliâ parabolâ Esa. 5, 1. 2. propositâ declarare. Partes erunt duæ:

Prior, vineæ à DEO facta sedula præparatio.
Posterior, vitium pessima degeneratio.

Christe Jesu, tu vitis vera es, & Pater tuus agricola, seu vinitor, nos palmites Joh. 15, 1. 2. te rogamus, purga nostras audientium aures, imò corda, dicentisq; linguam, ut qvæ vera & utilia sunt, doceantur, & fideli mente teneantur, Amen.

PRIMA PARS.

QVanto studio templum illud sumptuosissimum exstruxerit Salomo, ex iis, qvæ leguntur 1. Reg. 5. 6. 7. cap. facilè est conjecturam capere, sed qvàm pessimè illud optimum cogitatum tandem ceciderit, ex Jer. cap. 7. & alibi liqvet: nimirum debebant Judæi in illo DEUM verum colere, suasq; preces fundere 1. Reg. 8. Illi autem omni impietati & idololatriæ dediti, templum putabant suæ neqvitiæ optimum esse latibulum. Unde Salvator graviter dicit, factum id esse speluncam latronum Luc. 19. Qvod in illo templo externo factum esse apud Judæos legimus, in templo DEI, seu Ecclesiâ qvotidie fieri ex sacrâ Scripturâ intelligimus. Nimirum DEUS nihil in se desiderari patitur qvicqvam, qvò minus illa floreat, verùm homines in eâ viventes, indignè tractant, & acceptant tantam DEI clementiam. Testis erit Esaias in hoc suo cantico,

cujus

cujus nos videbimus tantùm popositionem, cui tamen ipsa uberior expositio & applicatio statim est subjecta. *Accinam*, inqvit, *nunc dilecto meo* (לִידִידִי מִ *de vineâ ipsius*, id est, Ecclesiâ, infra vers. 7. *Vineæ* namqꝫ *est dilecto meo in clivo, seu colle uberrimo.* Lutherus rectè: **An einem fetten Orte/** Chaldæus in monte excelso, & terrâ pingui, Vulgatus interpres latinus hebraismum maluit retinere, qvàm exponere, in cornu filio olei, בְּקֶרֶן בֶּן־שָׁמֶן (de qvâ constructione vide Buxtorf. thes. l. 2. c. 3. p. 328. edit. 2. exercit. bibl. p. 149.) est enim hoc loco filius olei, qvasi oleo fluens, pinguis, & uber: cornu autem per metaphoram dicitur collis, pars terræ, aliqvo modo editior, ut cornu in animalibus, & sine dubio ita ad situm ipsum Jerosolymorum alluditur, siqvidem ad montem excelsum arx Davidis erat ædificata. Fuit itaqve hæc vinea in loco satis oportuno, commodo ac convenienti consita, ut sanè rationi loci nihil qvicqvam desiderari potuerit: sed nec in externis munimentis neqꝫ in internis reqvisitis qvicqvam defuit, siqvidem *illam* vineam *circummunivit* seu circumsepsit, qvod Matthæus cap. 21, 33. effert φραγμὸν ἄυτῳ περιέθηκε, *lapides sq.* adjecit, ut Lutherus vertit, hoc est, sepi lapides & saxa apposuit, ut illa duret melius, seu *ejecit ex eâ* impedimenta omnia, & obstacula removit. Utrumqꝫ enim notat verbum סָקַל in Piel, elapidare, seu lapides removere, & lapidibus obruere, hoc 2. Sam. 16, 6. cum hoc loco confer Esa. 62, 10. Junius utrobiqꝫ posteriorem amplectitur. Ego priorem hic servare malim significationem, qvamvis sciam capita concordantiarũ facere cum eo, & hoc loco etiam plerosqꝫ alios interpretes, inter qvos Vatablus. Qvod verò non nemo existimat, non posse ullo modo istam Lutheri significationem, **Er hat ihn mit Steinhauffen verwahret/** hic obtinere, qvia præcedit, qvod sepserit eam, leve est, qvum plerumqve magnis sepibus soleant adjici lapides, ut firmius contra ventorum aliarumqꝫ tempestatum violentiam atqꝫ injuriam consistant. Et hæc pertinent ad vineæ defensionem: sequitur de ejus consitione. *Et plantavit*, seu consevit *eam* optimo & laudatissimo vitis genere, qvod hebræi vocant שֹׂרֵק, seu generosissimis plantis vel surculis, in cujus uvis non inveniantur acini Genes. 49, 11. Jerem. 2, 21. ut volunt nonnulli Hebræorum, Lutherus, **Er hat edle Reben drein gesenckt/** qvæ vites qvando jam proferrent fructum, ut esset, qvi

qvi conservaret eas: & ubi possent uvæ exprimi, etiam *exstruxit*, seu ædificavit *turrim*, vel *arcem* seu qvod posset esse instar alicujus magnæ arcis, qvod & usus & origo vocis hebrææ מִגְדָּל innuit. Matthæus Græcè ᾠκοδόμησε πύργον, ita turrim fabricavit, ut simul possit esse loco domus, *in medio ejus*, ut ita custos undiqvaq; posset prospectare, & singula curiosis oculis perlustrare, בְּתוֹכוֹ cujus vocis emphasis cum plerisqve interpretibus hic non erat negligenda, ut infra in L. C. observabimus, & *quoq;* וְגַם insuper hoc reliqvis adjecit operibus, ac *torcular excidit in eâ* vinea sua חָצַב magnâ curâ effecit, ut illi, qvi ex magnâ trabe artificiosum aliqvod opus cædendo dolandoq; effabricant, vel qvi ex rupe lapides eruunt, eosq; cædendo, & sculpturis ornando, in varias figuras effingunt, ut ita respiciatur ad materiæ stabilitatem, & artificis in eâ parandâ sedulitatem. Putant tamen alii considerantes Matthæi explicationem cap. 21, 33. ὤρυξεν ἐν αὐτῷ ληνὸν, notari locum, ubi solet esse torcular, nempe subterraneum, seu specum, qvo defluat expressus uvarum humor, qvomodo Lutherus noster vertit, Er grub eine Kelter drein. Ecce qvanta hujus Domini vineæ cura! ut expendas deinceps, qvám mala facta sit vitium natura.

I. Loc. Commun.

LEvitis in V. T. præceptum erat, ut ignem eum jugiter in arâ alerent, qvi semel cœlo fuerat delapsus Levit. 6, 5. 6. Ministri N. T. qvi semel à DEO facti sunt idonei 2. Cor. 3, 6. hoc agant, ut amoris divini ignem, qvem semel conceperunt in corde, perpetuò conservent, ne opus sit qværere, an diligis me? neq; necesse sit verbis profiteri, Domine nosti, qvod te diligam Joh. 21, 15. 16. 17. ita poterunt cum Ecclesiâ verè dicere, dilectus meus mihi, & ego illi, ut habet vulgata versio Cant. 7, 10. & qvod ad sensum, non adeò malè, qvum ille hic sit: Ego dilecti mei sum, qvandoqvidem erga me est appetitus ejus. Talis fuit noster Esaias, qvi Christum recte vocat suum dilectum, & unicè adamatum, idq; probat, se ita habere, qvando ei canit, ei vivit, ei auditores suos adducit hac seqvente satis acri παρρησίᾳ, & ὑπθεσίᾳ. Et qvia canit, voce elatiori se ea proferre, atq; ita, ut ab omnibus audiri qveat, innuit, monetq; alios, ut ipsius exemplo rem ipsam dicant clarè, sine ambagibus & circumitione inutili, cogitentq; sibi esse commissam vineam, in cujus vitibus folia luxu-

luxuriantia sunt falce legis amputanda, ager fodiendus, vites alligandæ & associandæ arbori vitæ Jesu Christo. Sed hoc opus, hic labor est, & ad hæc quis idoneus? merito exclames cum Apostolo 2. Corinth. 2, 16. Neq; negligenda est hic illa particula, quando quod auditoribus proponit eorumq; bono, ut malam vitam corrigant, se dilecto suo accinere, ait Propheta. Nimirum non est ulla gratior DEO musica, quàm adhortatio gravissima facta ad auditores de pietate verâ. Quisquis es

Cantes voce, lyrâ, citharâ, testudine, cornu:
Præco DEI si vis psallere, psalle DEO.

II. Loc. Commun.

PRæcipuè autem est canendum, seu dicendum pro concione de ipsâ vineâ, de ipsis Ecclesiæ membris, quomodo illa in fide & moribus rectè instruantur, & hoc potiùs, quàm ut multùm temporis sæpe sine causâ in veteribus, vel recentibus (si non sit metus à congione eorum) hæreticis taxandis consumatur. Quid enim ad nos, qui sunt extra? 1. Cor. 5, 12. quique ea, quæ hic dicuntur, non audiunt, vel si tandem ad eos deferantur, non obediunt. Si autem hæretici sunt vel in finibus vel in Ecclesiæ pomœriis, graviter, dextrè, ac rectè sunt refutandi, ita tamen ne reliquæ oves, quibus istas subtilitates scire non est datum, interim negligantur, & quadret huc illud: de moribus ultima fiet quæstio. In quibus tamen præcipuè hodie peccatur. Quod etiam videntur attendisse scriptores Epistolarum Canonicarum, qui studium bonorum operũ valdè urgent & caritatem, quum Paulus jam & alii doctrinam fidei explicuissent, quâ multi abutebantur ad suam neqvitiam Rom. 3. & 6. Jac. 2.

III. Loc. Commun.

ECclesia est DEI, non Papæ Romani, quia ille eam non vocavit, non redemit, non sanctificavit, verbum non protulit, nec sacramenta instituit. Quâ conscientiâ itaq;, quo jure potest ipse omnia vendere, quum nihil quicquam eorum sit ipsius, sed DEI solius, cui illa velle subtrahere sibiq; tribuere summum est sacrilegium. Quod etiam alii notare possunt, qui omnia officii sui munia dirigunt ad quæstum, & nihil quicquam præstant gratis, ibi fas, ubi maxima merces, qualium etiam Apostoli tempore tanta copia, ut κατὰ δ ξαν omnes, quæ sua sunt, quærere asseveraret Phil. 2, 21.

IV. Loc. Commun.

DEUS Ecclesiam Sponsam suam abundè dotavit ac ditavit in omnibus bonis spiritualibus inprimis, 1.Cor.1,5.7.Eph.1,3.nam de corporalibus tantum dat, qvantum sufficit Matth.6, 11. qvando autem hebraicè dicitur esse sita,in cornu filio olei, præter alia jam superius annotata, id ad usum nostrum observare poterimus, esse illam sitam super fundamentum firmum, qvod est Christus1.Cor.3.Matth.16. qvi est illud cornu salutis erectum in domo Davidis , de qvo adeò effusè lætatur Zacharias Luc.1,69. unde omnia bona ad nos promanant, per qvem reddimur Reges, Sacerdotes, ut olim illi ex cornu Prophetarum ungebantur, ad qvod cornu possumus rectiùs confugere,qvâm olim illi in V.T. qvi deposcebantur ad mortem. Et hoc cornu est filius olei , ipse immensa, infinitaq; Spiritus S. dona accepit Psal. 45. Act. 10. & dat singulis eâ mensurâ, qvâ vult, 1.Cor. 12. ut ita simul hic moneamur, qvinam sint illi Doctores ac ductores præcipui Ecclesiæ, qvàm potens sit illius dux, qvam ingens ejus lux, qvanta firmitas, qvanta ubertas.

V. Loc. Commun.

ECclesiam DEUS etiam, velut suam arcem Sion,munivit egregiè,non tantùm jubens, qvum vult, ut omnes creaturæ eam juvent, vel oppugnare saltem desinant sup. ex Psal.46. Verùm etiam magistratui suo vicario, cui dedit potestatem & gladium, severè injungens,ut sit Ecclesiæ nutritius Esa.49,23. & 60,16. Psal.2, 10.11. qvod etiam pii judices & reges fecisse leguntur, imò si necesse sit,ipse mittit suis igneos currus 2. Reg.2,& 6. &, qvod majus præbet solatium, ipse est igneus murus Zachar.2.vers.5.

VI. Loc Commun.

NE qvid desit, lapis ibi non tantùm est angularis Eph.2. & precios us 1.Pet.2. Christus,Rex suæ Ecclesiæ;verùm etiam duodecim lapides insignes, Apostoli, & alii Doctores egregii, confer Esa 54,11.12.Apoc.12 11.14. 18.19. & compara 12. lapides è Jordane sublatos, & in monumentum erectos Jos.4,3. Horum igitur est cavere, ne qva fera malis moribus, vel pravâ doctrinâ aut hæresi illam vineam vastet,qvemadmodum sepes & lapides id præstant aliàs Cant.1,6. Psal.80,9.10.11, 12. 13.14.

VII

VII. Loc. Commun.

DEVS hominem primó rectum, justum, & sanctum condidit; ipse verò porpriâ culpâ degeneravit: & hodie etiamnum omnes in Ecclesiâ nati, ac per baptismi lavacrum renati, mundi ac puri sunt in DEI conspectu, commaculantur uerò rursus peccatis. Nulla igitur in DEO perditionis hominum culpa, sed in ipso Hos.13,9. & merito, qvum Deus bonum semen projecerit in agrum: qværimus cum discipulis, unde ita. qve Zizania? & responsi hoc ferimus: inimicus adjecit.

VIII. Loc. Commun.

CUm hàc turri non malè possumus componere verbi ministerium, in qvo constituti sunt velut speculatores in castris Ezech.3.&33. Habac. 2,1. & hi rectè jubentur stare in medio, ut omnium suorum auditorum vitam & mores rectè inspicere ac regere qveant. Aaron stabat aliqvando inter vivos, & mortuos Num.16,48. ita omnis fidelis verbi præco stet in medio, & æqvè ad omnes oculorum aciem dirigat, non in magnis conniveat, in parvis qvod vituperat, stet in medio spiritualiter mortuorum, ut vivificet, & viventium, ut porrò gubernet.

IX. Loc. Commun.

MUlta fecit, ac qvotidie facit DEUS, Dominus vineæ, ut homines salventur, & multi ejus conducti ministri Matth.20. ociantur suaviter, & parùm eorum administrant, qvæ sibi norunt esse demandata. Condemnabit hos Paulus, qvi plus laboravit, qvàm omnes 1. Cor. 15. condemnabit eos Christus, qvòd talentum, sibi concreditum, non benè collocârint Matth.25.

X. Loc. Commun.

DEniq; notetur jam illo torculari crux, Crux Christi, inde profluit ad nos potus vitæ: & nostra, in qvâ verè pii gratas DEO emittunt lacrymas & suspiria, ac fructibus bonis abundare discunt Luc.8,15. in patientiâ. Sunt enim hæc tria Christiani officia, credere, diligere & cruci se subjicere, qvæ germanicè Lutherus ad Mich. 6. extulit elegantius. gleuben / lieben / leyden. Simul verò hoc discimus, qvòd crux à Deo piis immittatur, siqvidem ipse hic dicitur excidere torcular, per crucé aurum fidei velut celare, ac probare, affectuum pravitatem calamitatis

dolabrâ levigare, securi miseriarum malas inclinationes præscindere, atq; ita lapides illos vivos templi sui præparare. Ex qvibus omnibus satis superq; constat de DEI conferentis, custodientis & colentis hanc suam vineam diligentiâ. Nunc è contrario videnda restat hominum ingratitudo & impietas summa.

SECUNDA PARS.

QVid non de tam generosis beneq; excultis viribus sibi promitteret spiritualis hortulanus? sed conqveri necesse habet cum Micha cap. 7,1. heu mihi, qvum sim tanqvam interceptis æstivis fructibus, nullus est botrus ad comedendum, qvum tamen præcocem fructum desideret anima mea. Noachus plantans vineam statim fructus percipit Genes. 9, 20.21. at DEUS, verus ille consolator Rom. 15,5. 2. Cor. 1,3.4. plantavit & excoluit diligentissimè suam Ecclesiam, sed vide eventum. *Qvum exspectasset*, & qvidem satis anxiè Psal. 40,2. magnoq; desiderio affectus, ut ille, qvi, cum ad metam sedulò collineavit, scire expetit, num etiam ferire potuerit, qvod minabatur (eam enim esse emphasin verbi קָוָה & conjugatio ipsa innuit, & usus probat, & derivata nomina evincunt) *ut faceret*, id est, ederet seu proferret (hebræi enim dicunt arborem facere fructum, qvod in N.T. etiam retinetur, ποιεῖν καρπὸς) *uvas* bonas, dulces, ac maturas: protulit vel nullas vel malas, imò uvas venenosas ac botros amaros Devt. 32,32.33. *fecit* inqvam, *labruscas* Lutherus Heerlinge/ uvas similes uvis, qvomodo notatur hypocrisis, sed amaras, immaturas, & acerbas, qvomodo significantur vitia & flagitia, uti patet ex subjectâ ipsius Prophetæ explicatione, & ipsa etymologia vocis Hebrææ בְּאֻשִׁים, qvæ significat fœtidos fructus à בָּאַשׁ, id est, fœtuit, confer qvod ad phrasin Psal. 38,6. qvod ad rem Psal. 143,

I. Loc. Commun.

QUàm seriò DEus velit homines salvari, Salvator indicat, qvando in parabolâ de malâ ficu patientiam hortulani nobis declarat Luc. 13, 6.7.8. qvàm ardenter idem salutem procuret, ejus cura in præcedentibus exposita evincit. Et ipsum genus loqvendi hic redarguit Calvinianos blasphemantes DEUM qvosdam creasse, imo ad Ecclesiam vocare, ut aggravetur ipsorum condemnatio, non ita exspectat diu, qvum statim ex jure posset perdere, ut ita tanti bonitatis ac patientiæ thesauri

ad

ad pœnitentiam homines alliciant Roman.2.v.4.5. Hic est DEI finis hæc meta, ut credentes salventur: huc collineavit hominem ad sui imaginem creando, lapsum in gratiam recipiendo. Spiritus sancti donis ditando. Simul etiam indicatur, qvid DEUS velit sibi à nobis retribui pro immensis ac innumeris beneficiis, nimirum pietatem in ipsum & dilectionem in proximum.

II. Loc. Commun.

ET hæc verè atq; ex animo 1. Joh.3,18. Non exspectat DEUS, ut dicat vel simulet qvisqvam illa, sed ut faciat Matth.7,24. Joh.13,17.& 15. 14. Verùm ita est proh dolor, ut possit DEUS usurpare de plerisqve illa verba, qvæ extant Psal.18,45. ad auditionem auris obediunt mihi, alienigenæ mendaciter se dedunt mihi. Qvod si ita est, iterum refutantur hîc Calviniani illi (omnibus enim hoc imputare velle, est dicere falsum testimonium, qvum expressè contradixerit tam horrendo dogmati ex Calvinianis Junius in Academiâ Lugdunensi, Corranus in Oxonienſi, Hemmingius in Hafnienſi, Moltherus in Marpurgensi, Sohnius in Heidelbergensi, Olevianus in Gymnasio Herbornensi) qvi DEUM velle peccata, asserunt. Qvomodo enim vellet, qvod adeo in sequentibus detestatur?

III. Loc. Commun.

PEccati verò si qva causa est efficiens (cum revera sit deficiens) diaboli suggestio, & hominis obsecundatio prava est. Hic enim est, qvi facit seu profert labruscas in omnibus præceptis decalogi, pro virtutibus vitia, pro pietate improbitatem, pro amore odium præstat. Inde adeò fit, ut coram DEO fœteat neq; unqvam bonus odor seu fragrantia ex sacrificiis nostris proveniat, nisi per Christum offerantur, confer Eph.5,2. Heb.13,15.16. 1. Petr.2,5, Apoc.1,6.& adde ejus rei velut typum qvendam in sacrificio Noachi, ex mundis animalibus oblato, Deoqve valdè grato Genes.8,21. De malis itaqve in Ecclesiâ, & corrigi nescià turbâ, nil aliud restat, qvàm ut Deus ita lamentetur ego te plantaveram vitem generosam, totum semen fidele, qvod fidem præstaret mihi: qvomodo ergo mutata es mihi in degeneres palmites vitis alienæ? Jer.2.21. Tu autem ô Jesu Christe, fac ut nos semel tibi implantati surculi abs te gestati, purgati, & fœcundati tam firmiter tibi inseramur, ut tandem cœlesti paradiso inseramur, Amen.

DOMINICA SEPTUAGESIMÆ.

Ephes. 2,8.9.10.

ISraelitis in deserto vagantibus, & cibi inopiâ laborantibus, DEUS fecit, ut caderet ros cœlestis, videntes autem illi dicebant alter alteri, Man est, hoc est, cibus præparatus (à verbo מָנָה id est, præparavit) & sine labore ipsorum comparatus, ut appellatur Sap. 26,20. Verùm qvem Angeli fortes illi Dei ministri suppeditabant Psal. 78,25. hunc qvisqve pro se colligebat, & si qvid reponeret in diem Sabbathi, conservabatur, reliqvis vero diebus fœtuit. Exod. 16,14 15.16,20.23,24. Omnes homines, postqvam in Adamo ex Paradiso DEI erant ejecti Genes. 3. nec ad arborem vitæ poterant pertingere, animæ cibo destituti, mortem æternam oppetere necesse habebant, sed DEus misertus generis humani in rore sui verbi Esai. 26,19. proposuit omnibus comedendum panem vitæ, optimum donum, atqve adeò omnium Dominum ac filium suum unigenitum, qvi salutem nobis acqvisivit, & gratis operâ suorum Angelorum, seu legatorum offert ac confert. Qvem si qvis pro se fidei manu arripit, in vitam æternam cibatur, nec esurit Joh. 6. postea verò, si qvis ex fide bona opera præstans, non facit ea in DEI gloriam, fœtent omnia: si autem ritè & rectè ea facit, secundum opera gradum gloriæ majorem obtinebit ex DEI promisso. Non enim opera vitam æternam possunt mereri, sed gratis illa datur, qvemadmodum in parabolâ de vineâ id hodie explicatur. Cujus summa qvoniam hæc est, vitam æternam dari non juxta laboris mensuram, sed gratuito DEI favore, & tamen esse laborandum cuiqve in sua vocatione, seu esse diligenter in studio bonorum operum pergendum, eaq; duo egregie Eph. 2,8.9.10. exponantur ab Apostolo, libet jam hoc dictum explicare. Partes erunt duæ:

Prior, qvæ sit hominu gratuita coram DEO justificatio,
Posterior, qvæ justificati pia conversatio.

Ibi DEI dona, hìc bona opera: ibi æterna felicitas, hìc morum integritas. Tu verò Jesu Christe salutis nostræ autor Act. 4,12. fidei inceptor & consummator unice Heb. 12,2. tu es plenus gratiâ & veritate Joh. 1,14. concede nobis, ut nunc qvoq; ad hæc ritè docenda, & rectè discenda, gratiam pro gratiâ accipiamus ibid v. 16. sic non in nobis Psal. 115,1. sed te,

te DEO nostro gloriabimur Jer.9. 1.Cor.1. tu nos spiritualiter claudos sana, ut deinceps in tuis viis ambulemus jugiter Psal.25. & in te verâ viâ viam ad vitam inveniamus Joh.14,6.

PARS PRIOR.

QVando David Mephibosethum patriis bonis denuò donaverat, regiisq; epulis adhibere deinceps constituerat, ipse humilimè hoc tantum beneficium agnoscens, & procidens in faciem, in hæc verba prorumpit 2.Sam.9,8. Qvid est Servus tuus, ut respexeris ad canem mortuum, qvalis sum ego? Nos in Adamo omnibus donis ac bonis veris spoliati, in Christo autem eadem recuperantes, & in Ecclesiâ mensæ Domini participes, merito tantam gratiam DEI celebrantes, & nostram miseriam, & illius misericordiam deprædicantes, hæc verba usurpamus: ô DEUS, qvid est servuus tuus, tibi refractarius, prout est animalis vel carnalis 1.Cor.2. Rom.8,7. ut respicias eum, aut ullo modo cures Psal. 143.3. similis est in se, vel sibi relictus, cani ob vilitatem & impudentiam summam, conferantur loca Devt.23,18. 1.Sam.24,15. 2. Sam.3,8. & 16,9. Matth.7,6. Apocal.22,15. 2. Pet.2,22. Phil.3,2. & verè in peccatis est mortuus Ephes.2,1.5. manetqve in morte, nisi ad eum veniat vita hominum Jesus Christus Joh.1. eumq; vivificet, secum excitet Rom.6. & à terrenis ad cœlestia evehat, ac ponat eum in supercœlestibus, faciatqve eum in fide cognoscere, qvæ longè superant omnem captum, ac rationem humanam. In qvibus verbis habetur occasio hujus nostri dicti Eph.2,5.6.7. Apparet inde liqvido, qvòd homo non plus ad sui regenerationem possit conferre, qvàm ad carnalem generationem Johan.3. Non plus se juvare qveat in sui conversione, seu excitatione spirituali, qvàm planè mortuus ad sui resuscitationem, & proinde qvicqvid hujus sit, omne DEO acceptum sit ferendum, qvi gratis illa omnia præstitit ex merâ misericordiâ. Apostolus autem causas salutis breviter indicat in θέσει v.8. & ἄρσει v.9. ex parte DEI est gratia & donum, ex parte nostra fides. Removentur verò ex actu justificationis & salvationis (siqvidem utrobiqve eædem omnino sunt causæ, cum decretum seu electio, ipse actus & complementum non differant hactenus ob DEI immutabilitatem) omnia nostra opera qvocunqve nomine veniant, & additur ratio, ut excludatur gloriatio Roman.3,27. qvæ omnia cùm ita se habeant, inferri rectè po-

potest ab Apostolo, τῇ γὰρ χάριτι, *hac igitur gratiâ* Christi Jesu jam explicatâ, ut non sit necesse hic expresse αὐτὸ addere, estis *salvati* nunc per spem Rom.8,24. &, si pergitis constanter, revera & quod ad ultimum complementum salvabimini. Cur itaq; non omnes à Christo redemti (quod etiam Syrus paraphrastes habet) salvantur? dicat quispiam, quasi per occupationem adjicit Apostolus, hanc à DEO constitutam esse τάξιν & ordinem Act.13,48. ut ex parte nostrâ adsit fides, quæ Christi meritum sibi applicet διὰ τῆς πίστεως, quomodo notatur instrumentum, per fidem, non propter prævisam fidem aut opera, quod olim Pelagiani, hodie Jesuitæ, Photiniani & Arminiani (si credendum est iis, quæ scripsit Bertius & alii) statuunt, quod etiam porro illis verbis declaratur, *& hoc non ex vobis*, siquidem fides ipsa divinitus, & gratiosè confertur, ut donum, confer Matth.16,17. Johan.6,44. Actor. 17,30,31. 2.Thess.3,2. Philipp. 1, 19. unde etiam DEI opus vocatur Johan.6,28.29. nempe quod operatur in nobis per verbum & sacramenta. DEI ideirco hoc donum est in solidum, cujus ordinationi quantum in opere conversionis & salvationis tribuitur, tantum humanis viribus detrahitur, idq; expressius versu 9. exponitur, *non ex operibus* sive conversionem præcedentibus, quæ vocant de congruo gratiæ DEI hostes, sive eam subsequentibus, quæ appellant de condigno, seu quocunq; alio nomine veniant, *ut ne quis glorietur* in se, sed quum intelligit se omnia gratis, sine operibus per gratiam DEI consequi, DEum glorificet, quemadmodum etiam sub initium N. T. & conversionis gentium factum esse acta Apostolica testantur, in quæ vide B. Lutheri præfationem germanicam & marginales glossas.

I. Loc. Commun.

SUnamitidis Elisæi hospitæ filius ita demum revixit, cùm postquam ejus famulus frustra scipionem ipsius faciei demortui pueri apposuerat, Elisæus ipse adveniens orat pro eo, eumq; incubando fovens virtute DEI vitæ restituit 2.Reg.4,29.31.33.34. Ita etiam Ecclesiæ (quæ cum illa hospita Elisæi potest comparari, tùm quod virum DEI receperit, deq; necessariis prospexerit, tum quod in malis constituta, & morte filii afflicta horsum confugerit) filii ita demum spiritualiter mortui excitantur, non quum servus DEI Moses cum lege advenit (hæc enim per ac-

accidens ob vitium hominum Rom. 8,3. 2.Cor. 3,6. est litera occidens) sed cum ipse Christus pro genere humano intercedens apud Patrem, & gratiâ in Evangelio oblatâ reficiens vitam reddit, qvi est solus ille, cui Elisæi nominis omen, hoc est, Deus meus est salus, competit, Matth. 1,21. hoc ipsum Paulus hoc loco declarat & emphaticè adjicit articulũ, qvi præcedentia omnia complectitur, nempe qvòd Christus solus sit, qvi sua virtute id præstet Joh. 5,25. ut, qvi vocem ejus audiunt, etiam per ministros prolatam Luc. 10. vivant. Qvanta autem hæc sit gratia, aliqvo modo ex iis apparet, qvæ habet Apostolus Rom. 5,8. 9. 10. Morti eramus omnes per severam DEI comminationem Gen. 2,17. adjudicati; gratiâ autem Dei vivimus. Ob debita nostra omnes eramus venditi; gratiâ autem Christi sumus liberati Matth. 18. Joh. 8,36. In tenebris sedebamus omnes & umbra mortis; gratiâ autem Christi sumus illuminati Matth. 4. Errabamus omnes ut oves, sed per eum ad ovile DEI sumus reducti Luc. 15. 1.Pet. 2. ut meritò dicamus cum Paulo Tit. 2,11. illuxit gratia DEI salutaris (σωτήριος) omnibus hominibus.

II. Loc. Commun.

DE Justificatione agit Apostolus, & tamen eos salvatos esse dicit, cùm ob Dei immutabilitatem, tum ob certitudinem rei. Ex parte enim DEI dona ejus planè sunt ἀμεταμέλητα Rom. 11,29. & qvos vocavit, hos etiam justificavit, & qvos justificavit, hos etiam glorificavit, in aureâ suâ catenâ annulos nectit Apostolus Rom. 8,30. Unde constat, qvænam sit felicitas hominis Christiani, nimirum salvus est in durâ sorte, & dirâ morte 1.Pet. 3,14. & 4,13. Joh. 8,51. huic nulla mala externa salutem auferunt Rom. 8,35. 38. 39. ut nulla bona externa eam malo homini conferunt. Vide & compara inter se Lazarum & divitem, Petrum & Herodem, Paulum & Neronem. Sed firmiter fiduciæ principium teneamus, necesse est, usq; ad finem Heb. 3,14. Hinc

III. Loc. Commun.

REqviritur fides, ut organon tantam salutem apprehendens & servans contra hostes illæsam. Qvando Jonathan erat fusurus hostes, manibus & pedibus nitebatur rupem conscendere 1.Sam. 14. & nos multò magis manibus fidei petram salutis Jesum Christum amplectamur, ita futurum est, ut procidant ante nos omnes adversarii. Rahab

erat quidem promissa salus, illa tamen ita eam obtinebat, ut in fenestrâ rubrum filum appenderet Jos. 2. & 6. ita & nos legatos DEI in pace suscipiamus Heb. 11, 31. & fidei manu Christi sanguinem firmiter amplectamur, qvod fit, qvando eum jugiter intuemur in speculo verbi, & nos ita in vulneribus petræ abscondimus Cant. 2, 14.

IV. Loc. Commun.

Ipse justificationis actus ita describitur in sacris literis, ut in fide facilè qveamus id, qvod dictum est, colligere, gratis nos ex nostrâ parte justificari, seu in judicio Dei absolvi: qvomodo DEI misericordia qvam maximè commendatur: à Christo autem, pro nobis satisfaciente Deo Patri, dum meritum fide accipimus, justitia Dei claresci. Sive enim depingatur, ut actus judicialis & forensis, sunt ibi debita, accusator, Judex, λύτρον, condonatio: sive fiat allusio ad nuptias sacras, sive ad vestitum: sive vocetur projectio fordium in imum maris, nihil horum in nobis vel ex nobis esse, facilè animadvertimus. De actu judiciali vide insignem parabolam Matth. 18, 23. de nuptiis Matth. 22. de veste salutis Esa. 61, 10. de rejectione Mich. 7. & hic confer Jonam ἀπόθημα, qvâ de re vide glossam marginalem Lutheri ad 1. Cor. 4. ibi Estheram à Rege Assuero in uxorem assumtam, & Regiis vestibus pro humili suo habitu donatam, vel Josuam sacerdotem maximum à sordidis vestibus liberatum, & mundis indutum Zach. 3. & qvod magis ad rem qvadrare videtur, ut homo mortuus nil qvicqvam ex se confert ad sui excitationem; ita etiam homo in peccatis mortuus non potest seipsum spiritualiter excitare, sed à Christo sole justitiæ oportet eum foveri & illuminari.

V. Loc. Commun.

QVanqvam verò à Deo Patre luminum omne bonum donum Jac. 1. tamen reliqva omnia sunt instar παραθήκης Matth. 6, 33. absolutio autem à peccatis, qvam, si non peccatis contra conscientiam reddatur irrita, seqvitur ipsa vita æterna, sunt illa dona, qvæ ter optimum maximum decent, unde hoc loco emphaticè articulum adjecit Paulus θεοῦ τὸ δῶρον, DEI solius est hoc tam eximium donum, cui totus mundus non potest æqviparari, qvomodo idem Apostolus vitam æternam Rom. 6, 23. vocat τὸ χάρισμα. Det igitur DEUS Adamo mundum,

Abraha-

Abrahamo & Isaaco divitias, Davidi regnum, Salomoni sapientiam, Simsoni fortitudinem, sunt qvidem bona dona, sed ad hoc donum, de qvo jam nobis sermo est, nihil qvicqvam: qvid enim prodesset homini si totum mundum lucraretur & animæ jacturam faceret Matth. 16, 26. unde qvàm grato animo nos tantum beneficium agnoscere, qvàm grato ore prædicare deceat, videmus. Agnovit hoc David Psal. 103, 1.2.

VI. Loc. Commun.

QVid itaqve nonnulli frustra aliqvod meritum humanis tribuunt operibus? qvæ non præcedunt justificandum, sed ut fructus seqvuntur justificatum, siqvidem hîc DEI gratia est præveniens, Psal. 79, 8. subveniens, Tit. 3, 5. subseqvens Psal. 23, 6. Si autem ex gratiâ est, qvicqvid hujus est, non est ex operibus, aliás gratia non esset gratia, firmiter colligit Apostolus Roman. 11, 6. qvoniam gratia non est gratia ullo modo, si non sit gratia omni modo. Bona opera sunt velut lux, qvæ venit à qvodam lumine, nempe Christo, qvum homo ex se sit in tenebris imò ipsæ tenebræ Joh. 1. Sunt velut fructus, qvi non faciunt arborem, sed ex ea proveniunt. Sunt velut calor, qvi est ex igne Jac. 2. Sunt velut motus, qvi ex novo corde & animâ piâ.

VII. Loc. Commun.

ITa totus mundus DEO fit subditus Rom. 3, 19. agnitâ suâ miseriâ, & DEI misericordiâ: ita omnis tollitur gloriatio, ibid. v. 27. & omnis gloria DEO tribuitur, cui debetur. Ab eo enim habemus, qvæ habemus, omnia 1. Cor. 4, 7. is dedit velle, is dat perficere Phil. 2, 13. & hanc rationem justificandi hominem, in se impium Rom. 4. observat Deus, ne qvis glorietur, addit hoc loco Apostolus. Dicat jam non nemo cum Pharisæo tumido suis operibus deberi vitam æternam, velut alter jactabundus Nebucadnezar, qvi suâ potentiâ se ædificasse Babylonem, thrasonicè proferebat: à filiis DEI & piis hominibus ad bestias seu Diabolos & homines mundanos in infernum detrudetur, confer Daniel. 4. Esaiæ 14. Rectè igitur nostrates, tria R germanica DEO soli deberi, Richten/Genes. 18. Rom. 3, 6. Rechnen/Devt. 32, 35. Rom. 12, 19. Rühmen Rom. 16, 27. & hoc posterius toties inculcatur, qvoties ferè aliqvis liber in N.T. vel precatio concluditur.

VIII. Loc. Commun.

NEqvè particula πς hoc loco negligenda, ut ita qvoqve os obstruatur illis sanctis pontificiorum, qvorum bona opera in thesaurum indulgentiarum reponunt, sive enim sit Maria, mater Domini, sive Apostolus Paulus, qvi plus laboravit, qvàm reliqvi omnes, sive alius sanctus & martyr, qvia est πς & qvidam, nil habent qvod glorientur coram DEO, ut de Abrahamo Patre credentium asserit Apostolus Rom. 4,2. Sed verùm manet illud: DEus est verax, omnis homo mendax Rom.3,4. Et hæc est gratuita hominis coram DEO justificatio, & omnis humana excluſa gloriatio.

PARS POSTERIOR.

UT autem Adamum etiam DEUS in statu integritatis in hortum collocabat, ut eum coleret, & custodiret Genes.2,15. ita multò magis in Adamo perditos, & per Christum reparatos, ex paradiso ejectos in Ecclesiæ hortum transplantat, ut fructus ferant uberes, Joh. 15, 16. nec sint infrugiferi Tit.3,14. Hoc ipsum exponit porrò Apostolus his verbis: *Ipsius enim*, DEI nimirum, *sumus opus.* ποίημα, factura, creatura, ut habet Syrus, sein Werck/ deſſen Werckmeister GOtt ist / Lutherus, hoc est, ab ipso sumus facti, in creatione ex nihilo remotè, propinqꝫ ex terrâ: in recreatione ex mortuis vivi, ex massâ perditâ & malâ vasa ad honorem Rom.9. adeo ut qvicqvid simus, qvicqvid possimus, ipse velut causæ efficienti nos effecta ejus meritò acceptum referamus. Conferatur Psal.100,3. & apparebit, licet homo in prima creatione omnino sit factus à Jehova eo fine, ut ipsum coleret, ac bona opera ederet; tamen id principaliter, ac solùm hìc non intendi ab Apostolo; sed magis ad secundam creationem, seu regenerationem fieri respectum, de qvâ pluribus agit hoc loco Apostolus, ut patet ex antecedentibus & consequentibus, ipsâqꝫ subjectâ materiâ: qvin ita phrasin hanc explicat Paulus, *creati in Christo Jesu* Luth. Geschaffen in Christo JEsu / in qvo per fidem filii DEI ex Diaboli filiis, & nova creatura reddimur Johan.1,12. 2.Cor.5,17. Eph.2.v.15.Gal.6,15.qvum non minoris virtutis ac potentiæ sit παλιγγενεσία, qvàm γένεσις; ἀνακτίζειν qvàm κτίζειν; ἀνάπλασις qvàm πλάσις, & si qvid lucis mentis humanæ tenebris est necessarium, omne à sole justitiæ est exspectandum, confer 2.Cor.4,6. Si qvid vitæ

de

debet conferri, omne à vitâ hominum, Jesu Christo, & verbo DEI increato promanat Joh. 1. qvi ut olim ex nihilo creavit omnia, ita hodie per verbum & sacramenta spiritualiter creat cor novum Psal. 51. ut veterem exuentes hominem, induamur novo Eph. 4. atq; ita simus ab ipso regenerati, recreati, refecti, non verò eum in finem, ut postea nostro more modoq; vivamus in prioribus vitiis ac flagitiis: Non ita, sed *ad bona opera*, ut serviamus ipsi in sanctitate & justitia Luc. 1, 74. 75. qvemadmodum hoc pluribus explicatur Rom. 6. non qvidem, ut illis vitam æternam paremus, sed ut gratos nos vivosq; DEO declaremus, proximoq; utiles nos præbeamus, & semper in eo simus, ut voluntatem DEI efficiamus in lege expressam, qvod innuit particula ἵνα pro ἐις usurpata: sed non sine causâ, ut assiduitas & summum studium indicetur, atq; ita seqvens phrasis est intelligenda (in qva est Atticismus qvidam) qvæ *bona opera DEUS præparavit*, nempe in lege præscribendo, ac severas comminationes transgredientibus, præstantissimaq; præmia obseqventibus proponendo Lev. 26. Devt. 28. Exod. 20. utistis rebus excitati *in istis ambularemus*, nos diligenter exerceremus, non deficiamus Johan. 6, 66. non subsistamus cum uxore Lothi Luc. 17. metaphorâ sumptâ à viatore, qvæ in Psal. 1, 1. est explicata.

I. Loc. Commun.

NEmo est, aut fuit inter magnos artifices, qvi non insigne aliqvod suum extare voluerit monumentum; hic statuam, ille picturam, alius pyramides, qvidam hortos pensiles, nonnulli regia palatia, multi mira & suspicienda qvædam instrumenta: verùm illa omnia, si verbo dicas, mortis opus. Nam morti debemur nos nostraq;, sed DEUS, vita ipsa, præcipuum suum opus esse voluit hominem, qvòd non modò ex ordine creationis, ubi ab imperfectioribus ad perfectiora procedebatur apparet; verùm imprimis inde liqvet, qvòd DEUS seu sacrosancta Trinitas concilium qvoddam de hujus creatione celebrarit Gen. 1. & qvum futurum videret, ut invidiâ Diaboli nobilissima illa creatura corrumperetur, nec persisteret in creatâ perfectione, de subsidio ac reparatione jam inde ab æterno cogitavit Eph. 1. filiumq; misit, qvi reqvireret amissum, restauraret lapsum, salvaret perditum. Hinc igitur omnis nostræ essentiæ, vitæ & præstantiæ origo.

II. Loc Commun.

ALiqvoties in Apocalypsi Christus vocatur α & ω, principium & finis cap.1, 8.& 21,6.&22,13.ut discamus, ad eum solum omne principium, omnemq; referre exitum, omnia ab ipso & ad ipsum esse, agnoscamus, & velut ad fontem omnis gratiæ, humili oratione accedere. Et ut Apostolus ratione primi principii, in conversione nobis nihil esse tribuendum indicet, verbum κτισθέντες, id est, creati, adhibet. Ut enim solus DEUS est creator, ita nulla creatura illa potest, de qvibus verè, tam propriè qvam metaphoricè verbum creandi accipitur (qvamvis καταχρηστικῶς usurpetur nomen κτίσεως de statuto seu decreto magistratus 1.Pet.2,13.) sicut liqvet ex collatione locorum Esa.41,20.& 45,7. & 54,16. Jer 31,22.&c. Qvod si ita est, etiam hinc Christi divinitas potest probari, qvando ille nos recreat, & qvidem suâ virtute ac principaliter.

III. Loc. Commun.

UBi verò sunt illi, qvi studium bonorum operum dicunt frigescere, si nominem gratis justificari asseramus? Contrarium enim inde liqvet, ut Apostolus Rom.3. & 6. & alibi passim declarat. Christus enim ut sanctus est, ita vult suos Christianos esse sanctos; ut ipse benefacit, sic vult eos benefacere, suisq; vestigiis in faciendo ac patiendo insistere.

IV. Loc. Commun.

UBi etiam sunt qvi bona opera per se & simpliciter ad salutem esse, pernicios(si absit opinio cultus & valoris coram DEO) clamitant? Non enim DEus qvædam ad salutem noxia præparavit, neminemqve ad illa creavit. In illam scyllam superiori seculo Nicolaus Amsdorfius & alii nonnulli inciderant, cupientes vitare charybdin Majoris, bona opera esse necessaria ad salutem. Media via & proba est, sunt necessaria, sed non ad salutem conseqvendam vel retinendam simpliciter. Ubi tamen ex contrario statuimus, malis operibus fidem & gratiam Dei, ac per conseqvens, salutem amitti.

V. Loc. Commun.

QUanta à nobis in pietatis exercitio adhibenda sit diligentia, verbum ambulare innuit, est via angusta Matth. 7. & tribulationum plena, Act.14. meta seu finis vita æterna 1.Petr.1,9. Illam attingit, qvi currit, & ita ut cursum cosummet 1.Cor.9.2.Tim.4. licet non propter cursum:

hæc

hæc dátur operantibus Matth.20. licet non propter opera: hunc enim ordinem Deus instituit, ut fide justificatus in præceptis ejus ambulet. Qvemadmodùm olim Israëlitis erat per desertum vagandum, ut introducerentur in terram sanctam, & si qvi redibant antè in Ægyptum, tantæ felicitatis participes non fiebant, licet reliqvi suâ profectione nil mererentur: sic etiam nobis in terræ sanctæ antitypum, cœlum ipsum nunc est contendendum Ebr 3. & 4. qvò viam præivit Christus, & totus Apostolorum chorus. Nos qvoq; tantis ducibus animati, jugiter in viâ Domini progrediamur, ut tandem in æterna tabernacula recipiamur, Amen.

DOMINICA SEXAGESIMÆ.

Heb 10, 35 36.

QVando Gideon jussu DEI erat pugnaturus contra Midianitas & Hamalekitas, clangens buccinâ Jud. 6, 34. convocat multos ex Israelitis, sed DEUS ne populus sibi victoriam tribuat, injungit ipsi, proclamandum curet, ut omnis timidus domum revertatur. Qvo audito, ubi pleriq; retrò abierant, DEUS secundâ vice jubet instituere delectum & deducere milites ad aqvam, ubi probantur, qvi manu parum aqvæ sumserunt: reliqvi autem, qvi prostrati se velut ingurgitavère, ab hâc militiâ Domini sunt rejecti Jud. 7. Jesus Christus verus ille Gideon, Rex Ecclesiæ, pugnans pro suo populo, qviq; tandem malos exscindit (qvod nomen hebræum innuit) per suum verbum prædicatum, qvod est velut buccina qvædam spiritualis Esa. 58, 1. Jer. 6, 17. convocat ex toto mundo homines, ut sub vexillo suo pugnent contra damnatos Diabolos, & eos omnes, qvi ipsis in viâ pietatis faceſſant negotium (id ἐτυμολογία vocum מִרְיָם & עֲמָלֵק vi suâ importat) accurrunt multi (qvemadmodum audimus in hodierni Evangelii principio, qvum congregaret se populus multus, & ex singulis civitatibus ad Christum concurrerent) sed non omnes victoriam ab hostibus reportant, qvia nonnulli promissiones Dei obiter audientes, Jehovæ non confidentes, & hostium potentiam suspicientes, timidi aufugiunt, ut illi qvi sunt ad viam vel super petram, alii autem voluptatibus immersi, qvum non sunt contenti necessariis 1. Tim. 6, 8. etiam repudiantur, ut inutiles Domino Zebaoth: illi verò demum soli, & qvidem respectu reliqvorum pauci

pauci victoriam reportant, & multos fructus ferunt, qvi in patientiâ tolerant mala, qvæ in hâc DEI militiâ sacrâ obveniunt, nec ullis molestiis deterriti aufugiunt: qvemadmodum idipsum pluribus à Christo ipso in hodierni Evangelii parabolâ explicatur. Cujus occasione lubet cujusdam egregii in hoc conflictu, & satis periti ducis (vide & confer 2.Cor.6,4.5. & 11,23. &c. Eph.6,11,12. &c.) divinum celeusma, ac militarem exhortationem egregiam explicare. Partes erunt duæ:

Prior, quæ militi Christiano cavenda, nempe negligentia ac timiditas: Posterior continebit, quæ sint habenda, nempe tolerantia & pietas.

Te verò Jesu Christe, dux optime ad vitam æternam, invocamus, indue nos naturâ timidos Gen 3. virtute ex alto, ut die malâ subsistere possimus, omniaq; benè peragentes victoriam ac vitæ æternæ gloriam reportemus Eph.6,10.11.13.

PRIMA PARS.

DE Xerxe narrant, qvòd, ubi innumeram hominum multitudinem secum adduceret in Græciam, & aliqvando in montem excelsum valdè conscendens, tantas copias intueretur, amaris lachrymis obortis eum flere cœpisse: mirabantur hoc duces astantes, qvod qvum, ut ipsi existimabant, ex tanti exercitus aspectu, cui ipse Rex præesset, lætari impensè deberet, in fletum prorumperet: qværunt causam: tum is, dignũ adeò, inqvit, mihi videtur, qvod defleam, qvòd post centum annos (nesciebat enim tum temporis, spei bonæ plenus, paulò post plerosq; occisum iri) nemo horum sit futurus superstes, sed omnes fecerint, sibi qvod faciendum fuit, atq; ad plures se penetrarint. Vide Herodotum lib. 7. Qvod si hic Rex suâ præsumptione fortis & magnus, sed non multò pòst adeò impotens, ut solus in parvâ scaphâ aufugere necesse haberet, id lachrymabatur, qvòd sui milites fatis essent cessuri, idq; mirum accidit aliis; dignissimum est observatu, qvòd Rex ille potens in bello Ps. 24. imò Dominus omnipotens, Jesus Christus, acerbis lacrymis interitum plerorumq; hominũm prosequatur, uti videre est, qvum ingrediebatur maximâ hominum comitante catervâ Jerosolymam Luc.19. Nimirum ipse solus intelligit, qvanta sit illa miseria & infelicitas, æternùm perire, adeò qvidem, ut melius sit non nasci, ipso judice Matth. 26,24. Multi verò homines præ sui cordis cœcitate id non attendunt,

tendunt, unde Salvator exclamat, qvi aures habet, qvibus audire potest, audiat: exponet enim, qvî fiat, qvòd cùm DEus velit homines salvos fieri 1. Tim. 2. & non perire qvenqvam 2. Petr. 3. ipsi tamen perdantur? Culpa scilicet in ipsis hæret, dum vel suâ socordiâ, vel mollitie, vel voluptatum studio bonum verbi semen suffocant, nec fructum ferunt, qvod ne fiat autor Epistolæ ad Hebr. sedulò aliqvoties, nullibi majori cum Zelo, qvàm sub finem cap. 10. monet ac hortatur. Inter alia graviter inculcat horrendum supplicium, qvod manet turpes Apostatas v. 29. 31. & ipsos animat ex priorum certaminum successu v. 32. 33. ex sociorum delectu ibid. & v. 34. ac tandem spe præmii excitat, sub finem ejus versus 34. qvòd sciant, licet hæc omnia, qvæ jam habent, perdant, habeant tamen in se per fidem potiorem substantiam in cœlis, qvæ permaneat, Hinc infert: *Ne igitur abjicite* velut ῥιψάσπιδες, & profugi milites, vel expuncti decuriones, *liberam illam professionem vestram*, qvâ & DEO audetis aperire & petere, qvæ vobis desunt, & coram mundo profiteri fidem, Græcè παῤῥησίαν, de cujus vocis ἐμφάσει Dn. Chemnitius in Loco de fide & alibi, Lutherus vertit eleganter per metalepsin vertrawen/ Syrus more suo recte per metaphoram appellat retectionem faciei, & sensus unus idemq; manet, firmiter perstate in fide ac fiduciâ vestrâ in DEum, atq; religionis veræ, qvantumvis cum periculis conjunctâ, liberâ professione, siqvidem *hæc magnam habet præmii retributionem*, qvum justum sit apud DEum, afflictis reddere relaxationem & reqviem 2. Thess. 1, 6, 7, & regnum dare illis, qvi cum Christo perseverant in afflictionibus Luc. 22, 28. 29, 30.

I. Loc. Commun.

EXplicari hîc possunt & rationes, cur Deus suis crucem immittat, qvam in cœlo, velut κειμήλιον circumferens, circumspicit, cujus collo id appendat in terris, tanqvam filii sui imaginem Rom. 8, 29. & consolationes cruci opponendæ, qvarum nonnullæ in præcedentibus recensentur. Videatur de his in genere Chytræus in Catechesi Loco 9. Et Hafenrefferus Loco de Cruce. Hic verò exaggerentur illa inprimis, (1.) Impiis cruci non subjectis in hac vita, post eam parata tormenta: in qvam sententiam videantur & expendantur dicta Rom. 2, 4. 5. 1. Pet. 4. 17. 2. Maccab. 6, 13. 14. Sap 5, 1. & exempla Coræ Num. 16. Divitis epulonis

lonis Luc.16,23.24. Ubi nota emphasin vocum Græcarum ἐν βασάνοις, & ὀδυνῶμαι. (2.) Piis à DEO promissa, & certo data adjumenta, siqvidem facit cum tentatione eventum, ut possint perferre 1.Cor.10, 13. Addantur exempla Josephi, Mosis, Davidis, Danielis. (3.) Aliorum idem malum passorum exempla 1.Pet.5,9. Heb.11.Act.14,22. (4.) Præmii in cœlis repositi præstantia Psal.73,24. & 135,14. Rom.8,17.18. Psal. 126,5.6. Qvantas ærumnas spe regni secuturi sustinuit toto decennio David? & tu sine labore & dolore in regnum DEI te perventurum speras? erras, si id credis, qvia via est angusta, & prius à Christo pressa, ut ejus vestigiis insistentes per calamitatem ingrediamur felicitatem. Luc.24. sed de his alibi.

II. Loc. Commun.

SUnt multi in illa sententia qvod Ezech. 9. frontibus piorum in scripta fuerit litera T. Græca, atqvita crux ipsa repræsentata. Qvamvis autem fundamentum hujus sententiæ sit falsum; ipsa tamen non omnino mala est, si modo rectè intelligas: nimirum clamat tota Scriptura, qvod, qvi velit esse genuinus, verus, ac condignus Christi discipulus, cogatur tollere suam crucem, & seqvi crucifixum Dominum per aspera ad astra, per crucem in æternam lucem, per miseriam in gloriam. Pleriqve vero hanc in se suscipere nolunt: multi qvando sustulerunt & sentiunt onus, abjiciunt cum Dema 2.Timot.4,10. qvi verò perferunt jugum Christi Thren.3. Matth.11. ab eo tandem beantur, imò juvantur in omni calamitate, 2. Cor.1. Est enim hæc qvædam sacra militia, ad qvam sumus ab Imperatore nostro vocati: & ut nemo coronatur nisi legitimè pugnaverit 2.Tim.2,3.4.5. & bonum certamen decertaverit ib.c.4,7. sic nemo se subducens vel subtrahens doloribus & laboribus, à DEO impositis, salvatur Heb.10,38.39. ubi nota emphasin vocum ὑποστέλλεται, ὑποστολῆς, & confer vulpinum ingenium, à Christo rejectum Matth.8,20. sicut & rebus terrenis addictum reprobatum Luc.9, 62. Abraham Pater ille multarum gentium aliqvando armabat suos vernas, seu domi suæ natos, & necessariis instructos eduxit in aciem contra aliqvot Reges: Illi verò scutum non abjecere, gladium non amisêre, sed fortiter pugnantes fuderunt hostes suos noctu Genes.14. Cur non vero eodem jure hos à servis suis, & domi suæ, seu in Ecclesiâ renatis

natis exigat, ut postqvam ex armamentario suo spirituali abundè eos instruxit, acriter dimicent, nec armis abjectis fugiant. Acclamat hoc utiq; per hunc nostrum ducem, ne abjiciatis, neq; vos vivos ac libenter tyrannicæ potestati Diaboli subjicite 2. Tim. 2,6.

III. Loc. Commun.

INprimis verò scutum fidei retineamus, id est, qvod dicitur, ne abjicite παῤῥησίαν vestram. Lacedæmones mittentes in militiam suos, ita hortabantur scutum tradentes: aut cum hoc aut super hoc, scilicet revertaris, id est, vide, ut vincas, vel si fortiter dimicans occubueris, super hoc domum reporteris. Imò Græcorum disciplinâ militari erat capitale crimen scutum amittere: credamus autem, DEum nil aliud nobis mandare, qvàm ut fidem & bonam conscientiam retineamus, 1. Tim. 1, 18.19. 2. Tim. 4,7. Imprimis hoc scutum assumamus, qvo possimus omnia ignita Diaboli tela exstingvere Eph. 6. v. 16. Nam

Omnia si perdas Christum (hoc autem fit fidei ulnis & manu) *servare memento:*
Perdis eum, nil sunt cætera cuncta tibi.

Cur autem fides vocetur fiducia & libera professio, partim ex aliis liqvet, partim ex his apparet, qvod per fidem justificati habeamus pacem cum DEO Roman. 5,1. per fidem habeamus introductionem in aulam cœlestem cum confidentiâ Ephes. 3, 12. per fidem teneamus Christum, in qvo est nobis DEUS placatus, nosq; possumus clamare, Abba Pater Rom. 8. Gal. 4. Hâc παῤῥησίᾳ præditus erat David Psalm. 116,10. Johannes Baptista, Paulus, Stephanus, Apostoli Act. 4,5.7. Scuta olim suis stipatoribus curabat facienda ex auro Rex Salomo, qvibus induerentur, qvando ipse se conferret in templum. Confer 1. Reg. 10,16.17. & 14,26.27.28 sed noster Rex pacis, Jesus Christus, Salomone major, fidem illam exigit, qvæ sit auro purior, cruce scilicet purgata 1. Pet. 1,7. & se referat ac nitatur DEI verbo,

Qvod purius auro est,
Fusile qvod fecit septima flamma coqvens Psal. 12. & 19.

Si itaqve aurum magnâ curâ servamus, ne perdamus, multò minus abjicimus, siqvidem

Χρυσὸς μὲν ψυχὴν πέλεται δειλοῖσι βροτῶν:

Longè majori cum curâ servemus fidem, neq; unqvam eam abjiciamus.

IV. Loc. Comm.

APostolus aliqvoties addúcit exempla vinitorum, agricolarum, pastorum, militum, cursorum, qvi multas magnasq; molestias devorant, ob exiguum aliqvod lucrum, vel vitæ parandum subsidium 1. Cor. 9,7.10.24.25. 2.Tim.2,3.4.5.6.qvæ cùm qvotidie videmus exempla, admoneamur nobis in cœlo repositi præmii, & alacri uisu, ac forti ausu contendamus, ut tantum βραβεῖον auferamus : non tantùm ibi est μισθαποδοσία confer Matth. 20, 8. sed μεγάλη seu magna, nempe à DEO ter optimo maximo conferenda, qvod pro brevi tristitiæ æternam lætitiam, pro exiguo cordolio immensum gaudium, pro parvâ afflictione infinitam refectionem suis paravit, pro levissimo onere gravissimum pondus, pro momento æternitatem rependit.Exclamemus cum matre Augustini Monicâ, qvando ex Joh.3,16. audierat explicari hominis miseriam, & DEI misericordiam; avolemus! Addi potest,fide à terrâ subvolemus, & ad nostrumImperatorem advolemus, ita facilè omnia mala tandem evitabimus, & salvi evolabimus. Interea oremus cum Davide Psal.55,7. O si qvis daret mihi alam velut columbæ, evolarem, ubi habitare possem! & impetrabimus eas per spiritum Domini, qvi ipse qvondam in specie columbæ ad Jordanem apparuit Matth. 3. confer Psal.68,14. Apoc.12,6.14. Et hactenus, qvæ cavenda,nempe negligentia ac timiditas. Videamus, qvæ habenda, videlicet pia tolerantia & tolerans pietas.

SECUNDA PARS.

QVod de Paulo electo illo DEI vase dicitur, qvòd, qvando portat nomen DEI in conspectum gentium & Israelis,multa deceat ipsum pro illo nomine pati Act.9,15.16. id sibi qvoq; dictum putet omnis alius miles Christianus. Est enim &ille de mundo selectus,& nomen àChristo accepit, qvod gestat coram infidelibus & fidelibus : illis, ut probâ ipsius conversatione allecti, ipsi qvoq; nomen suum dare Christo gestiant 1.Pet.2,11.12. his, ut qvum in fide, spe, patientiâ vident se habere socium, inde capiant aliqvod solatium. Nec potest aliter fieri, qvin per multas tribulationes, eat in regnum cœlorum Actor. 14,23. ὑπόδειγμα autem reliqvit ipse Christus Johan.13,15. confer 1. Petr. 2, 21. & omnes

Pro-

Prophetæ Jac.5,10. Et ecce,beatos prædicamus ac censemus eos,qvi adversa sustinent, nec aufugiunt tam duris deterriti ib.v.11. proinde rectè porrò infert noster autor, *tolerantiâ* ὑπομονῆς, illâ virtute ac patientiâ, qvæ velit cum Christo, Simone Cyrenæo, matre Christi, aliisq; piis sub cruce durare Luc.13,26.49. *vobis opus est*, χρείαν ἔχετε, necesse habetis, ut qvum usus venerit, in promptu sit,neq; tantùm in θεωρίᾳ de patientiâ Mosis, Jobi, Davidis aliorumq; sanctorum multa contemplemini, sed etiam in πράξει καὶ χρήσει ad usum transferatis, qvæ est hujus phraseos emphasis, qvum non de nudâ cognitione, sed de exercitatione potius loqvatur hic textus, sicut & pleriqve alii in N. T. ubi illa reperitur. Cur vero illa adeò opus est Christianis? *ut*, inqvit, *voluntatem DEI facientes*, vel ut tempus ipsum qvoq; exprimamus cum textu Græco, voluntati DEI obsequuti τὸ θέλημα, (qvæ est, ut qvi velint cum Christo regnare, hic qvoqve cum ipso non reformident hortum, palatium Hannæ & Caiphæ, Pilati prætorium intrare,montem Calvariæ adire, & crucem subire, Rom.8,17.28.29.) *reportetis promissionem illam*, seu rem promissam à DEO omnibus perseverantibus usq; ad finem Matth.10,22. nempe ipsam vitam æternam, qvam ille pollicitus est omnibus aliqvid in fide pro nomine ipsius passis Matth.10,32. & 19, 29.

1. Loc. Comm.

QVemadmodum non poterat sufficere ad evitandum diluvium, semel intrasse arcam Noachi, sed oportebat in eâ manere, donec in aridâ super montem exponeretur, aqvis jam siccatis Genes.8. ita etiam non prodest nomen suum Ecclesiæ dedisse,in eam esse receptum semel, sed necesse est, in eâ perseverare,donec inde in montem Domini transferaris, ubi lachrymæ omnes abstergentur, & qvò nec aqva ulla calamitatum pertingit. Interea verò ut inter animalia fera multum molestiæ fuit devorandum in arcâ; ita etiam nobis in mundo, ubi θλῖψιν ἔχομεν Joh. 16, 33. multa mala patienti animo sunt perferenda: præsertim cum sciamus, verum nostrum Noachum & solatorem Christum Jesum esse nobiscum in hâc navi. Confer Matth. 8, 23. vide qvas injurias sustinuerint æqvo animo socii Danielis, & qvàm bene evaserint, qvum filius DEI aderat ipsis in igne Dan.3. Idem verò se tibi in igne calamitatum affore promisit Esa. 43,1. perfer & obdura. Dicis, grande

onus est: rectè, ideo requiritur ὑπομονὴ & tolerantia. Quemadmodum viator, quamvis cum molestiâ portet, non tamen abjicit suas sarcinas, priusquam metam suam attigerit: quia commodo suo portat miles arma, loricam, thoracem aheneum, non exuit, quantumvis cum magno labore gestet, antequam hostis sit devictus: ita etiam tu in spirituali hoc conflictu spe præmii jam monstrati mane, & subsiste firmiter sub malo.

Fortiter ille facit, qui miser esse potest.

II. Loc. Commun.

VErùm unde illa virtus oritur? Unde fortitudo Christiana subministratur? Opus nos eâ habere audimus. Ergò non ex nobis & facilè habemus, sed precibus impetramus, & fide, quæ & ipsa est ὑπόστασις, eam accipimus, alimus, fovemus, ut sanè sit planè de nihilo, quicquid circa hunc locum de necessitate bonorum operum ratione efficientiæ, ut ipse loquitur, Bellar. l. 4. de justificatione c. 7. p. 335. nugatur. Quòd sit necessaria patientia, asseritur; verùm ex hypothesi, & ratione ordinis à Deo illis præscripti, qui salvari cupiunt. Is autem hic est, ut fide justificati, (quâ & salvantur solâ) DEO nostram gratitudinem in bonorum operum, in quorum numero etiam est patientia, exercitio declaremus, atq; ita tolerantes, licet non ob tolerantiam, salvemur, quomodo præsentiæ necessitas indicatur; siquidem contrà, qui non vult patienter crucem sibi impositam perferre, sed contra DEUM murmurans, Christo valedicens, mundi delitias sectatur, æternùm damnatur. Et huc

III. Loc. Commun.

REspicit noster monitor, ut reportetis promissionem, nempè in patientiæ exercitio perdurantes: nam qui illam non habent, fidem non habent, sed ejus fecère naufragium, quâ de re videatur Dn. Chemnitius p. 3. Locor: Comm. loco de bonis operibus, in ratione solvendi argumenta adversariorum, in classe 4. & 9. ubi hoc ipsum dictum adducit. Opus est mendico accedere ad ædes divitis, ut reportet, vel accipiat eleemosynam, E. ille accessus est causa eleemosynæ efficiens? juxta Bellarmini argumentationem certè. Sed positâ illâ causâ in actu, qui fit quòd non semper sequatur effectus? scias, quod requiratur præsentia, non efficientia; quòd reportet eleemosynam accedens, non propter accessum suum. Nos autem naturâ valdè ignavi, timidi & molles, rogamus Domi-

minum nostrum Jesum Christum, torpentes excitet, timidos confirmet, molles confortet, ut cum ipso per passiones in gloriam, per mortem in vitam intremus æternam, ubi vacabimus & videbimus, videbimus & amabimus, amabimus & laudabimus, ut ita cum Augustino claudente hoc modo libros de civitate DEI, claudamus dictum, qvod agit de fortitudine filiorum DEI. Ita fiat, Amen.

DOMINICA ESTO MIHI.

Psal 8,6 7.

POstqvam Gibeonitæ petierant & impetraverant pacem à Josuâ, vicini Reges se conjungentes hoc agunt, ut eos exscindant, illi autem implorant Josuæ auxilium, qvi à Deo confirmatus accurrit, hostes fundit, idq; ut tantò meliùs fieret, Sol & Luna substistunt Jos. 10. Ut illa corporalia ad spiritualia accommodemus, & inter illa comparationem instituamus, hodierni Evangelii duplex nos monet historia, siqvidem pii in V.T. (qvi rectè possunt conferri Gibeonitis & in nomine & omine: illud qvidem potest fieri, qvòd terrenis ac mundanis derelictis montem Domini Psal. 15,1. & superna qvæ sursum sunt Col. 3, 1.2. hoc, qvòd soli, mundo pereunte, ut reliqvis terræ Canaan incolis intereuntibus soli Gibeonitæ sunt servati, salvi evadant. Confer historiam Loti educti ex Sodoma, vel Noachi in diluvio salvati) postqvam fide justificati, qvam in futurum Messiam conceperant, pacem habebant cum DEO Rom. 5,1. à Jesu Christo in fœdus gratiæ recepti, à Diabolo autem ejusqve organis valdè pressi, anxiis suspiriis & ardentibus votis ipsum JEsu adventum in carnem exoptarunt, ut ille suâ morte omnibus sacrificiis hactenus mactatis præfiguratâ hostes Ecclesiæ funderet. Tandem in plenitudine temporũ ille adest, &, velut prædicit in Evangelio, jamjam opere se accingens, per sui traditionem procurat nostrã liberationem: per ignominiam & contumeliam sibi illatam, recuperat, amissam gloriam: per vibices sanat nostros tumices: per mortem reparat vitam deperditam Esa 53, 1. Pet. 2. ejusq; jam aliqvod exemplum in corporalibus qvoq; præbet, dum ipse Sol Justitiæ Mal. 4,2. sub cujus alis est curatio ad Jerichuntem, ubi est cœcus (hoc est, in mundi tenebris sedens) substitit, & suæ potentiæ ac clementiæ radiis credentem servat, atq; ita in hu-

humiliationis suæ statu, qvid de se sit sperandum & exspectandum in statu exaltationis, declarat, nempe omni potest succurrere, qvi fide vult ad eum accurrere. Id ut fiat, placet de utroq; statu paucis ex Psalmi octavi v.6.7. differere.

Prius de statu humiliationis misero,

Posterius de statu exaltationis majestatico. Ibi passio, hîc ad dexteram Dei sessio. ibi miseria. hîc gloria cernitur.

Tu verò Jesu Christe, fac, ita consideremus tuæ crucis ignominiam, resurrectionisq; gloriam, ut tecum hîc peccato mortui, à mundo illusi, resurgamus olim ad vitam æternam, & per Jericho hujus mundi cum discipulis te seqvamur ascendentem in cœlestem illam ac perpetuò duraturam Jerosolymam, Amen.

PRIMA PARS.

CUm in omnibus aliis, tùm in hoc qvoq; Deus & Diabolus contrario modo agunt, ut hic primùm suos suaviter tractet, deinde verò graviter cruciet; Deus verò suos pauperat, ut ditet, contristat, ut exhilaret, mortificat, ut vivificet 1.Sam.2. miseriis exercet, ut postea æternùm soletur Luc.16. 2. Cor.4,17.18. estq; hic ordo à Deo constitutus perpetuus, ut ante honorem sit abjectio Prov.15,33. Hæc est via Dei, qvæ non est, ut viæ hominum Esa.55. omnium piorum Act.14,23. imò Christi ipsius vestigiis est pressa ac signata, ut qvi cupit possidere vitam, cogatur terere viam angustam Matth.7. Ita Christus seipsum hinc inde depingit apud Evangelistas Luc.24, 26.46.& alibi. Apostolus ita eum exemplar imitandum omnibus proponit Phil. 2. 1.Par.2. & jampridem fata hæc ventura cecinerat Psalmista regius. Huic enim qvando DEUS per spiritum sanctum jam longè ante ostenderat decorem Christi hominis immensum ac planè divinum Psalm.8,2. etiam honorem ab ipsis infantibus mirando modo habitum vers.3. & confer Matth.21. & planè stupendum Ecclesiæ regimen v.4. simulq; indicaverat, qvæ afflictiones & perpessiones in circumcisione, totius vitæ curriculo, ac potissimùm hujus exodio seu fine eum manerent vers.5. comparationem inter ista instituens, ita exclamat stupore plenus: qvid est miser iste mortalis, qvo nullus unqvam majora mala sustinuit, qvòd ita memor sis eius, eumqve

ad

ad tantum qvo nullum sublimius, evehas honoris ac majestatis fastigium? qvid est filius hominis, Mariæ virginis θεοτόκυ, qvòd ita visites eum, ut post miseriarum periodum absolutam, collocaveris ad tuam dextram? Huic ut fidem faciat, paucis utrumq; statum perstringit, atq; exinanitionis qvidem his verbis: *deficere* eum fecisti, vel passus es, *paululum per à* DEO, מֵאֱלֹהִים, qvod tum potissimum apparuit, qvando is, qvi longè supra omnes creaturas erat evectus ob unionis gratiam, longè infra Angelos sit dejectus ob redemptionis mysterium, per οἰκονομίαν, qvomodo id, qvod in Epistolâ Hebr. 2, 7. ἠλάττωσας αὐτὸν βραχύ τι παρ' ἀγγέλους & vers. 9. παρ' ἀγγέλους ἠλαττωμένον, facilè conciliabis cum Lutheri versione Psalmi. Nam in eo, qvòd Angelis sit minor factus, cui hi meritò cogebantur inservire, maximè illuxit, qvòd à DEO esset ad tempus desertus, imò ab Angelo necesse habuerit confirmari, confer Matth. 26, 53. Luc. 22, 43. idq; omne διὰ τὸ πάθημα τοῦ θανάτου Heb. 2, 9.

I. Loc. Commun.

DEUS rogatus de suo nomine, se mirificè agere demonstrat, atq; ita ejus nomen à nobis perfectè hîc cognosci non posse Genes. 32, 29. Jud. 13, 18. indicat. Eandem ob causam Christo Emanueli nostro idem nomen datur Es. 9. qvia ipse suos sanctos mirificat sibi Psal. 4, 4. præterqvam enim, qvod mirè unumqvemq; hominẽ in mundum introducit, per eum deducit, & tandem ex eo educit, multa miranda præstat suis qvæ homines mundani rebus terrenis immersi non agnoscunt Psal. 111, 2. imò qvandoq; ipsi pii mirandum DEI suos beandi ordinem non satis percipiunt, dum malis exterius benè, bonis malè esse cernunt Psal. 37, 73. Job. 21. Jer. 12. Hab. 1. & verè mirum hoc est, qvòd iis, qvi diligunt DEUM, omnia mala qvoq; cooperantur in bonum Rom. 8.

II. Loc. Commun.

QVod Christus homo in statu humiliationis usq; ad mortem, mortem verò crucis ignominiosam, verè se exinaniverit ex DEI consilio sibi in primo conceptionis momento datâ majestate divinâ ob unionis gratiam, hîc satis disertè dicitur, qvando audimus, qvòd DEUS Pater fecerit eum deficere, cui omnia erant data, fecerit eum ad tempus

usu carere eorũ, qvæ poterat & debebat (nisi οἰκονομία talis esset necessaria,) semper exercere, fecerit eum nihil habere Matth. 8, 20. 2. Cor. 8, 9. qvem fecerat ipse omnia possidere. Nam Verbũ חָסַר, qvod hoc loco extat in Piel, notat, verè destitutus fuit, indiguit, sicut liqvet ex concordantiis Hebræis. Omnia igitur illa, qvæ ex collatione majestatis & donorum Christo homini per unionis gratiam debitorum concluduntur, rectè se haberent, nisi ipse propter nos voluntariè se usu & exercitio talium, ut posset pati & mori, abdicasset, imò ut Scriptura loqvitur, exinaniviſſet, Phil. 2, 7. qvod & ipsa ratio oppositionis Adami utriusqve Rom. 5. 1. Cor. 15. præter alia multa qvoq; innuit. Prior enim ille, qvum verè non erat, nec esse debebat DEUS, aut DEO par & æqvalis, suâ transgressione & rebellione divinam majestatem occupare nefariè conabatur: Posterior verò ut tantum scelus expiaret, qvum verè esset DEUS, sua abdicatione majestatis infinitæ ad tempus, servus DEI miser factus est, ita tamen, ut subinde in miraculis stricturas & radios qvosdam illius exerceret, plenam verò lucem ac splendorem usqve ad sessionem ad dextram Patris reservavit, peracto jam redemptionis opere. Aliàs qvomodo caro à peccatis in se pura, & unita Deo, imò vivifica Joh. 6. mori potuisset? Sed ne qvis cum Calvinianis hunc defectum referat ad divinam naturam, in qvantum illa de cœlo descendere ac carnem assumere dignata est, satis disertè Psaltes antea fecit mentionem miseri mortalis, & filii hominis, & huc se refert per pronomen affixum הוּ ne tamen nudum hominem passum esse qvis statuat cum iisdem Calvinianis, totius personæ id esse facilè animadvertimus, sed non secundum utramqve naturam. Id qvod

III. Loc. Commun.

ETjam innuit συγκατάβασις adjectum מְעַט parum vel parumper. In DEUM enim qvâ DEUM, utpote simpliciſſimum spiritum & ens infinitum, non cadit ulla qvantitas vel qvalitas. Idipsum qvando vertitur in Epistola ad Heb. βραχύ τι, docemur, qvòd aliæ sint DEI horæ ac moræ, qvàm hominum; siqvidem per totum vitæ in his terris actæ spacium, qvod est triginta trium annorum, duravit ille defectus, humiliatio & exininatio, qvod tamen in conspectu DEI, ubi ut una dies sunt mille anni Psal. 90, 4. 2. Petr. 3, 8. ita tantùm unum parumper &

bre

breve momentum videtur, confer Matth. 21,6. Hag. 2,6. 2. Cor. 4,17. Hinc disce in malis diuturnis sperare & exspectare Dominum Psal. 27. Hab 2. Momentum est, & erit æternitas, inqvit Ethnicus, Seneca: multò vero rectius & certius Christianus.

IV. Loc. Comm.

QVomodo Christus pro nobis à DEO sit desertus, ut nobis ejus auxilium & gratia semper essent parata in Psal. 22,2. dictum est. Hic verò ob versionem in N.T. factam, discimus, qvòd cui DEUS adsit propitius, illi etiam libenter inserviant Angeli: & contrà illum deserant, à qvo DEUS discessit, qvinimò & hoc indè colligimus, qvod infra Angelos ad tempus se abjecerit Christus, ut nos redderemur in cœlis ἰσάγγελοι Luc. 10,36. qvod sit minor factus Angelis, judicatus ab hominibus pravis, ut nos possimus olim cum ipso judicare ipsos Angelos & mundum 1. Cor. 6,2.3. Qvid superest ergò, nisi ut exclames hæc considerans, ecce homo Joh. 19,5. ut ego fiam DEI filius Johan. 1, 12. ille humiliatur, ut ego exalter, Joh. 3,15. ille moritur, ut vivam: Rom. 5, 4. deficit, ut reficiar, eget ut abundem Joh. 10, 10. ita demum Christum in passione sua humiliatum hodiè rectè aspicies, ut tu qvoq; mundi fastum incipias despicere.

SECUNDA PARS.

SOlent Politici qvidam in picturâ qvâdam hominis sapientis collum oblongum atq; exsertum, oculosq; emicantes ei tribuere, ut indicent circumspectum eum, vigilantem, ac prudentem esse, qvi non modò qvod ante pedes est videat, sed etiam illa, qvæ futura sunt, prospiciat: hoc collum oblongum, hos oculos perspicaces Paulus Apostolus in Christiano vero ac sapiente reqvirit, ut ille in alterum qvoqve & futurum seculum prospectet, ubi declarari potest vocis Græcæ ἀποκαραδοκίας Rom. 8,18.19.23. & σκοπούντων 2. Cor. 4,18. emphasis. Talem nobis Epistola ad Hebr. cap. 11, 25. 26. Mosen proponit, & ut nos qvoq; tales evadamus, felix passionum Christi antecessoris nostri & ducis clausula monet, de qvâ sic porrò Psaltes: illum miserum mortalem minorem factum sanctis Angelis, qvi nunqvam ex statu felicitatis ad tempus descivère, *gloria & honore coronasti eum*, & velut corona ritè suffragantibus omnibus regni ordinibus electo Regi imposita designat

ejus majestatem ac potentiam: ita etiam illa collocatio ad dextram tuam DEUS (vide allegationem hujus dicti 1.Cor.15-25.27. & confer cum Psalm.110,1. Heb.1, 13. & 10, 13.) hunc Christum factum esse Dominum omnium Act.2,30.34.36. & esse Regem suæEcclesiæ Psal.24.&46. Simul tamen notatur amplitudo ac insignis magnitudo hujus gloriæ: sicut enim corona undiqvaq; caput cingit; ita etiam omnem honorem ac gloriam Christo homini esse collatam subindicatur. Et hoc satis eluxit in plenario super omnes creaturas accepto & usurpato imperio, de qvo hæc habentur apud Psalmistam: *fecisti eum regnum obtinere in operâ manuum tuarum*, præfecisti eum omnibus rebus creatis Dominum, Conversatorem, Vindicem, Judicem, & ut nil desit huic imperio, *omnia posuisti sub pedibus ejus*, fecisti, ut creaturæ eum talem cogantur agnoscere, eiq; summam exhibere reverentiam, ut solent illi, qvi se ad pedes magnatum abijciunt, ac supplices aliqvid petunt.

I. Loc. Commun.

DOcemur qvodnam præcipuum sit Christianorum solatium, videlicet resurrectionis, eamq; secuturæ retributionis mysterium 1. Th. 4,18. id verò ut rectè discamus, cum Asapho ingrediamur DEI sacraria Psal.73,17. consulamus sacræ scripturæ oracula, & inveniemus, qvòd nulli tandem delusi aut confusi, qvicunq; sunt DEO confisi. Verum hæc ratio humana non capit, nec novit, qvi fiat, ut castigetur filius, non verò affligatur servus, Heb.12. & tamen hæc est illa via, qvam oportet insistere, qvi cupiunt eò pervenire, ubi

Jam requiem præbet fessis in vertice summo.

II. Loc. Commun.

SI conferamus & v. hujus Psalmi 2. & loca superius ex N.T. allegata, firmiter ex hoc loco contra Calvinianos deducimus, Christo homini (de eo enim fit hîc sermo) esse præter multa finita, & habitualia dona, collata verè divina attributa per unionis gratiam, & qvòd eorum plenarium usum exercuerit, postqvam ad dextram Patris consedit, qvum jam antea miseriis in opere redemptionis exantlandis esset perfunctus, ubi, qvoniam hoc loco fit mentio coronationis, & ipse Christus aliàs nomine Davidis venit, qvandoq; in Scripturâ cum Davide, cui Regnum jam uncto debebatur, exulante, & longo demum post tempore coronato

nato, atq; ad regni clavum collocato, potest comparari, & simul etiam hoc indicatur, qvòd longè major gloria, qvàm fuit afflictio, sequatur Christianos, sicut & ipsum Christum, ubi divi Pauli statera rectè adhibenda est Rom.8,18. 2.Cor.4,17. & apparebit, qvando qvis parumper fuit malis exercitus, qvòd gloriâ & honore coronetur; qvando gestavit coronam spineam in terris, ipsi sit parata aurea in cœlis 2. Tim. 4,8. Apoc.3,11.

III. Loc. Commun.

QVod Christus secundum divinam naturam ab æterno habuit φύσι, idem accepit secundum humanam naturâ in tempore, θέσει, qvod innuit satis diserte utrumq; verbum hæbræum in textu תְּמַשְּׁלֵהוּ & שִׁתָּה confer Johan.17,5. Act. 2,36. Et ne qvis putet, qvod Christus sibi aliqvid promeruerit; & hoc loco Psaltes illo ipso verbo, & dilucidius adhuc Apostolus Phil.2,9. verbo ἐχαρίσατο antevertit. Ne qvis etiam existimet, hoc regnum non fore diuturnum aut stabile; DEUS ipse, cujus consilium nullus potest mutare, id constabiliviſſe perhibetur. Nos igitur videamus modò, ut simus servi Domini hujus morigeri & obedientes, ita futurum est, ut per illum contra hostes omnes rectè defendamur Psal.110,2. & tandem æternâ libertate donemur, Joh.8,36.

IV. Loc. Commun.

MAgnum erat qvondam, qvòd David & Salomo super totum populum Israeliticum, multosq; exteros regnaret: Ahasverus centum & viginti septem provincias possideret; sed nihil qvicqvam ad hunc Ecclesiæ Regem, qvi in omnia manuum DEI opera, seu creaturas obtinet imperium, qvæ hoc nomen habent, qvod non modò per DEI potentiam (qvæ indicari solet voce manus, vel dextræ) solo verbo sunt creata, Psal.148,5. verùm etiam ab ipso curentur & conserventur, ut illa, qvæ manibus tenemus? & cavemus, ne frangantur aut collidantur, qvomodo cœli v.4. opus digitorum DEI vocantur, non, ut frustra argumentantur qvidam, qvòd sint decem orbes, ut decem digiti, nec tantum, (qvòd verùm tamen est) qvòd facilè & summâ curâ sit elaboratum opus, in qvo maximè mirandi stellarum ortus & obitus; verùm etiam, qvòd sit opus maximè durabile, in qvo nulla cernitur corruptio.

Si autem omnia creata sunt opus manuum DEI, homo omnium in creatione factus Dominus, in qvo ornando præcipuè fuit sedula sacrosancta Trinitas, opus manuum DEI præstantissimum nunqvam ab eo deseretur, sed semper occupata erit, (ut ἀνθρωποπαθῶς loqvamur cum scripturâ) sinistra in malis propulsandis, dextra in bonis conferendis Psal.138,8. qvod ut faciat, rogandus est, ex Psal. 90, 17. adsit amœnitas Jehovæ DEI nostri & opus manuum nostrarum instituat in nobis.

V. Loc. Commun.

SI omnia sunt posita sub pedibus Christi, meritò eum omnium monarcham & moderatorem summum agnoscant & reverentur omnes, etiam ipsa summa in his terris capita Reges, Principes Psal.2. siqvidem per eum regnant Prov.15. & ipse desuper, qvid ipsi inferius rerum gerant in suo officio, in qvo DEI vices sustinent Psal. 82. aspicit. Qvòd si omnes æqvè benè considerarent, non ita malè multi pleraqve administrarent, qvum putent se esse, qvi non agnoscunt superiorem. Gloriatus est aliqvando (verùm ut eventus tandem docuit frustra) valdè insolenter Pompejus magnus, se solâ pedum complosione totam Italiam esse completurum militibus: de hoc Rege nostro optimo maximo rectius dixerimus, qvòd ipse omnia pedibus suis habeat subjecta & possit.

Parcere subjectis ac debellare superbos.

Imò qvemadmodum illa, qvæ jacent sub pedibus, contemnimus: ita Christus & Christiani omnia mundana contemnunt, ac nihil faciunt, si comparatio instituatur inter illa & æterna seu cœlestia, qvemadmodum Christi spiritu plenus 1.Cor.7. suo exemplo præit Apostolus Phil. 3. Ipse verò noster Dominus conterat Satanam & omnia ipsius organa sub pedes nostros ac virtute sui verbi dejiciat Rom.6,20. ut ita ad ipsum delati tandem in cœlos, omnibus hostibus devictis cum ipso æternum triumphemus 1.Cor.15. Ita fiat, Amen.

DOMINICA INVOCAVIT.

Ephes 6,16.17 18.

QVando David contra Goliathum erat pugnaturus, Saul rationis humanæ ductum secutus ipsum, armis indui jussit & lorica, imposuitq; galeam chalybæam capiti ejus; verùm David, qvum vellet, non po-

potuit incedere, nedum pugnare ita armatus, ideoq; amovit 1.Sam. 17, 38. potius accepit baculum in manu & elegit lapides qvinq; ex torrente vers.39. iisq; immanem Goliathum adortus mirabiliter vincit. Nobis itidem DEO jam in dilecto dilectis Eph.1. postqvam Christi justitiâ sumus in baptismo donati Rom.6. Gal.3. certamen magnum est cum Goliatho infernali seu Diabolo, qvi & ipse ex beatitudine in æternam damnationem transmigravit, & nos in Adami lapsum eodem pertraxit: unde fit, ut omnia propter peccatum sursum deorsum volvantur in mundo. Arma autem qvibus pugnandum, non esse carnalia, Apostolus in hoc conflictu valde exercitatus 2.Cor.11. & 12. miles asserit 2. Cor.10,4. Ephes.6.v.10. militem Christianorum rectè instruit v.10. & seqq. nimirum non mundi potentia, non Philosophi sapientia hîc qvicqvam valet; sed omnia illa præsidia humana sunt abjicienda, ac soli Deo confidendum: Qvod potest fieri, qvando Scipione verbi nixi Psal.23. ex qvinq; Christi vulneribus tanqvam fonte omnis gratiæ, unde omnis nostra felicitas velut ex rivo derivatur, lapides, qvos jaciamus in hostes, petimus, & rectè in fide usurpamus. Inprimis vero scutum fidei nostro cordi, & galeam salutis capiti apponamus, & lingva nostra (qvod monet hujus diei dominicæ nomen) DEUM cœli invocemus, ac gladium spiritus ad exemplum Christi, προμάχου nostri vincentis, in Evangelii historia Diabolum viriliter vibremus. Hæc tria tribus versibus Eph.6, 16.17.18. declarantur, eaqve hâc occasione non incommodè possunt explicari. Partes sint tres.

I. *Qvæ scuti fidei potentia.*
II. *Qvæ galeæ & gladii spiritualis excellentia.*
III. *Qvæ precum vehementia*

Jesu Christe, Abraham qvondam domi suæ natos trecentos octodecim armavit, iisq; multos superbos Reges superavit, ut legitur Gen.14, 14. Tu verò ejus semen benedictum unicum, & Pater futuri seculi Gal.3,4. Esa.9. nos qvoq; in Ecclesia tibi renatos Psal.110,3. armes virtute nominis tui, qvod Græcis olim non sine mysterio ita scribebatur, ut

IH

notaret etiam ter centum octodecim Tut possimus consistere, & omnibus benè confectis victoriam reportare, atq; in illo signo crucis non secus, ut qvondam Constantinus Magnus, animemur & incitemur, imò victores evadamus.

PRI-

PRIMA PARS.

QVando Christianus considerat, qvàm de salute nostrâ sit sollicitus DEUS, qvomodo eam præparet, donet, conservet; non potest non ipse qvoqve eàm cum timore ac tremore operari Phil.2. Id qvod eleganter describitur Sap.5,17.18. &c. DEUS dexterâ suâ proteget justos, sumet ad totam armaturam Zelum suum, induet pro thorace justitiam, imponet pro galeâ judicium minimè simulatum, sumet in scutum inexpugnabile sanctitatem, acuet severam iram pro gladio: Vide, tanta est ducis nostri alacritas! qvanta igitur esset fœditas, si nos de essemus nobis ipsis. Id ne fiat, tandem Apostolus hoc celeusma reliqvis adhortationibus subjicit sub finem Epistolæ ad Ephesios, in qvo est qvædam gradatio, ita ut semper oratio & hortatio crescat, eaq; qvæ sunt maximè necessaria, ulteriori loco inculcentur, de pedibus induendis præparatione Evangelii pacis dixerat. Ubi unumqvemq; voluit in cognitione Christi ex Evangelio progredi, & facere in qviete opera vocationis propria, atq; adeò jam ad finem perduxerat partium πανοπλίας τῦ Θεῦ enumerationem; nunc velut brevi in compendio eam repetit, & præcipua hominis membra obarmat, Ἐπὶ πᾶσιν *super omnia* præter illa superiora, inprimis de his seqventibus estote solliciti, Lutherus valdè eleganter horũ vocabulorum emphasin exprimit, **vor allen Dingen** *assumite scutum fidei*, etiam ἀναλαβετε, qvando id peccatis contra conscientiam amisistis & succubuistis in prælio, qvisq; acrius ad pugnam redeat, vim suscitet irâ: resumite abjectum scutum in verâ pœnitentiâ, *qvò poteritis omnia jacula illius mali ignita exstingvere*, βέλη, qvæ magno impetu βάλλει & projicit ille malus ὁ πονηρὸς Matth.13,19. 1. Johan.2,13. & 5,18. unde omnis πόνος, omnis labor & dolor, in mundo, qviq; manibus ac pedibus conatur semper, & in hoc laborat, ut nos secum perdat. Lutherus iterum pro ratione lingvæ germanicæ eleganter **alle fewrige Pfeile des Böſewichts.**

1. Loc. Commun.

CUm multi multa optarint, David vir secundum cor DEI, illud unum in votis habebat, qvod ante omnia esse spectaculum hic monet Apostolus Psal. 27,4. Cum multi multa petierint, Salomo omnium sa-

sapientissimus hoc unum rogabat Deum, ut daretur ipsi animus intelligens 1.Reg.3,9. Nos idem expetamus ad exemplum Mosis Devt.32, 29. ut sapiamus, & intelligamus, qvæ sunt DEI: advertamus ad finem nostrum, inde enim oritur vera, Christianoq; homine digna prudentia Psal.90,12. & qvando Martha cum mundo multas sibi creat molestias, nos unum necessarium cum Maria eligamus, qvod non potest à nobis auferri Luc.10,39. 40.41.42. Hoc ipsum est, qvod Apostolus hoc loco particula πὶ πᾶσιν hortatur, qvum optimè sciat, in his demum esse rerum summam & felicitatem veram positam 2. Tim.4,7.8.

II. Loc. Commun.

QVando audimus ex Luca cap. 11. qvomodo Diabolus omnibus modis id agat, ut palatium, ex qvo est ejectus, denuò occupet, nostrum est contrà audentius & ardentius ire in hunc hostem, & si qvando contingit, ut per ipsius μεθοδείας simus dejecti, latq; armis nostris spoliati, id conemur, ut in verâ resipiscentiâ Spiritus sanctus templum nostri cordis, qvod deseruit ob impietatem, rursus occupet, gratiam DEI in conversione ad Patrem nostrum recuperemus, & fidem amissam recipiamus: qvemadmodum exemplum optimum nobis præbet David, jam factus homicida & adulter in Psalmo suo 51. Ita Petrus factus ῥιψάσπις Domini gratioso aspectu excitatus, pro ternâ abnegatione Matth.26. ternam confessionem edens Joh.21. scutum fidei se resumsisse demonstrat. Qvod cum ita sit, qvid venit in mentem Calvinianis negare, fidem veram semel datam amitti? Qvicqvid enim (ut alia plura nunc non attingamus) verè ἀναλαμβάνομεν, denuò recipimus, illud anteà abfuit, saltem certo modo & illo respectu, qvo fit ἀνάληψις, uti liqvet in historia ascensionis Dominicæ Marc.16,19. Act.1, & 2.11. 1.Tim.3,16. & Actor.20,13. 2.Tim.4,11. simul itanotatur humana imbecillitas & Diaboli versutia, qvi etiam diligentissimis fortissimisq; Christianis potest ita insidiari, ut armis abjectis cogantur qvandoq; aufugere, ut constat de Noacho, Lotho, Mose & Aarone, &c.

III. Loc. Commun.

QVando fides confertur scuto, de qvibusdam monet nos hæc comparatio. Primò enim ut scutum oportet esse ex materiâ solidâ; sic decet fidem niti fundamento solido, nempe verbo DEI, qvod non nutat,

& lapide angulari Jesu Christo, qvi non mutat. Istis qvamdiu nititur ex auro & argento solido est fides velut fabrefacta; contra autem si alia humana eligit, scutum habet stramineum, qvod facilè potest transfigi, 1.Cor.3,11.12. *Secundò* ut scutum potissimùm munit cor; ita fides vera hoc spectat unicè, ut animo & cordi benè sit: reliqvorum autem si ita flagitet necessitas, jacturam facere non reformidat Matth.10.v.19.&29. *Tertiò* ut scutum est rotundum; ita fides omnes articulos ad salutem scitu necessarios complectitur, & contrà si uno in loco scutum est perforatum, deinceps est inutile; ita etiam fides, si in uno fundamentali articulo non sit sincera, aut cum verbo DEI congruens, non est salvifica aut vera. *Qvartò* ut scutum abjicere erat olim capitale; ita cum dispendio salutis æternæ fides amittitur, eaq; non datur, nisi illa in pœnitentiâ resumatur, siqvidem qvi credit, salvatur.

IV. Loc. Comm.

QVanta sit Diaboli astutia, diligentia & potentia, paucis his verbis indicatur, qvando ipse vocatur πονηρὸς, (Vide Epist.explicat.1.die Paschatos) qvi in hoc unicè laborat, ut mala instillet, propaget, procuret, & qvando ejus insultus & conatus appellantur βέλη, & qvidem τὰ πεπυρωμένα, ignita, qvæ non modò magno impetu jacta vulnerant, sed etiam conflagrare faciunt: qvemadmodum nonnunqvam in bellis hostes crudelissimi lardum ex bombardis ejaculati fuisse leguntur, qvo miserè non modò confossa, sed & flammis miseriùs absumta fuere militum corpora. Qvod si autem adeò diligens est Diabolus in nobis oppugnandis; qvanta reqviritur à nobis cautio in nobis defendendis? Cum sciebat David, Saulem Regem persequi ipsum, somnum in oculis suis sæpe non videbat de nocte 1.Sam.24, 26. ut saltim vitam toleraret: & nos longè atrociorem hostem metuentes dormiamus cum discipulis in horto, aut securi simus cum antidiluvianis & Sodomitis? Luc.17. Sanè nisi cum illis à Domino excitemur, cum his similiter peribimus. Qvod ne fiat, oremus cum Davide ex Psal.13,4.5. DEUS mi, illustra oculos meos, ut non dormiam dormitionem mortis, ut non dicat inimicus meus triumphans: prævalui ei. Secus qvi fecerit, illis ignitis Diaboli telis sciat se tandem in ipsum inferni ignem inextinctum dejectum iri.

V.

V. Loc. Commun.

DOctrina sacra etiam aqvæ nomine in Scripturâ venit, sicut & aqvæ mundæ, puræ nomine intelligitur qvandoq; Spiritus sanctus. Confer Esa. 44,3. Sir. 15,3. Esai. 55,1. Joh. 4,14. & 7,37. Qvapropter ut aqva poscitur, ubi flagrant ædes, vel ubi cor ardet siti; ita & nos á Diaboli telis tantùm non consumti scutum fidei virtute Spiritus S. aqvâ sacrarum literarum repleamus, & fessæ animæ in hoc bello sacro aspergamus, imo plenis faucibus hauriamus. Qvod si fecerimus, continget idem nobis, qvod de se fatetur Jonathan, ubi labore fessus mel comederat 1. Sam. 14. (qvi cum etiam solet conferri verbum DEI Psal. 19.) nempe mirificè reficiemur. Confer & rectè applica cùm Jonathanis prælium, tum, nisi se refeciisset, periculum. Et tantùm de primo.

Secunda Pars.

EX veterum militandi & armandi se ratione loqvens Paulus, jam porrò caput & manum munit, illud galeâ, hanc gladio. Ut enim hìc qvoq; cum vetere seu antiqvo serpente congressi imitemur serpentes ex præscripto Salvatoris Matth. 10,16. grande est operæ pretium, siqvidem de illo narrant qvidam, qvòd hostiliter impetitus de capite tuendo tantùm unicè sit sollicitus, qvum noverit reliqvarum partium damnum facilè tum posse resarciri, ubi illud est illæsum. Ita etiam miles Christianus, postqvam per scutum fidei cordi, velut animæ sedi, prospexit, nunc per galeam salutis caput defendat, & hisce φυλακτηρίοις armis ἀμυντήριον ensem adjiciat *etiam galeam* seu clypeum, qvo caput circùmcirca obtegatur (qvod innuit græcum vocabulum περικεφαλαίας) *salutaris* seu salutis à Salvatore unico vobis partæ, paratæ & oblatæ in verbo & sacramentis ex manu DEI desuper porrigentis velut *recipite* & imponite vobis, ut habet Syrus interpres, velut δεκτὴν gratũ & acceptum munus, δέξασθε, libenti animo patiamini vos eâ galeâ indui in cœlo, per Christum ducem vestrum, de qvo in hostes Ecclesiæ ruente hæc extant Es. 59,17. Induit justitiam qvasi loricam, & galeam salutis capiti suo. Cur verò omnia illa fecit? bono utiq; vestro, ut vobis hanc salutis pararet galeam, ut & vos possitis rectè induere thoracem fidei ac dilectionis, ac galeam, id est, spem salutis æternæ immotã 1. Thes. 5,8. confer 2. Sam. 22,31. Postqvam autem vobis ita consului-

stis ipsi, videte ut habeatis, qvo hostem lædatis, gladium: assumite *machaeram* seu gladium, non materialem, sed Spiritus sancti, qvi est *verbum* DEI, de qvo pluribus agitur in hisce locis biblicis Ps. 149, 6. 7. Es. 49. v. 2. Apoc. 1, 16. & 19, 15. Heb. 4, 12. qvi inter se sunt conferendi, ut de usu atq; efficaciâ ejus simus rectè edocti.

I. Loc. Commun.

Notari hîc primùm breviter possunt qvædam membra comparationis inter salutem per Christum partam ac galeam externam. Ut enim *primò* galea etiam fit ex materia solida, si debeat esse proba & firma; ita etiam salus vera & spes fiducialis non nisi ex solutione λύτρου sufficientissimi oritur. *Secundò* ut galea desuper capiti imponitur; ita illa divinitus datur, non humanis viribus comparatur. *Tertiò* ut galea caput non modò munit, sed etiam ornat; ita salus per Christum parta non modò nos contra Diaboli & legis accusationem defendit & liberos esse facit; verùm etiam præter beneficium justificationis, renovationis qvoq; velut cumulum adjicit. Et ut *quartò* galea capiti aptata non facilè decidit; ita etiam spes nostra salutis sit immota Heb. 6, 5. 6. 7.

II. Loc. Commun.

Solus Christus est Σωτὴρ ejusq; meritum nostrum Σωτήριον, unde omnis salus Act. 4, 12. Confer Luc. 2, 11. 30. & 3, 6. Joh. 4, 42. Act. 28. v. 28. hinc ipse nomen Jesu jure occupat, explicante Angelo Matth. 1. v. 21. Vide plura in exegesi dicti 1. Tim. 1, 15. 16. thes. 16. 17. Hîc illud addi debet, qvòd cùm Christus sit caput Ecclesiæ suæ, omniumq; ejus verorum membrorum Eph. 1, 22. & 4. 15. Coloss. 1, 18. meritò etiam ejus virtute ac merito caput nostrum in hoc bello spirituali armetur, & à capite seu κεφαλῇ περικεφαλαία donetur. Debora & Barak Jud. 5, 8. ita argumentantur, qvòd tùm facilè hostis obtinuerit portas ac munitiones Israelitarum, qvando inter illos nullus conspiciebatur clypeus. Nos verè itidem possumus concludere, qvòd portam cœli non possimus ingredi, aut stationem nostram defendere, nisi galeâ & clypeo hoc salutis simus probè muniti, qvæ enim mala crux nocebit, ubi Christi salus ex omni parte protegit? exemplum hujus confidentiæ præbet David in Psal. 3, 8. 9. & 5, 12. 13. ubi vocum hebræarum emphases considerandæ sunt accuratius.

III. Loc.

III. Loc. Commun.

VErùm qvî fit, qvum hæc ſalus omnibus apparuerit, omnibusq; à Chriſto ſit parta, tam pauci ejus fiant participes? ratio in promptu eſt: nolunt tam gratioſum & precioſum DEI donum δέξασθαι, gratâ manu ſumere, ſed ad ſe venientem Jeſum cum Samaritanis ingratis excludunt Luc. 9, 53. ſed etiam de hâc phraſi in eadem ſuperius allegata exegeſi uberius theſi 9. 10. Davidi qvum offerret Jonathan ſua arma, libenter accepit, 1. Sam. 18, 3 nos verò maximam partem arma à Chriſto Jeſu & Jonathane noſtro vero parata ac oblata in grato animo reſpuimus. Qvid itaq; mirum tam paucos benè pugnare hanc pugnam?

IV. Loc. Commun.

VErbum DEI qvando nominatur gladius Spiritus S., de verbi efficaciâ ſummâ monemur. Ut enim *primò* gladio occiditur hoſtis; ita hoc verbo non modò omnes hæretici & mali in doctrina proſternuntur, verùm etiam legis minis omnes mali in moribꝰ occiduntur 2. Cor. 3, 6. Et *ſecundò* ut milites, ſi probi illi qvidem, non prodeunt, niſi gladio accincti: ita & nos, qvum ſemper cum Diabolo bellum ἄσπονδον & induciarum expers geramus, ſemper ſimus verbi divini machæra inſtructi. Et *tertiò* ut gladius ſæpè acuendus: ita etiam verbi monita acutè & crebrò ingerenda. Deut. 16. *Quartò* ut gladius potiſſimum datus eſt magiſtratui, & iis, qvi in eminentiâ conſtituti: ita & nos hoc ipſo admoneamur, nos, qvibus ſit traditus hic gladius, eſſe Reges ſpirituales 1. Pet. 2. Apoc. 1. Hunc gladium vibravit noſter πρόμαχος Chriſtus in Evangelii hodierni hiſtoria, eoq; Satanam devicit. Hoc gladio multi alii, eum ſecuti, victores evaſêre, ut Catalogus fortium Chriſti militum docet Heb. 11. Ut autem *quintò* gladius facilè diſſilit, ſi qvid ex pravâ materia fuerit ferro bono additum: ita etiam omnes humanarum cogitationum ſcoriæ ſegregantur & reprobantur voce ſpiritus. Nam qvicqvid non eſt Sancti Spiritus, id etiam non eſt divinum in hoc gladio. Semper itaq; ſummo ſtudio id agamus, ut in ſingulis mentem atq; ſententiam Spiritus ſancti rectè intelligamus, ut ita ſit hoc verbum non hominis, ſed numinis, qvo tueri nos laboramus. Ubi autem ſervatur iſte gladius Spiritus? David gladium Goliathi deſpoſuerat apud Sacerdotem & inde tempore neceſſitatis petiit 1. Sam. 21. Nos ſciamus, qvod

hic gladius Spiritus etiam apud ministros verbi sit depositus, imò in bibliis reconditus, unde qvum necesse est, eum possumus petere. Tantùm etiam de secunda parte.

TERTIA PARS.

OLim in V.T. non modò cor aliaq; viscera animalium mundorum DEO offerebantur in holocaustis, verùm etiam thymiamata & odorifera, unde fumus qvidam gratus exhalaret, accendebantur: ita in N.T. sacrificio DEO grato, id est, corde contribulato & purificato Deus delectatur Psal. 51. Roman. 12, 1. 2. Act. 15, 9. non tantùm intus in corde fides vigeat, & per eam Christus in eo vivat Gal. 2. spes hominem alat, verbum Dei roboret & confirmet; verùm etiam supra ipsum & ex ipso ascendat oratio tanqvam suffitus Psal. 141, 2. Mosi olim DEUS ipse modum, materiam, & rationem suffitus sacri conficiendi præscribit, eumq; sibi soli vult offerri Exod. 30, 34. 38. Noster Apostolus orationis piæ requisita enumerat, & qvomodo preces tales fundantur, qvæ sint gratæ adversus DEUM, ac efficaces, demonstrat. Audiamus ejus verba, in qvibus qvalitates, tempus, modum, ac fontem, adjuncta, & objecta externa precum complectitur διὰ πάσης προσευχῆς καὶ δεήσεως per omnem ardentem orationem & flagitationem, nimirum ex præcedentibus suppleatur, galeam salutis & gladium Spiritus accipite. Ubi qvomodo possimus fidei, spei & dilectionis Christianæ incrementum capere, docemur, nempe per pias preces, in qvibus ut sit attentio, vox προσευχῆς suo ἐντύμῳ vel saltem cognatione innuit, dum propè ad προσέχειν accedit, & notat, cogitandum esse, nos supplicationem offerentes ad DEUM accedere velut Regem Regum, qvando oramus, opus itaq; esse magna attentione animi, ob majestatem Domini & excellentiam astantium Angelorum: & porrò ut ea omnia petamus, qvibus indigemus, itidem monet vox δεήσεως, qvæ cum verbo δεῖ, opus est, cognata est; ubi si deprecationem velit qvis omninò vertere cum aliis, nôrit nos indigere malorum nos prementium ablatione, *orate* igitur precibus instantes *omni tempore*, qvod qvidem non cum Euchetis & aliis ita intelligendum, qvasi nihil aliud qvicqvam qvisqvam agere aut cogitare debeat, (qvemadmodum etiam pravè huc detorserunt Luc. 8, 1. 1. Thess. 5, 16.) sed qvod nullum tempus sit, qvo non possimus rectè orare, ut ita ho-

horæ certæ à monachis precibus tributæ, & á Luciano aliisq; epicureis assertæ excludantur, sensusq; est: orate, qvum & qvandocunq; opus est, Lutherus egregiè **in allen Anliegen/** DEUS enim semper audit & vigilat Psal.121,4. Qvî igitur fit, dicas, qvod non omnes preces, qvas DEUS audit, exaudiantur? additur propterea ab Apostolo, veras & DEO placentes preces fundi *in Spiritu* Joh.4,23. & à Spiritu S. dictari, qvi unà intercedit tanqvam noster παράκλητος Rom.8,26. Intellexistis jam, qvid sit faciendum: scitote etiam, qvòd hic magna reqviratur industria & vigilantia, ut omnia rectè consiant, *& in ipsum hoc*, huic ipsi rei jam inculcatæ de militiâ spirituali incumbentes & *excubantes* (ἀγρυπνοῦντες, cujus vocis emphasis fuit declarata in dicto Hebr.13.v.17.) velut milites exspectantes hostem in castris cubant sub dio ac puro Jove. Durum hoc inqvis? omnino, ideoq; tolerantiâ vobis opus est (vide dictum Hebr.10,36.) vigilate *in omni perseverantia* προσκαρτερήσει, tali assiduitate & fortitudine, qvæ non patiatur se malis frangi, sed contra audentior ire parat. Lutherus bene respectu precum vertit **mit allem anhalten/** ne deficiant in oratione *& in omni precatione*, non tantùm pro vobis solis & vestris necessitatibus, verùm etiam pro *omnibus* aliis *sanctis* vobiscum periclitantibus, ut & ipsi vobiscum tolerent & propositum brabeion reportent.

I. Loc. Comm.

AGricolæ, ubi semina magnæmatri seu terræ crediderunt, solent apponere qvandam formidinem pennæ vel alterius rei, ne aves grana non satis terrâ obruta auferant: ita etiam nobis faciendum esse monet Apostolus hoc in loco, & vult, ut postqvam semen verbi DEI cordi fuit insitum, apponamus alatas ac in cœlum subvolantes preces, qvibus terreantur aves infernales seu Diaboli, ne verbum rapiant de cordibus nostris Luc.8, ℣. 12. & ne qvid prætexamus nostræ socordiæ, per omnes preces id fieri mandat. Qvid itaqve mirum, verbum DEI seu gladium Spiritus multis citò eripi? nimirum non orant confidenter, constanter: multi qvidem non attendunt qvid dicant, & volunt DEUM attentas aures sibi præbere. O homines propriæ salutis prodigos!

II. Loc. Comm.

QVod Dominus in Psal.50,1 vocat diem tribulationis, noster Apostolus

lus hîc nominat omne tempus, puta malum respectu afflictionis & miseriæ. Hîc nomen hujus diei Dominicæ invocavit (ex Psal.91,15. Invocavit me & eripiam eum) nos submoneat, qvòd qvando dies sunt mali, & solus DEUS bonus, ut illis liberemur, ab hoc juvemur, solis precibus esse instandum, sive sit tempus diluvii cum Noacho, sive incendii cum Lotho & Danielis sociis, sive hostium oppressionis cum Mose, Israelitis, & Josaphato, sive Diaboli tentationis cum Christo & Paulo, 2. Cor,12. sive aliud qvoddam tempus malum, cum omnibus aliis sanctis à DEO liberationem petentibus & impetrantibus clamemus. Nemo DEO confisus est confusus Syr.2, 10.11.

III. Loc. Commun.

ET qvidni orenus, qvum habeamus duos summos utrinq; astantes intercessores, Christum 1. Joh.2. & Spiritum S.Rom.8. Horum votis modò nostra vel balbutientium conjungamus, exaudientur à Patre propter Dominum Dan:9. propter filium Joh 16. per ἱκετηρ Hebr.5. καὶ μεσίτην 1.Tim.2.

IV. Loc. Commun.

MUltis autem hîc accidit, qvod nonnullis cum Israelitis egressis ex Ægypto, qvi qvum videbant viæ molestias & pugnas instare, retrocedebant. Id ne accidat, adsit παρρησια, qvæ fuit in Apostolis multa mala passis Act.6,4. qvæq; aliis Christianis est præscripta Rom. 12,12. Col.4,2. Sed tu Dux noster Jesu Christe, qvia

Sine tuo numine,
Nihil est in homine,

tu nostram fidem robora, spem firma, verbum tuum cordibus inscribe, pias preces nobis præscribe, ut ita credentes, nec malis cedentes, te in hâc militante Ecclesiâ possimus invocare ac pugnare, ut detur tecum omnibusq; sanctis qvondam in cœlis triumphare. Ita fiat, Amen.

DOMINICA REMINISCERE.
Psal.25,5.6.

QVando Israelitas, per desertum vagantes, Deus ipse de die in columnâ nubis, & de nocte in columnâ ignis antecedebat, metusqve erat, ne populi idololatriâ ac peccatis offensus recederet, Moses

ita

ita pro se & populo intercedit, Exod.33,13.14.15. indica mihi, qvæso, vias tuas, & agnoscam te, & inveniam gratiam in oculis tuis, considera etiam gentem hanc populum tuum esse. Dixit Jehova, facies mea præcedet, ut qvietem concedam tibi. Instat vir DEI: si facies tua non præcedit, ne jubeto nos hinc discedere. Nos etiam per mundi hujus desertum vagantes, à Deo illuminamur sacris literis, qvæ sunt velut nubes nos ducens & velut ignis lucens 2.Pet.1. Verùm qvia sæpissime, nostris pravis affectibus Luc.8,14. aliisq; peccatis radios hujus lucis avertimus, DEI gratiam amittimus, ne prorsus in tenebris pergentes in tenebras exteriores tandem projiciamur, jure optimo ad summum numen conversi, cum Mose & Davide in Psal.25. suspiramus, ut DEUS indicet nobis vias suas & nostras, & ut eas inveniamus, qvas bono nostro ambulemus, ipse attento in nos oculo suo consilium det Psal.32,8. & 143,8.10. & faciem suam gratiosam super nos attollat Num.6,25.26. Psal.4,7. atqve ita tandem nos adducat in montem sanctum suum & tabernacula sua æterna Psal.43,3. confer Psal.15, 1. Joh.14,2. Luc.16,9. Qvem enim in regno gratiæ justificat, ita ut talis maneat, eum glorificat Rom. 8,30. Hoc autem omne ut præstet, DEO est jugiter revocanda in memoriam ipsius paterna in nos benivolentia, & rogandus, ut reminiscatur suæ bonitatis, non nostræ pravitatis. Id occasione hâc fieri potest, qvando & nomen ipsum diei & historia in Evangelio explicata ejus rei nos monet. Partes erunt duæ.

I. *Pii fiducia.*

II. *DEI clementia.*

Tu verò Jesu Christe, lux mundi, nos cœcos illumina, tu via vitam monstra, tu verè es salus nostra, & proinde mensuram tanti nominis in nobis qvoq; imple; te exspectarunt magno cum desiderio patres V.T. ut indueres carnem: nos toto die te desideramus, ut intres sub tectum cordis nostri, & in nobis spiritualiter formeris, Gal.2.v.20.& 4, 19. Reminiscere nunc qvoq; miserationum tuarum, & qvas ab orbe condito aliis abundè declarasti, nobis etiam hoc tempore præsta, ut cum illis sanctis adjuti, cum muliere Cananæâ à violentiâ Satanæ liberationem consecuti olim æternùm te laudemus.

PRIMA PARS.

DE Hercule fortissimo Heroe fingunt satis benè sapientes Ethnici,

qvòd ubi ad id ætatis pervenit adolescens, ut qvid capesseret, deliberaret, accessisse ad ipsum *vitiositatem* cum magnâ ostentatione & aureorum montium pollicitatione, & *virtutem* simplici nudoq; amictu contentam, adire tamen, & per laboris fanum ad honoris templum viam arduam monstrare: ubi ipse tandem elegerit illud, qvòd malit cum labore honestatem, qvàm cum dedecore voluptatem, utut hæc abblandiatur, & illa difficilis via videatur. Non malè illa politica ad nostra spiritualia per comparationem qvandam possumus traducere. Qvando enim jam sumus à DEO renati; Diabolus & Spiritus S. ille vitiorum, hic virtutum autor de nobis sibi devinciendis concertant: ille viam latam & primâ fronte splendidam, sed tandem tristem & præcipitantem ostendit; hic viam angustam primùm & miseram, sed demum lætam ac latam aperit: imitantes Herculem, & finem rescipientes hanc postremam eligunt, sed pauci; qvia plerosq; Diabolus excæcat, ne videant verum, aut expetant bonũ, sed in ignominia se eant perditum Eph. 4,18.19. David autem, Hecules qvidam Christianus, tantâ mentis perspicacia à DEO præditus, ut cernat ac consideret utriusq; viæ catastrophen, ita suspirat: Vias tuas, Jehova, notas fac mihi, & semitas tuas, atq; ad te ducentes, doce me; & qvia nondum possum ostensum pietatis callem meis viribus insistere, הַדְרִיכֵנִי *fac tu me* calcare, & firmiter incedere *per veritatem tuam*, ne patiaris ad Diaboli fraudes respicere, non mundi delitias æstimare aut amare, non carnis illecebris adhærere; siqvidem omnia illa sunt falsa, & fallacia, qvia aliud pollicentur, & longè aliud tandem præstant. Fac itaq;, tu DEUS verax & fidelis, in promissionibus tuis, ut per veritatem tuam, qvæ post pugnam coronam, post miseriam gloriam promittit & certò donat, ambulem inoffenso pede, *& doce me eam* in tuo verbo, cordi ipsi inscribe, meq; tuum verum ac morigerum discipulum effice (à לָמַד enim qvod est in textu, est תַּלְמִיד qvod significat discipulum) ad te confugio, qvia apud te est ipsa salus duplex, animæ & corporis, hujus & futuræ vitæ Ps. 3, 9. *Nam tu es DEus* & vindex (Heb. אֱלֹהֵי) *salutis meæ* יִשְׁעִי, Jesus & ζωτὴρ verus *& proinde te exspecto omni & toto die* ad te rectà collimat, & collineat oratio mea, imò omnia suspiria tanqvam ad metam per rectam lineam, qvæ est emphasis verbi hebræi קִוָּה alibi declarata prolixius.

II. Loc.

I. Loc. Commun.

MUltæ sunt DEI vitæ, & pleræq; ratione executionis rationi humanæ imperveſtigabiles Rom.11,33. Eſt enim (ut reliqvas taceam) via qvædam DEI admirabilis, nempe *providentiæ*, de qvâ Pſalm.139, 6. & 4. eſt qvædam via formidabilis, nempe *juſtitiæ*, Devt.32.v.4. eſt qvædam via paterna, nempe *gratiæ*, Pſal.25,10. eſt qvædam via æterna videlicet *gloriæ* Pſal.139,24. Sunt etiam duæ potiſſimum viæ hominum, nimirum *juſtorum* in mandatis DEI ambulantium, & *peccatorum* nefariè præcepta DEI violantium Pſal.1,1. & 6. qvarum hæc fugienda, illa ſeqvenda, Pſal.119,9. Idqve fit tanto alacrius, qvantò conſideramus diligentiùs, qvàm diverſæ ſint DEI & hominum Eſa.55, 8.9. numinis & dæmonis cogitationes 2. Petr,3,9. & 1. Petr.5, 8. 2. Cor.2,11. Multum ſanè conducit ad victoriam, ſi qvis hoſtis machinationes habeat cognitas & perſpectas; ita enim facilius occurrere iis poteſt, qvemadmodum liqvet ex hiſtoria Eliſæi 2.Reg.6. qvi Regi Iſraelis ſignificabat, qvicqvid moliretur vel meditaretur Rex Syriæ. Ita etiam nobis verus ille noſter Eliſæus, Chriſtus, omnia revelavit, qvæ contra nos Diabolus molitur: & ut animum addit militibus ruendi in hoſtes, qvando à duce iis oſtenditur via, qvâ poſſint tandem elabi; ſic etiam nos excitet, qvum Chriſtus viam effugiendi omnia mala demonſtrarit. Sed qvia non novimus eam ex nobis, cum Davide illa vota fundamus: *Jehovæ doce nos vias tuas.*

II. Loc. Commun.

SEd *qvò mihi conſilium, ſi non conceditur uti?* hîc rectè exclames cum Poetâ, vel potius cum Propheta Jer.10,23. Novi, jehova, non eſſe penes, hominem viam ipſius, vel dirigere greſſum ſuum. Ut enim Ægyptius famelicus non poterat progredi, niſi à Davide refectus 1.Sam. 30. & velut Jairi filia non poterat exſurgere niſi à Domino excitata Matth.9. ita homo, ſpiritualiter ad bona mortuus, non poteſt incedere in viis Domini, niſi à DEO vivificatus & confirmatus. Et ut priori Davidis voto noſtra ignorantia & cœcitas denotatur: ſic hoc poſteriori, *fac me incedere*, noſtra impotentia ac imbecillitas indicatur. Non enim ſufficit ut Deus monſtret tantum modò, ſed ſi illud efficere, vel apprehendere ſaltè debemus, ejus reqviritur gratioſa in nobis operatio, per qvam efficit & velle & perficere Phil.2. Ut enim in creatione pri-

mâ homo, factus ex pulvere terræ, non factus est anima vivens, nisi tum qvando Jehova DEUS sufflavit in nares ipsius halitum vitæ Genes. 2, 7. ita etiam in recreatione homo non incipit vivere, nisi à DEI spiritu animetur 1. Cor. 15, 45. 2. Cor. 3, 18. Ubi autem vita, ibi & operationes, & ubi spiritus, ibi etiam fructus spiritus Jac. 2. Galat. 5. qvomodo simul monentur ii, qvi volunt pro vivis Ecclesiæ membris haberi, ut in spiritu ambulent ibid. v. 25. Nam Ecclesia est velut luna, qvæ aut crescit aut decrescit, & diu in eadem facie apparere nescit. Ita etiam Christianus in fide ac pietate vel proficit vel deficit, in viâ Domini vel progreditur vel regreditur; siqvidem mare divinæ gratiæ semper movetur, & cœlum etiam spirituale semper in perpetuo motu est. Qvid juvat cursoré, si benè cœperit, & subsiterit ante metâ? Nil qvicqvam. Ita nil prodest, viam Domini institisse, & paulò post resiliisse: imò melius esset talibus viam Domini non cognovisse, argumentatur Petrus 2. Epist. 2, 21.

III. Loc. Commun.

SI pleraq; etiam in mundanis sunt satis incerta & nobis incognita, qvemadmodum de formis rerum dicebat qvondam magnus ille Scaliger; nos velut cum vulpe lambere vas externum, ad interiùs autem recondita non posse pertingere, qvod etiam experientia ipsa probat: qvalia erunt reliqva qvæ de spiritualibus humana nosse præsumit audacia? Omnia sunt vana, imò vanitas, exclames cum sapientissimo Rege. Qvicqvid autem instillat suis Diabolus, est mendax ac fallax, qvalis ipse: & qvum putes te juvari, maximum tibi datur damnum & malum: solius autem DEI verbum est veritas, ut ipse verax, & qvum reliqva omnia pereunt, id solum manet Esa. 40. Luc. 21. Ergò qvi cupimus verè beari, per veritatem hanc incedamus Joh. 17, 3. 17. nec fallacibus mundi vel Diaboli promissis nos inescari vel decipi patiamur. Confer pollicitationes Rabsacis factas Israelitis, sed malo animo factas 2. Reg. 18, 31. 32. & meretricis lenocinia ac verba melle lita, de qvibus legere est Prov. 7, 15. 21. 22. & habebis ansam Diaboli mores depingendi in istis ipsius organis declaratos.

IV. Loc. Commun.

UNus est noster Magister ac Doctor Jesus Christus, cœlitùs missus, qviq; omnia ex se novit ac protulit Matth. 23, 8. 9. Is itaq; audiendus ut præceptor, & ita ut simus ipsius veri discipuli, non auribus modo, sed

dò, sed animis præcepta ejus imbibentes, ac vitâ exprimentes. Confer Joh. 6, 68. 69. & 15, 14. Discipuli autem sedebant olim ad pedes præceptorum, ut de se fatetur Paulus Act. 22, 3. Ita & nos cum Martha ad pedes Jesu considentes, sedulò eum audiamus Luc. 10, 39. & qvò ipse præcesserit ac duxerit nos, velut Pastor, seqvamur oves Joh. 10.

V. Loc. Commun.

Diabolus salutem & felicitatem in creatione homini datam invertit: Christus autem, nostræ salutis vindex, est factus noster verus גּוֹאֵל (cujus vocis emphasis alibi est explicata) & morte suâ vitam, injustitiâ nostrâ in se susceptâ & expiatâ, justitiam reparavit, ut qvicqvid in Adamo priori deperdimus, abundè in hoc posteriori fide recuperemus Rom. 5. 1. Cor. 15. Ad hunc itaq; salutis vindicem pressi ac fatigati accurramus Matth. 11, 28. ubi potest conferri Rutha, sub alas Boaz se recipiens. Ad hunc fontem accurramus sitientes justitiam Johan. 4. Matth. 5. hunc spectemus, hunc exspectemus, hunc desideremus cum Sponsâ ejus in Cantico Canticorum.

Secunda Pars.

Benhadad Rex Syriæ, duobus præliis fusus, fugit in civitatem, atque abscondit se in intimum conclave, ubi dixerant ipsi servi ejus: Ecce jam audivimus Reges, domus Israëlis Reges benignos esse, imponamus cilicia lumbis nostris, & funes indamus capitibus nostris, & exeamus ad Regem Israëlis pro te deprecaturi, fortasse servabit vitam tuam 1. Reg. 20, 30. 31. Homo qvi erat in creatione effectus בֶּן־חֶמֶד filius decoris & celeusmatis, ac Rex verè beatus, super creaturas reliqvas constitutus, à Diabolo deceptus, se cùm & in Adamo abscondit Gen. 3. nec potest ullo modo restitui, nisi in seriâ ac verâ pœnitentiâ (cujus signa erant olim cilicia Jon. 3.) ad DEUM conversus id sibi persuadeat, se meritum esse pœnam ac omnis generis supplicia, sed DEUM Regem Israëlis esse benignum, ac multæ misericordiæ. Ita fit, ut vivificet animam suam, dum mediis à DEO ordinatis rectè utitur. Ad hunc qvoq; modum David hoc loco se componit, DEUM exspectat v. 5. se fuisse peccatorem, & meritum pœnas, fatetur v. 7. omne verò præsidium in hoc habet repositum, qvòd Deus sit clemens: & qvia hominis, peccatis onerati, & pœnis affecti, videtur oblitus qvod ad auxilium & gra-

tiam, rogat ut DEUS velit ipso opere testari, se ipsius gratiosè recordari, *Jehova*. inqvit, *recordare miserationum tuarum* רַחֲמֶיךָ illius amoris, qvô nos ut pater & mater complecteris, qvos in utero gestas, qvos genuisti, qvosq; hæredes tuos esse cupis: fac re ipsâ experiar, te eandem erga me servare mentem, qvam olim tuis servis, imò filiis Abrahamo, Isaaco, Jacobo, declarasti, & recordare etiam *benignitatum tuarum* חֲסָדֶיךָ illius favoris, qvô tuos cultores ac servos proseqveris, qvemadmodum חֶסֶד notat eum, qvem gratiosè DEUS complectitur, qviq; ipsi vicissim sua præstat officia Ps. 4, 4. & hoc facias non ullum ob meritum meum, sed *quia à seculo sunt illæ miserationes*, imò ante seculum omnes nos in Christo elegisti Eph. 1, 4. & à mundi principio ita semper tuos beasti, idq; in Adamo ac Eva, receptis in gratiam, primùm declarasti, ac posteà semper eundem processum observasti: nunc itaq; ne mutes factum, aut animum tuum.

I. Loc. Commun.

Post diluvium fœdus gratiæ cum Noacho iniens DEUS, perpetuas rerum & horarum vices usq; ad mundi finem spondet, ut in mutabilitate immutabilitas qvædam, & in angustia ac miseria certum esset solatium Gen. 8. Sed illud qvoq;, qvicqvid est, tandem mutabitur, Deus autem semper unus & idem manet Ps. 102. Ergò qvando omnia sursum & deorsum volvi ac calamitatibus involvi cernimus, huc decurramus; esse Jehovam, qvi nunqvam immutetur, apud qvem nulla mutatio Jacob. 1. ideoq; qvum ille idem sit, nos modò videamus, ut simus tales, qvibus ipse meritò non denegare suam possit gratiam. Ut enim oleum non desinebat fluere in miraculo, qvàm diu aderant vasa, qvæ id exciperent 2. Reg. 4. ita oleum divinæ misericordiæ semper profluit ex fonte inexhausto, qvandocunq; adsunt vasa contritorum cordium: siqvidem id DEUS omnibus afflictis, ac se invocantibus promisit, & qvia se abnegare neqvit, præstabit.

II. Loc. Commun.

QVemadmodum oramus, & notum DEO facimus nostrum defectum, qvem tamen ille longè antea novit Matth. 6. Ita etiam DEO in memoriam revocamus ipsius misericordiam, qvæ nunqvam ipsi excidit, qvum sit tam magna, qvàm ipse est, imò ipse nil aliud sit, qvàm amor

amor 1. Joh. 4. & ut ibi nos potiùs commonefacimus qvàm ſummum illud ac omniſcium numen; ita etiam hic ipſi potiùs verè recordamur Dei clementiæ, qvàm Jehova, qvi ſemper ejus meminit. Nos verò & alii ejus obliviſci poſſumus, ac tum ingeminamus jure: Jehova reminiſcere, i.e. fac nos ſcire, noſtri curam te gerere. Vis exemplum hujus recordationis, qvæ Deo tribuitur ἀνθρωποπαθῶς? unum eſt inſigne, Noachi, cum diluvii fluctibus ac nimbis conflictantis Gen. 8, 1. Rachelis etiam non minimum eſt Gen. 30, 22. Iſraelitarum in Ægypto preſſorum inſigne eſt Exod. 6, 4. Et qvis poſſet omnia exempla enarrare.

III. Loc. Commun.

Flectere autem DEUM poſſumus, ſi proponamus ei cum omnibus ſanctis ipſius רחמים σπλάγχνα Luc. 1. qvòd ipſe nos magis amet, qvàm Pater Pſal. 103, 13. Mal. 3, 17. aut mater Eſa. 49, 15 ipſe ſit noſter pater Eſa. 64, 7. Rex ac Dominus Pſal. 64. qvi nos in ſacramento initiationis in ſuos filios adoptârit, ac cœleſti hæreditati deſtinârit. Ex natura autem relatorum hæc duo vocabula nos monent, ut, ſi velimus DEUM noſtri miſereri ac recordari, ſimus etiam filii morigeri, ac non degeneres ſpurii; ſimus obſeqventes ſervi, non refractarii nebulones.

IV. Loc. Commun.

Docemur etiam tandem, qvis ſit piorum exemplorum in ſacris notatorum verus uſus, videlicet ut in illis videamus & agnoſcamus miſericordiæ divinæ monumenta, atq; inde etiam ſimilem fiduciam de eâdem nobis exhibendâ concipiamus; ſiqvidem eſt à ſeculo, & ex generatione in generationem durat timentibus eum Luc. 1, 50. imò eſt etiam in ſeculum Pſal. 136, 1. &c. & licet montes recedant ac colles dimoveantur, tamen benignitas DEI non recedit à piis, ac miſerator Jehova Eſa. 54, 10. Nos concludimus, ſinguli ſuſpirantes cum Nehemiâ ex ejus libro cap. 5, 19. & 13, 22. vovemus, recordare mei, DEUS mi, in bonum, ac parce mihi, pro multitudine benignitatis tuæ, & fac ut ita hic illud reminiſcere, recordare, ingeminemus piis votis, ut olim cum omnibus ſanctis miſerationibus magnis congregemur, ac benignitate ſempiternâ fruamur in cœlis, Eſa. 54, 7. 8. Ita fiat Jeſu Chriſte, Amen.

DOMI-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730466876/phys_0163
DFG

DOMINICA OCULI.

Luc. 11, 28.

QVando DEUS hominem in Paradiſo collocabat, arborem vitæ qvoq; paraverat Geneſ.2,9. ut ſi homo in integritate perſtaret, fructibus ejus veſceretur: lapſum autem prohibebat eâ Geneſ.3.v.22. qvomodo moriendum omninò in æternùm, niſi aliud remedium fuerit monſtratum, id autem eſt vivum DEI verbum, qvod qvi ſervat non moritur in æternum, Joh.8. ſed tandem ipſi vincenti datur comedere de arbore vitæ in Paradiſo DEI exſtante Apoc. 2,7. Hoc autem verbum eſt prolatum, vel ex Patre natum, hoc per ſe eſt panis vitæ Joh. 6. Illud per hoc, qvatenus per idipſum Chriſtus annunciatur cum ſuo merito, & eſt cauſa inſtrumentalis ſalutis noſtræ ex patte DEI. De verbo DEI eſſentiali ejusq; omnipotentiâ ac meriti ſufficientia aliàs dicitur; nunc pauca cum DEO de Evangelii dignitate afferentur ex Luc. 11,28. ubi partes duæ.

1. *Verbi DEI verum ſubjectum.*
2. *Ejusdem optimum effectum.*

Domine Jeſu tu habes verba vitæ æternæ Joh. 6. ideoq; ad te nos mortui in peccatis accedimus: tu potes vivificare filiam Jairi in ædibus; filiam viduæ in via, Lazarum in ſepulchro, fac ut nos qvoq; vim verbi tui ſentiamus, qvi vel intus mala cogitamus, velut in cordis domo, vel in viâ peccatorum jam ambulamus, vel etiam in iisdem ferè putreſcere cæpimus. Da fidei manum, qvo hanc lucem comprehendamus, & per vallem umbræ Lethalis illæſi tranſeamus, Amen.

PRIMA PARS.

EXod.21,5.6. Si qvis ſervus hebræus, qvando poterat ſervitio exire, omninò dicebat, amo Dominum meum, non exibo, ſiſtens eum Dominus coram Magiſtratu perforabat ejus aurem ſubulâ, atq; ita ſerviebat ipſi in æternum. Hanc ceremoniam ita ad uſum noſtrum jam transferemus: ſiqvidem qvæ Iſraelitis accidêre, ſunt noſtri typi 1. Cor. 10,6.11. Si qvis homo, qvando poteſt ex libertate ſeu potius abuſu ſui arbitrii jugum atqve imperium DEI ſui excutere cum filiis Belial (qvi inde nomen habet qvod ſit בְּלִי עוֹל vide in Pſal. 2. verſ 3. Confer Luc. 19,14.) dicit ac cogitat in Corde ſuo verè ac ſyncerè, (qvòd notat in Mo-

Mose loqvendi genus, dicendo dixerit) amo Dominum DEum meum, nolo more hominum mundanorum esse liber, sed servus ero DEO meo, Luc.1,38. DEUS porrò ipsi aurem perforat digito suo, seu Spiritu sancto ipsius cor aperit & intellectum. Confer Luc.11. Act.16. Luc.24. ut rectè audiat ac obediat, & ita hîc Deum colat, ut posteà in omnem æternitatem DEI montem incolat Psal.15. id nobis hic indicatur eximio hoc epiphonemate, ubi 1. Observanda doctoris veritas, 2. Auditorum sinceritas. Qvum enim mulier qvædam ex populo miraculum Christi vidisset, ejusq; eximiam apologiam cum magnâ autoritate Marc.1. prolatam audivisset, exclamans beatam ejus matrem prædicat, sicut & Angelus & Elisabetha, imò ipsa Maria fecerat Luc.1. Christus id qvodammodo corrigit. *Ipse verò dicebat* ipsa sapientia Patris, qvæ omnia rectè novit, ipsa veritas, qvæ non fallit. Fidem igitur meretur hoc, qvod proferetur: esto beata mater mea, hæc felicitas non est illa summa & naturalis, qvam vos spectare decet (qvid enim hoc vobis in æternum proderit, scire tantùm, meam matrem fuisse beatam?) potius illius fidem, ob qvam beata & ipsa facta est Luc.1,45. imitamini. Illa, qvando ab Angelo verbum DEI audit, humili corde credidit, & dixit: fiat mihi secundum verbum tuum. Qvi enim sunt illi, qvi DEO sunt cari? hi scilicet, *qvi verbum* DEI & legis & Evangelii, & minas & promissiones, illas metuendo, has applicando, *audiunt, & custodiunt*, illud nimirum in corde bono, & fructum ferunt multiplicem cum patientiâ Luc.8,15. Hi sunt illi, in qvibus est semen illud DEI, unde oritur vita æterna: hi sunt illi, in qvibus est aqva saliens in vitam æternam, Joh.7,38.

I. Loc. Commun.

SI qvod dubium olim erat in lege, primùm ad Mosen, deinde ad alios, præcipuè pontificem maximum ablegabantur, qvi verum indicarent: Verùm in Novo Testamento (sicut etiam in Veteri idem per Prophetas loqvebatur) solus audiendus & consulendus est Christus, qvod jubet Pater de cœlo Matth.3. & 17. præcipuè in omnium gravissimâ qvæstione, in qvo consistat vera beatitudo. Verùm jam Christum non ita habemus præsentem, ut olim ipsius discipuli. Qvid ergo? sicut Pater me misit, inqvit, ita & ego mitto vos meos Apostolos, vestrosq; successores Joh.20. Hi igitur itidem audiendi Luc.10. Ad Salomonis sapientiam audiendam multi ex longè dissitis oris adventabant, & ecce

hic est, qui maior Salomone est Matth. 12. audiamus igitur, quid hic Dominus loqvatur Psal. 85.

II. Loc. Commun.

SI verbum est audiendum, *Primò*, Enthusiasmi & raptus non sunt exspectandi, qvippe qvi fiunt sine verbo externo. *Deindè*, non est, qvod qvis putet, hinc excludi dilectionem ac meditationem verbi: qvia & ibi DEUM audimus, juxta illud Chrysostomi: Qvando scripturam legis DEUS tecum loqvitur, qvando oras, tu cum DEO loqveris. Unde etiam beatus & ille prædicatur, qvi verba illa DEI diligenter legit Psal. 1, 1. Apoc. 1, 3. *Tertiò*, si verbum DEI est audiendum, qvid Antinomi legem ex Ecclesiâ exterminare præsumunt? qvid Anabaptistæ Vetus Testamentum rejiciunt? qvid alii hæretici alios libros Canonicos non acceptant? Contra qvid Pontificii suas traditiones & Papæ decreta (quæ sunt verè, sit venia verbo, ut dicere solebat B. Lutherus, drecceta) æqvè servanda esse clamitant. Etiam, qvid ita multi Theologiæ studiosi potius alia legunt Scripta, qvàm sacra biblia? Qvid item multi verbi ministri potius ex aliis libris sua desumunt, qvàm pandectis illis sanctis? Qvi loqvitur, loqvatur ὡς λογία τοῦ Θεοῦ 1. Petr. 4. *Qvartò*, si verbum DEI qvodcunq; est audiendum, qvi potest magistratus præscribere ministris verbi, ne hæreticos arguant? sed cave, ne modum excedas, & reperiatur in te nonnunqvam (non Zelus, sed) scelus, neq; tu divino effato afferas in Concionem humanum tuum & pravũ affectum. *Qvintò*, si omne verbum DEI audiendum, qvomodo volunt qvædam teneræ & prurientes aures qvorundam tantùm sibi dici placentia & nova?

III. Loc. Commun.

NOn satis est, verbum DEI audire, sed oportet idipsum custodire. Sanè qvi contra DEI mandatum manna servabant, graviter delinqvebant Exod. 16, 24. sed contrarium accidit in hoc pane cœlesti, ex qvo qvò plus qvis habet, tantò plus ipsi datur Luc. 8, 18. si qvi itaqve volunt esse beati, necesse est, ut qvod Christus dixit, verbum omne audiant, eiq; obediant, id est, custodiant ut thesaurum, qvi cum Christus verbum suum confert Matth. 13, 44. Si qvis autem non servat hoc verbum, illi idem contingit, qvod fatuis virginibus exclusis à cœlesti gaudio, eo qvòd de nocte non haberent oleum & lucem; sic neq; hi

qvo-

qvoniameunt per vallem umbræ lethalis, habent facem Matth.25. credentes autem fiunt beati, ut jam seqvitur in secundâ parte.

SECUNDA PARS.

SIqvi enim verbum DEI, qvale jam Christus prædicaverat, Pharisæi autem spreverant, audiunt & servant (φυλάσσοντες, velut custode adhibito diligenter observantes,) μᾶλλον μακάριοι, qvin imò vel potius sunt beati. qvàm mater mea, eò qvòd me peperit & lactavit, qvod non conducit per se ad æternam felicitatem, siqvidem hanc omnes fide assequuntur. Beati sunt tales in hâc vitâ spe, in alterâ vitâ ac metâ re, hic fruentes bonâ conscientiâ, ibi æternâ lætitiâ, vide Devt.28.v.1. &c. Confer Roman.8.v.24.1. Timoth.4,8. Unde apud Hebræos de talibus vox pluralis numeri tantùm, & in regimine adhibetur, videlicet אַשְׁרֵי, ut indicetur, omnigenam beatitudinem, qvod indicat numerus & maximam, qvod notat abstractum, & ab alio potiùs paratam, nempè Christo, qvàm à nobis promerendam, qvod significat formâ constructâ in qvâ semper occurrit hoc nomen, designari. Confer Psal.32,2. & Roman.4,7.8. Joh.5, 17. & Jacob.1,12. inter se & cum hoc epiphonemate v.1. & 2.Psal.1.

I. Loc. Comm.

QVænam sit vera beatitudo? non qvam in opibus putant consistere divites Luc.12, &16. qvia illæ pereunt Matth. 6. non qvam in voluptate ponunt multi juvenes Sap.2.& 5. Ecclesiast.12. Siqvidem illa nocet empta dolore, qvod vides in antidiluvianis Genes.6. & 7. Sodomitis Genes.19. Benjaminitis Jud.20. Confer Luc 17. non qvam in honore collocant superbi Dan.4. qvia honor mundi perit Esaiæ.40. non qvam in scientiâ multarum rerum alii jactitant, qvia qvi auget scientiam, auget dolorem & tristitiam, wer viel lernen wil/mus viel leiden Qvia Salomonis sapientia, qvâ nulla major, tandem stultitiâ qvâdam est temerata. Non in robore Psal.147,10. qvid enim tandem prodest Simsoni? Non in virtute humana, siqvidem non beavit Scipionem sua castitas, Alexandrum sua fortitudo, Ciceronem Eloqventia, sed

Vitam qvæ faciunt beatiorem
Jucundissime Christiane sunt hæc

Æternum Dominum DEUM timere
Mandatiq; vias sacri tenere.

Psal.128,1. & 111,10. Matth.7,24. Johan.13,17. & 15,14.

II. Loc. Commun.

QVibus obtingat, qvod est caput hujus dicti? Nimirum non auditoribus, sed & factoribus sermonis DEI præcipuè in Evangelio, qvando credunt Joh.6. & DEI opus operantur, ibidem. Nam ex lege non justificatur omnis caro Rom.3. Ut Moses legislator neminem introduxit in terram sanctam, sed Josua: ille qvidem educit ex Ægypto: sic Lex nos docet piè vivere, & accusans nostra flagitia, ex tenebris & peccatorum lustris nos pertrahit. Nos autem si fuerimus hujus dicti benè memores, erimus æternæ felicitatis compotes: faxit illud, qvi hoc dixit, Jesus Christus, Amen.

DOMINICA LÆTARE.

Matth. 11, 28.29.30.

SAlomo Rex sapientissimus & ditissimus inter alia magnifica opera extruebat solium eburneum, auro obductum, ad id sex gradibus ascendebatur, ad qvos utrinq; 12. leones astabant: Totius autem terræ Reges qværebant aspectum Salomonis, ut audirent sapientiam ejus, qvorum qvisq; afferebat suum munus 1. Reg. 10, 18. 19. 23. 24. 25. Christus, qvi est ipsa Patris sapientia Prov.8. 1.Cor.1,30. & justa agnoscitur à filiis suis Matth.11,19. Luc. 7, 35. omnibus, qviq; verè dives est 2.Cor.8, 9. secundum utramq; naturam: divinam, qvia ut omnia creavit cum Patre & Spiritu Sancto; ita etiam omnium est dominus: humanam verò, qvia in tempore ipsi omnia à Patre sunt data Matth.11.v.27. in Ecclesia sibi exstruit solium, ubi suam sapientiam declaret, ex auro purissimo & optimo verbi divini, ad qvod Novi Testamenti tempore primùm deducebant duodecim Apostoli, eorumq; successores, qvi qvòd erant animo constanti, omnia mundana spernentes, cum leonibus possunt comparari. Meritò igitur ad eum gratiæ thronum omnes accurrere debent, & vicissim suam obedientiam susceptione crucis pro communicatione lucis probare. Illa enim, sicut & preces, sunt illa munera, qvæ DEUS flagitat Psal.51. Hos. 14. Hebr. 13. Utrumq; hîc declaratur, nempè qvomodo Christus cùm mediatè per suos emissos

Apo-

Apostolos, tum immediatè ipse homines miseros vocet, & qvid vicissim illos deceat. Partes erunt duæ.

I. *Christi svavis invitatio.*

II. *Ejusdem non gravis imitatio.*

Domine, qvando dicis tuis discipulis: Ecce ascendimus Jerosolymam, & filio hominis illudetur: illi nil qvicqvam eorum intelligunt Luc.18. qvantò minus nos percipiemus ex nobis 2. Cor.3. qvæ Spiritus Dei, 1. Cor.2. & qvomodo ad Cœlestem Jerosolymam, qvæ de cœlo descendit, sit ascendendum, & qvomodo in via illa arcta incedendum Matth.7. Tu præivisti illam terendo, relinqvens nobis imitandum exemplum 1. Petr.2. Qvia naturâ sumus segnes, clamamus cum tuâ Sponsâ: trahe nos post te, ita curremus Cant.1, 4.

PRIMA PARS.

AD Davidem jam Regem factum, verùm in exilium ejectum, in speluncam Hadullam fratres ejus & familia Patris ejus descendunt, congregant qvoq; se ad eum omnes pressi angustiâ, aut cuicunq; erat exactor, aut qvisqvis erat amaro animo, 1. Sam.22, 1.2. Multò rectius ad Christum, cujus ille in multis typum gessit, nomine & omine Regem Ecclesiæ à Patre constitutum Psal.2. Verùm ad tempus se humiliantem & exinanientem Phil.2. propter nos, & venientem ex cœlo in terram, ubi testimonium illis (ita enim explicant nonnulli vocem hebræam Hadullam) in verbo suo relinqvit, se recipiunt omnes ejus fratres & pii, qvi sunt illi parvuli, de qvibus in præcedentibus dixit Dominus. Jam autem etiam illos vocat & invitat, qvi sunt pressi peccatorum onere, Psalm.38. à qvibus Lex solutionem debitorum flagitat Matth 18. & qvi sunt amaro afflictoq; animo Psal.6,32.51.43. Verba autem hîc sunt æstimanda, non tam numero, qvàm pondere. Membra prioris partis sunt tria. 1. Invitantis vocatio. 2. Vocatorum conditio & ratio. 3. His facta pollicitatio. Summa sapientia recantat in plateis, & invitat homines. Olim dicebat Salomo Prov. 1,20. Audi eam, δεῦτε, inqvit, huc agite amabo (ita enim δεῦτε usurpatur ab illis, qvi humanissimè incitant, & hortantur ad aliqvid faciendum, inprimis autem qvæ sunt grata & jucunda Matth.22,.4. & 25,34. & 28, 6. Johan.4,29. Apoc.19,17. estq; major hujus vocabuli vis, qvàm ἔρχεσθε Johan.1, 40.) accedite, ocyus, sine omni morâ & libenter *ad me*, Jesum Christum suprà v.25.

perditi ad Salvatorem, oves errantes ad Pastorem, mortui ad vitam vagabundi ad certam metam, miseri ad misericordiam, homines ad Jehovam, me, inqvam, cui qvum Pater dedit omnia, ex mea manu omnia expectare necesse habetis, hinc accipite gratiam pro gratia, hinc omnia necessaria. Huc igitur accurrite, tanqvam ad verum propitiatorium Rom.3,25. ut per me vobis aditus ad Patrem patefiat Joh.14,6. siqvidem cùm sine Dei notitiâ salvari non qveatis Joh.17,3. filius, qvi sum in sinu Patris Joh.1,18. expono vobis, & revelo vobis Patrem Matth.11,27. Reges qvidem ad sua arcana paucos, parentes ad suos thesauros tantùm filios morigeros admittunt: Verùm qvæ mea est infinita misericordia, volo omnes salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, 1.Tim.2. Agite, ad me venite *omnes*, ne qvis se exclusũ putet. Qvando ad nuptias se conferunt homines, comptiùs se ornant: qvales autem hos, qvi admitti possunt ad has paratas agni nuptias esse decet? tales, qvi seriò suam miseriam agnoscunt & deplorant, ac DEI misericordiam discunt & implorant. Qvales si sunt, fidei vestem nuptialem afferunt qvoq; Matt.22. qvippe qvæ est notitia Esa.53,11. *vos fatigati & onere pressi* οἱ κοπιῶντες, vos, qvi sub mole peccatorum delassati estis & fessi succumbitis (κόπος enim, unde illud verbum descendit, proprié notat negotium, qvod non nisi cum magna molestia & defatigatione possumus expedire, unde Μόχθος, id est, ærumna aliqvoties ei junctum reperimus, 2.Cor.11,27. 1.Thess.2,9. 2.Thess.3,8.) qvomodo usurpatur de Christo Joh.4,6. qvando fessus de viâ considebat, & vos, qvi sub pondere delictorum pressi progredi aut exsurgere non potestis πεφορτισμένοι (φορτίον enim & φόρτος onus magnum ac grande, qvo gravari etiam navis potest, significat Luc.11,46. Act.27,10. Matth.23,4.) vos infortunati, ad me beatum vos conferte; promitto vobis, qvod vobis maximè prodest, nempè refocillationẽ, & *ego* in qvo solo salus est, Act.4. *reficiam vos* ἀναπαύσω, jam vicissim pro labore reqviem, pro lassitudine novas vires concedam, & vestram molestiam ac ærumnam gravem cessare faciam. Confer 1.Cor.16,18. Luc.12,19. 2.Cor.7,13.

I. Loc. Commun.

HOmo in statu integritatis semper erat cum DEO, qvia DEUS ipsi aderat cum sui imagine: sed per lapsum & rebellionem contra Deum

DEUM factus est ille filius prodigus, qvi acceptis bonis suis in regionem longinqvam ad diabolos se contulit, ibiq; sua omnia perdidit Luc. 15,13. Cogita autem DEI misericordiam, illum inobedientem, imò inimicum Roman.5. per ministros suos imò filium, ex paradiso ejectum Genes.3. ad se, imò cœlestem hæreditam occupandam humanissimè invitat. Venit enim Lux ad tenebras, via ad errantes, vita ad mortuos; ut nos veniamus ad DEUM. Hoc igitur δεῦτε semper sonet in nostris auribus, & moneat nos unde abierimus, & qvorsum contendere debeamus. *Huc agite & venite divinum* præferamus alii cuicunq; *agite human. aut diabolico.* Dicunt superbi Genes.11. Agite, adeste, faciamus nobis civitatem & turrim, cujus fastigium pertingat ad cœlum, ut faciamus nobis nomen: tu potiùs cogites illud Davidis Psal.34,12. Agite filii, reverentiam Jehovæ docebo vos, aut Psal.46,9. Agite, videte, opera Domini, vel illud Esa.c.2.3. Agite ascendamus in montem Jehovæ, in civitatem DEI Hebr.12, & 13. accurramus ad nomen Jehovæ, qvod est turris robusta Prov.18,10. Dicunt luxuriosi, Sap 2,6. Agite fruamur præsentibus bonis: tu tibi subjicias illud ex Oseæ c.6,1. Agite revertamur ad Jehovam, & illud de convivio summæ sapientiæ Proverb.9,5. Agite, venite, vescimini cibo, meo, & bibite de vino, qvod miscui. Insusurrant tibi crudeles cum Pharaone Exod.1,10. Agite, sapientes nos geramus adversus illum, ut opprimamus. Confer Matth. 21,28. Tu potius jugiter meditare illud; Venite Angeli, qvia ampla est malitia eorum, Joel 3,13. Dicit impius: venite in Bethel Amos 4, 4. serio, qvod DEUS ironice ibi repetit; tu ex Michæa cap.4,2. Venite, ut ascendamus in domum DEI Jacob, & illud Christi Marc.1.vers.17. δεῦτε ὀπίσω μου, agite, seqvimini me, perpende, &

Nosti, qvid fugias, qvidq; seqvaris, habes.

Si autem contumaciter negligis hæc ita inter se comparare & in vita exprimere, non audies illud lætum, δεῦτε εὐλογημένοι venite benedicti Patris mei, Matth.25. v.34. ubi qvi noluerunt hic audire hoc VENITE, audient cum horrore illud ITE, ibidem v.41. Qvousqve autem hominis vires in hoc venire se extendant, nempè tantùm in externâ pædagogiâ; alibi explicatur: & qvicqvid deest homini, hoc supersit numini, qvod dat velle & perficere.

II. Loc.

II. Loc. Commun.

QVando Abraham suos vocat ad militiam Genes. 14. sicut & Gideon aliiq; duces, statim advolabant, qvia libertatis præmium spectabant: at qvando Christus vocat,

Apparent rari nantes in gurgite vasto.

Mosen libenter seqvebantur Israelitæ in desertum, qvia post illud promittebat terram fluentem lacte & melle: at Christum deserunt multi, qvando is panem vitæ promittit Johan. 6, 66. Nos autem cum Petro suspiremus: Domine, qvò ibimus, tu habes verba vitæ æternæ? ibid. 68. cum Davide, qvod is solus sit portio animæ nostræ Psal. 73. Qvid igitur curris, ô homo, ad Diabolum cum Saule 1. Sam. 28 & Achasia 2. Reg. 1. periturus? qvid ad homines, qvi spem nostram sæpè fallunt, deludendus? qvid ad tua opera cum Pharisæo damnandus? Luc. 18. ad me inqvit Salvator. Matth. 11. qvi omnia mala aufert, & omnis generis bona confert Psal. 103.

III. Loc. Commun.

AHasverus convivio excipiebat qvidem omnes suos præfectos & servos Esth. 1. At Christus omnes homines ad suas nuptias vocandos curat, etiam illos, qvi nolunt, qvi resistunt, qvi rebellant. Nisi igitur qvis seipsum velit excludere sua negligentia cum fatuis virginibus, & servis inutilibus otiando, aut cum ingrato hospite se non ornando Matt. 22. DEUS absoluto decreto neminem excludit, aut extrudit. Qvâ fronte igitur hoc Deo audent tribuere Calviniani? Si non credunt Deo hoc asseveranti, credant saltem juranti Ezech. 18. & 33. Josua cum Gibeonitis juramento vitam promisisset, licet essent ex devotis hostibus, tamen iis servabat Jos. 9. Qvid de veracissimo Deo dicemus, imò qvid cogitabimus nos mendaces? Non simulat, sed ad pœnitentiam serio stimulat: non in exitium impellit, sed ad convivium suum venire compellit: non fingit, sed agit, qvicqvid nobiscum tractat.

IV. Loc. Commun.

PEccata sunt cum magnâ molestiâ sæpè perpetranda; sed illam homines devorant, dummodo animo suo morem gerant: sunt onus, sed hoc in se libenter suscipiunt. O stultos & amentes, qvi suam miseriam non agnoscunt! illa molestia tandem compensatur æternâ tristitiâ; illud pondus in infimum infernum deprimit. Vide igitur, ut depo-

nas

nas in tempore gratiæ, ne te opprimat tempore iræ. Ecce agnus DEI, qvi tollit peccata mundi Joh. 1. in hujus dorsum projice, ille enim portat nostra peccata Esa. 53. Ille est adumbratus per caprum, cui imponebantur totius populi peccata, qviq; in desertum emittebatur, Levit. 16. Confer Matth. 4,1. Ille gigas geminæ substantiæ portas urbis gazæ, hoc est, potentis armati, seu Diboli Luc. 11. aperuit, imò aliò deportavit, ne nos deinceps concludant, confer Jud. 16. Hebr. 2,14. 1. Cor. 15,55. 56. Ad hunc igitur accedamus cum fiduciâ, ut inveniamus in nostrâ molestiâ & labore auxilium & solatium Heb. 4,16. Ipse enim est verus Noachus Gen. 5, 29.

V. Loc. Commun.

Dum promittit refocillationem, monemur, non esse, qvod speremus hîc multa mundana. Ejus regnum non est de hoc mundo, Ergo nec beneficia; sed in iis, qvibus largitur suam gratiam in infirmitate perficitur ejus potentia 2. Cor. 11. Huc itaq; accurrant omnes malè habentes, iste medicus si manum imposuerit tantùm, melius habebunt. Illius enim manus potest omnia mutare Ps. 77, 11. qvemadmodum exempla plurima sanctorum idipsum testantur. Vide saltem Heb. 11. Ita etiamnum salvare plenariè potest omnes ad ipsum in verâ fide accedentes Heb. 7, 25. Venite igitur omnes, qvi laboratis & onerati estis, ipse reficiet vos: vos perjuri, imitantes Petrum; ebrii Noachum; homicidæ & adulteri Davidem; vos raptores in cruce latronem; Idololatræ Salomonem; increduli Thomam; blasphemi Paulum &c. De his omnibus verè dicit Christus Joh. 6,37. venientem ad me non ejiciam. Nemo ab hoc qvicqvam orat, qvod non exoret, si modò in fide eum imploret. Joh. 14,13. Hic est Deus, juvare igitur valet: est homo & frater tuus, salvare igitur te volet. Et hoc in omnibus malis nobis subjiciamus; ita obtinget nobis vera refocillatio. Qvando ad Gideonem Israëlitæ pressi accurrebant, salvabantur & jugum ac virga humeri illorum cessabat Jud. 7. Multò magis nos salvamur, qvando accedimus ad Christum, cujus humero adest principatus ipsius Esa. 9, 4. 6.

Secunda Pars.

SEd ut hic Gideon suos liberaturus dicebat, Jud. 7, 17. qvemadmodum facio, sic faciatis: ita etiam ait Christus eis, qvos ex mundo selegit: discite ex me. Imitentur DEUM Patrem Eph. 5. Luc. 6,36. Chri-

ſtum ſuum fratrem 1 Cor.11,1. ſeqvantur ſuos orthodoxos & ſanctos Doctores Phil.3,17. Ita futurum eſt, ut in reqviem Dei introducantur per Jeſum, ut olim Iſraëlitæ per Joſuã Heb.3.& 4. Membra aurem hujus partis ſunt 4. (1. Jugi acceptatio, 2. Præceptoris fidi præmonſtratio. 3. Laboris compenſatio, & 4. Jugi comendatio) Chriſtus ſuſtulit illud immenſum peccati pondus Pſ.38. & jugum legis cogentis, qvod portare non poſſumus. Actor.15,10. imponit autem aliud viciſſim, qvia benè eſt viro, qvum tulerit jugum, qvod impoſuit ipſi Deus, Thren.3,27.28. *attollite* igitur, ἄρατε tollite, ut portetis, aſſervetis, non ut è medio auferatis (αἴρω enim non ſemper ſignificat ſuſtulit planè è medio, ut nugantur qvidam Pontificii, & alii ad dictum Joh.1,29.) qvid verò? non traditiones, aut ſatisfactiones humanas, ut in papatu; ſed *jugum*, id eſt, doctrinam & caſtigationem, qvæ non poteſt abeſſe à veris Chriſtianis, Act. 14,22. 2. Tim.3,12. qvemadmodum in Veteri Teſtamento Pſalm 2,3. Jer. 5,5. & alibi hoc nomen accipitur pro dominio & imperio Eſ.10,27. & 14 25. 1. Tim.6,1. Jugum autem *meum*, qvod Chriſtus docet & adduciti tollite id, non in os veſtrum, ut multùm loqvamini de ejus verbo Pſal. 50,16. ſed *ſuper vos*, ut diligatis DEUM veſtrum ex omnibus viribus, qvantum poteſt fieri ob humanam imbecillitatem, & proximum ametis. Confer Mich.6,8. & ne dicatis vos neſcire, qvâ ratione ſit portandum hoc jugum. Age ego Salvator veſter præibo, ego tollo crucem meam, tu qvisqvis es futurus meus diſcipulus, etiam ad exemplum Simonis me ſeqvaris Luc.23,26, Matth.10. verſ.38. *diſcite à me*, non creare mundum, ambulare ſuper aqvas, eſurire 40. dies, pro peccato ſatisfacere (id enim non poteſtis) ſed *qvia mitis ſum & humilis corde* & ideoq; & vos mites ſitis Matth.5,5. & humiles, non ore & ſine deſpectu, ſed animitus & effectu, ut Chriſtus Phil.2,3.5. &c. qvibus Deus dat gratiam, 1. Petr.5,5.6. & in malis ſolatium 2. Corinth.7,6. Atqvi ita nobis anxietas creſcit, qvam imminutum iri ſperabamus verſu ſuperiori? Ita qvidem judicat ſtulta ratio, ſed DEI viæ ſunt aliæ Eſ.55. Ut enim Noachi arca altius elevabatur, qvo magis accreſcebat aqva; ita etiam Eccleſia: & qvemadmodum Iſraëlitæ tum demum liberatorem ſibi dari videbant, qvando duplicabantur lateres: ita per anguſta ad auguſta, per dolorum mare in gaudiorum portum tendimus, & ita *invenietis*, ac conſeqvemini *reqviem* ac refocillationem *animabus veſtris*, Jer. 6,16. qvæ in-

ma-

malis patientes, imò lætæ tolerant, siqvidem retributionem respiciunt: Carnem autem, qvia spiritui obluctatur Roman. 7. Gal. 5. oportet crucis jugo domari. Et vere tandem *jugum meum benignum* est ac facile, imò svave est, ut reddit Syrus interpres (χρηστὸς, id est, tale, qvo qvis benè uti possit) & *onus meum leve est*, mea doctrina, divinâ adjuvante gratiâ, facile intelligitur, & lex per Christum præstatur, ejusq; meritum applicatur, qvomodo porro inchoative mandata DEI non sunt gravia 1. Johan. 5, 3. Sic etiam omnia mala per eundem Christum & Spiritum sanctum ita sustinemus, ut plusqvam victores evadamus Rom. 8, 37.

I. Loc. Commun.

IMperator suis militibus de rebus necessariis prospicit, non ut in otio, sed in negotio tempus suum consumant: Dominus Zebaoth, seu dux ille militiæ nostræ cœlestis Psal. 24. & 46. Christus Jesus suos ex potestate Satanæ liberat, mortuos vivificat, nudos ornat, imbecilles armat, sed ut ipsi serviant omnibus diebus vitæ suæ in justitia & sanctitate vera, Luc. 1. v. 74. 75. Qvod dum faciunt ab hostibus Christi Diabolo, mundo & carne ipsi affligantur, hoc ut patienter ferant, & fortiter sustineant, fide Hebr. 10. monet, qvando inclamat, tollite jugum meum, *jugum doctrinæ* seu *luctu*, dum ejus præcepta discimus & servamus, *jugum miseriæ* seu *crucis*, qvando cum ipso patimur Rom. 8. Qvos enim ille reficit, & secum ad montem, ubi transfiguratur Christus in gloria, adducit discipulos Matth. 17. eosdem etiam secum in hortum, ubi capitur & ligatur, ire jubet Matth. 26. Abraham suos vernas in prælium educit & amicos: Sic Christus suæ domi, id est, in Ecclesiâ natos, & secum in baptismo confœderatos. Ad summam: Omnis Christianus est Crucianus, omnis DEO dilectus est diu afflictus.

II. Loc. Commun.

QVando jugi fit mentio, de his etiam monemur: Jugum duo solent portare; sic Christus, qvi fers alteram partem ex ipsius præscripto, hoc onus tibi adjutat, ne succumbas Psal. 91. Deinde nobis idem nomen revocat in memoriam, nos cum eò spirituale iniisse conjugium: & qvia omnis sponsa ac uxor mariti radiis coruscat, ne pigeat aut pudeat etiam cum hoc nostro sponso subire jugum crucis, ut Simonem i. e. auditorem diligentem decet. Tollere hoc jugum horres? audi, non eris Dei hæres, nec Christi cohæres Rom. 8. Vasthi vocata venire, & jussa capessere renuens, regno abdicatur Esth. 1. sic tu à Christo abjicieris, si jugum ejus portare graveris.

III. Loc. Commun.

CHristus est noster Propheta & doctor, qvem jubet cœlitus Pater audire. Ex hoc ergò discamus: non decipiemur, est veritas; non errabimus, est via; non fiet nostro damno, est vita Johan.14. In Veteri Testamento dicebantur labia Sacerdotis servare scientiam, & legem esse acqvirendam ex ore ejus Matth.2,7. Rectius in Novo Testamento id usurpabimus, de hoc unico Sacerdote Novi Testamenti Jesu Christo, qvem qvi non audit, qviq; ex eo non discit, graviter tandem punietur. Confer Devt.18,18.19. Actor.3,22.23. & 7,37. Hebr.2,1.3. & 3.1. &c. Præcipue autem meminerint omnes Christiani discere ex eo non tantùm verba more hypocritarum (qvi virtutem verba putant, ut lucum ligna) verùm ipsas virtutes Christo & Christiano homine dignas, nempe mitem esse & humilem: *mitem* erga parem & proximum, condonando ipsi sua delicta; & *humilem* erga superiores ac præcipuè DEUM, coram qvo qvi se humiliat, exaltatur Luc.14. & 18. Gibeonitæ coram Josua se abjicientes ac procidentes in vivis conservabantur; reliqvi superbè ei resistentes peribant. Jos.6,7.8.9.10. 1.Petr.5,5.6. Non verò fictam aut simulatam pietatem DEUS vult, sed veram & qvæ in corde egit radices. Ut enim non omnes probos milites esse censebat Gideon, qvi armati exterius accedebant; sic

Non omnes sancti, qvi calcant limina templi.

DEUS autem ad aqvas calamitatum eos adducens probat, & si qvi non sint corde bono ac fide purificato reprobat.

IV. Loc. Commun.

MAnoah, Simsonis Pater, qværens de nomine Angeli sibi apparentis, hoc fert responsi, qvòd faciat mirabiliter Jud.13. Id meritò dicamus de Angelo hujus novi fœderis.

Dejicit, ut releuet; premit, ut solatia præstet,
Enecat, ut possit vivificare suos.

Qvos vult refocillare, hos jubet jugum portare; qvibus promittit reqviem, his immittit afflictionem & oppugnationem: sed benè, qvod additur, animabus vestris. Potest enim Christianus verè discere, se pacem habere cum DEO, Rom.5,1. in Christo Joh.16,33. & qvod sit *mediis tranqvillus in undis.* Ut enim scopulus in mari non cedit fluctibus; ita nec is, Christo salutis petrâ nixus & fixus, se patitur dimoveri luctibus Act.4,11.12. in turbulento hoc mundi pelago, spem velut firmam ac tu-

tam

tam animæ anchoram retinens Heb.6,18.19: dum in portum vitæ æternæ subducatur, qvò ut nos qvoq; deveniamus, ardentib⁹ votis rogamus.

DOMINICA JUDICA.

Psal 40, 7.8.9.

1.Sam.9,10.15.16. Postqvam DEUS Saulem, qvem regno præfecerat, ob suam inobedientiam, qvòd mandata DEI de Amalekitis delendis &c. negligeret, iterum rejecerat, invenit sibi Davidem filium Isai, virum, secundum cor suum, qvi faciat omnes voluntates ejus. Confer Psal. 89, 21. &c. Actor.13,21.22. Cum Saule in multis possunt conferri Pharisæi, & alii Veteris Testamenti ministri. Illi enim licet à DEO ad magnam dignitatem essent evecti, & multis privilegiis atq; bonis donati; tamen plerumq; internam cordis pietatem cum Saule planè negligentes, veterem suum hominem, carnem, & velut qvendam Regem Amalek, i.e. qvi multas molestias Spiritui exhibeat, occidere Roman. 8, 13. Colos.3,5. tantùm externam qvandam sanctimoniam, qvæ in oblatione victimarum consistebat (sicut Saul opimas qvasq; pecudes sacrificiis se reservasse dicebat 1.Sam.15.) præ se ferebant, Deoq; minus gratum officium præstabant, Vide Psal.50,8. Esa.1,11. Amos5,21.22. Matth. 6. & 23. Hisce igitur cum Saule abdicatis, oportebat alium venire, qvi cum Davide (cujus etiam ille in multis fuit typus, in unctione, exilio, seu humiliatione, exaltatione, hostiumq; devictione, Confer de hoc ultimo 2. Sam. 8. & Zach. 9,10. & Psal. 72,8.) in multis potest comparari. Ille enim erat DEO Patri dilectus filius Matth.3. & 17. & homo secundum cor DEI, imo talis Pontifex, qvalem esse decebat, sanctus, ab omni malo alienus, sine labe, separatus à peccatoribus, excelsior cœlis factus Hebr.7,26. Hoc ipsum pluribus & satis graviter explicatur à Prophetâ regio Psalm.40,7.8.9. qvi cum ejus interpretem optimum, qvandoq; componemus autorem Epistolæ ad Hebr.c.10,5.6.7. Partes erunt duæ. I. *Veterum sacrificiorum abrogatio.*

II. *Novi Sacerdotis & sacrificii surrogatio.*

Jesu Christe, tu nosti, qvòd nos omnes natura, postqvam Adamus, noster parens, foliis ficus suam turpitudinem obtegere frustra voluit Genes.3. ad hypocrisin simus propensi, & magis boni dici atq;, externè haberi, qvàm esse volumus: te precamur, qvod promisisti, scribe legem tuam in cordibus nostris Jer,31, 33, Hebr.8,10. Doce tu nos Christianos facere placitum tuum; qvia tu DEUS & frater noster es Psal,43,10,

Tuo Spiritu bono deduc nos per terram planam, & qvia nos sine te nihil possumus Joh.15. tu pro tuo beneplacito in nobis opereris & velle & perficere Phil.2,13. sic offeremus tibi sacrificia, id est, fructum labiorum nostrorum Hos.14,3. Hebr.13,15. Spirituales hostias, benè acceptas DEO, per te Sacerdotem nostrum unicum 1.Petr.2,5.)

PRIMA PARS.

QVando Achan mandatum DEI transgressus, ne qvicqvam rerum devotarum asportaret, cum totâ suâ familiâ punitur Jos.7. durum videtur qvidem, sed verum est & rectum judicium; qvia contra Deum ipsum erat admissum hoc delictum: Ita etiam omnes posteri Adami, qvando is DEO honorem suum suffurari, & de prohibito aliqvid tangere præsumebat, ipse cum omnibus posteris damnationi subjacebat, & per inobedientiam unius peccatores sunt omnes constituti Rom.5. Verùm alter Adam suâ obedientiâ reparavit, qvod hic prior perdidit, sicut ibidem pluribus explicatur. Et qvia ille prior, qvod præstare debebat, omiserat, & qvod facere non debebat, admiserat; secundum illum oportebat & faciendo & patiendo hoc in pristinam sedem reducere. De passionibus jam Ecclesia DEI ex Veteri & novo Testamento instruitur pluribus: Audiamus igitur etiam hoc dictum, qvod disertè dicit Christi activam obedientiam, ut vulgò nominamus, etiam reqviri ad nostri justificationem, qvemadmodum idem potest deduci ex Matt. 5,17. Rom.4,25. & 8,3. 4. & 10,4. 2.Corinth.2,21. Rom.5,18.19. Utraq; multis typis qvoq; fuit adumbrata, qvorum tamen plurimi repræsentabant mortem Christi, ut sacrificia & victimæ; qvia in morte potissimum cernitur illa summa Christi obedientia Phil. 2, 8. & qvia est ultima linea rerum, ac tum verè dici poterat consummatum est Joh.19,30. Qvando igitur sacrificantes non simul excitabantur, ut in agnum DEI venturum respicerent fide, DEO oblata sacrificia non placebant, ut ante dictum, & alibi explicatum prolixius: Ita etiam hoc loco ex parte abrogantur sacrificia talia, sed etiam in genere omnia corpore superveniente Hebr.10.v.1. qvia v.5. hæc addit Apostolus, *qvapropter ingrediens mundum*, Christus jam incarnatus, *dicit*, quando jam ex Mariâ corpus & animam assumpsit, *sacrificio & munere* in Veteri Testamento sine fide oblato, nullo verò in novo amplius (peracto jam illo unico sa-

sacrificio ἱλαστικῷ morte filii tui) *non delectaris* DEUS לֹא חָפַצְתָּ *σὺ ἐν τύποις δὲ δόκησας*, qvod tamen Apostolus θυσίαν καὶ προσφορὰν σὺ ἠθέλησας non voluisti amplius, qvia corpore præsente umbræ ac typi debebant evanescere, *quin etiam holocaustum & oblationem pro peccato* (ita enim חַטָּאת esse vertendum Apostolus innuit, qvando reddit, καὶ περὶ ἁμαρτίας, & qvod pro peccato scil. offerri solet, *non* expetiviſti vel poposciſti, qvod jam Apostolus ita emphaticè effert, σὺ δὲ δόκησας, ut ita crescceret oratio, & prædicatum ἐμφατικώτερον subjectis dignioribus apponeretur: siqvidem in Novo Testamento majoris perspicuitatis gratiâ non semper syllabæ & apices verborum in Veteri Testamento attenduntur, sed sensus. Qvâ de re dictum est aliqvid Amos 5, 25. ita verò nominatis his præcipuis sacrificiorum Veteris Trstamenti speciebus, de qvibus lege Levit. 1, 2. &c. omnia in universum abrogari dicimus.

I. Loc. Comm.

UT qvi in Ægypto non habebant postibus illitum Agni Paschalis sanguinem, ab Angelo exterminante occidebantur Exod. 12. ita qvi non fide postibus cordis sanguinem agni immaculati applicant Joh. 1. 1. Pet. 1. & 2. DEO non placent Hebr. 11, 6. qvicqvid etiam cultuum externorum præstent, non accepta habet Jehova millia arietum, nec myriadas torrentium olei &c. 6, 7. sed indicavit tibi, ô homo, qvid sit bonum, vers. 8. qvem locum, si placet, vide alibi prolixè explicatum. Qvia enim DEI oculi tantum ad fidem respiciunt Jer. 5, 3. de hâc omnium primò simus solliciti. Aliàs in reliqvis omnibus, qvod ad cultum divinum, sumitur inanis labor, omnisq; opera perit. Ut enim ex sacrificiis non volebat sibi offerri cutem, cornua, pilos aut ungulas, sed interiora viscera & adipem: ita etiam ab homine non patitur sibi satisfieri externis ritibus aut cultibus; verùm vult,

Deus mediam lunam, solem simul & canis iram.

Ut respondebat qvondam oraculum, hoc est, Cor. Id qvod hodiè multis inculcandum est, qvi si non existimant ipso opere operato (ut vulgò vocant) DEUM pietate coli, certè si externè modò ad verbi auditum & sacramenta accedant, se DEO charos esse sibi frustra persuadent.

II. Loc.

II. Loc. Commun.

Hìc satis disertè dicitur fore, ut postqvam jam Christus in mundum venit, cessent omnes umbræ sacrificiorum, qvippe qvæ illum referebant, sicut idipsum Heb. 10. pluribus explicatur. Postqvam igitur Christus venit, qvid Judæi illis adhuc sunt ita dediti? qvid Pontificii ajunt, se sacrificium offerre in Missa pro vivis & mortuis? qvid Calviniani suam illam repræsentativam panis fractionem ita mordicus defendunt? qvid alii alias ceremonias externas nimis curant, qvum in Christo Jesu tantùm valeat homo ille interior Eph. 3, 16. 17 1. Pet. 3, 3. 4. Samaritani prius mulieri credebant, postea autem ipsi Christo. Sic Judæi priùs in istis umbris ad Messiam debebant respicere, deinde verò hoc præsente illas relinqvere. Qvid enim victima occisa notabat? nihil aliud, nisi affore agnum Dei, qvi sanguine suo genus humanum redimeret. Qvid oblatio designabat? nihil aliud, nisi fore olim Sacerdotem, qvi se ipsum immaculatum Patri offerret. Qvid holocaustum prætendebat? nihil aliud, nisi igne iræ Dei adustum iri pro nobis filium Dei, dũ patiebatur omnibus sui partibus ac membris. Qvid expiatio pro peccato indicabat? nihil aliud, qvam sanguine hujus hostiæ satisfactum iri pro peccatis totius mundi. His itaq; jam perfectis in passione, qvid illis signis opus est deinceps? Ingressus Christus in mundum dicit, sacrificium & oblationem animalium irrationalium deinceps noluisti. vide Heb. 9, 11. 12.

III. Loc. Commun.

ID discimus, non omne qvod DEUS ordinet, esse debere perpetuum, sed tam diu durare, qvam diu ipse vult. Unde in ipsa legum ceremonialium & forensium promulgatione sæpissime adjicitur: hæc observabitis in generationibus vestris. Neq; propterea DEUS mutatur, qvia non vult ulterius tale statutum vigere, qvando terminus præfixus adest. Qvemadmodum igitur infantibus & puerulis multa dantur adminicula, qvibus adultiores facti non indigent; sic etiam Judæi in Veteri Testamento velut infantes à DEO sublevabantur istis umbris, qvibus adulti in Novo Testamento possunt carere. Vide Gal. 4, 1. 2. 3. Atq; hæc de Veteris Testamenti ratione, pactorum abrogatione, cui jam Novi Testamenti mediator melius ac perfectius substituit, de qvâ re in parte posteriori.

PARS SECUNDA.

HUjus membra sunt tria, 1. Sacerdotis novi incarnatio. 2. Eandem præcedens promissio. Et 3. finis, cur oportuerit filium DEI incarnari, nempè legis totius pro nobis facienda impletio. Qvod ad primum, iterum Apostolo non satis cum Psalmographo convenire videtur, siqvidem ubi hic habet אָזְנַיִם כָּרִיתָ לִי aures perfodisti mihi, ille extulit, Σῶμα δὲ κατηρτίσω μοι, Corpus autem adaptasti mihi. Verùm si diligentius singula expendimus, sensus utrobiq; est idem, variata autem phrasis pro diverso Testamentorum tempore. Qvum enim Psalmographus illa sua scribebat, adhuc erat tempus umbrarum, & si qvis servus suum amaret Dominum, eiq; libenter inserviret, huic auris sibulâ perforabatur ad sui heri januam, atq; ita per vitam ipsi inserviebat Exod. 21, 6. Ad hanc umbram, tum notam satis & usitatam, alludens Propheta, qvum vellet hoc dicere, Christum futurum esse tempore exinanitionis servum, DEO Patri obedientissimum, ad omnia pro nobis præstanda paratum per totam vitam, rectè dicit, DEUM Patrem ipsi aurem pertudisse ad indicium & ipsum in hoc servo acqviescere, & hunc in hero suo, qvicqvid ipsi imponat, vel ipsam etiam crucem ac mortem Phil. 2. qvod maximum obseqvium ut indicetur de utraq; aure perforatâ hic loqvitur, qvum in lege tantùm unius fiat mentio. Negat qvidem hanc totam explicationem esse probam Beza; sed non satis probat. Sensus igitur est verborum istorum Christi (qvòd autem ille hæc loqvatur, ex allegante Apostolo didicimus) Pater, qvum in istis sacrificiorum oblationibus, coactè sæpè præstitis, sine fide ac devotione debitâ non posses acqviescere, ego DEUS pro hominum salute servus fieri volui, & qvæ ipsi nec poterant, nec volebant tibi præstare servitia, libentissimè expedire: igitur ut servo, qvi serviret liberaliter, *aures mihi perforasti.* Qvia verò non poterant Christo aures perforari, nisi haberet corpus, ut illi dubio occurreret statim Apostolus, ex conseqvente illo, antecedens hoc educit, qvod DEUS suo filio servo futuro corpus prius adaptaverit, unde ipse meritò dicit: jam umbris abrogatis, corpus autem *adaptasti mihi*, in qvo illud servitium expedirem, & meæ obedientiæ signum velut in auribus gestarem, atq; ita ex muliere factus sub lege essem. Qvomodo verò DEUS Christo cor-

pus adaptarit Luc.1. declaratur. Christum igitur incarnatum, seu ut loqvitur Tertullianus, incorporatum servum suum acceptum habuit, & ad obedientiam comparavit atq; obsignavit. Ille vicissim sua spondet officia his, verbis, *tunc dixi, ecce*, qvæ particula hoc loco est promptitudinis nota, ut Luc.1,38. Esaiæ 6,8. *venio*: qvia propè est, ut evanescant illæ umbræ Veteris Testamenti, qvibus in se consideratis non possunt salvari homines, & venio certissimè. qvia tu, ô DEUS, promisisti id veracissimè, qvandoqvidem *in volumine libri* biblici *scriptum est de me* Hebr. בִּמְגִלַּת i.e. convolvit, siqvidem olim membranis omnia inscribebantur, qvæ oblongo alicui baculo obvolvebantur, atq; ita complicabantur. Vide Luc.4, 17. 20. q. d. in membranis plicatilibus, qvibus utuntur Judæi hodiè etiamnum in suis Synagogis: qvod iterum Apostolus, suo consilio gravi usus, vertit, non ἐν χαμμιτέοι sed ἐν κεφαλίδι, in capite libri, ut indicet statim in principio Genes.3. de Christo, semine mulieris, factam esse promissionem, & de eo præcipuè agere sacras literas, tanqvam de primario subjecto, fine, ac scopo præcipuo, qvippè in cujus cognitione consistat beatitudo Joh.17,3. vide Luc 24,27.44. Joh.5,39.46. Rom.10,4. Cur autem scriptum est de Christo toties in Veteri Testamento? Cur tot vicibus vaticinia de eo repetita? Cur venit ipse in mundum? sequitur, ut *faciam, ô DEus* (Atticè enim cùm alibi tum hìc nominativus ὁ θεὸς pro vocatio ponitur. Confer qvod ad hunc Atticismum Matth.11,26. Roman.8,15. Galat. 4,6. Marc.15,34. Matth.27,29.40. Marc.5, 41. Luc. 8, 54. Hebr. 1, 8. 9. qvod obiter notandum ad hunc ultimum locum, ubi Photiniani dicunt, esse tantùm ejusdem nominativi repetitione ad ἔμφασιν, qvasi sit sensus; unxit te, Christe, DEUS, DEUS inqvam tuus: qvos præter hoc genus loqvendi refutant in Psalmo 45,8. verba, & affixa secundæ personæ & accentus) *voluntatem tuam*, qvo in uno membro complectitur Apostolus reliqva, qvæ habet Psalmographus hocmodo, *facere voluntatem tuam* (Hebr. ἐμφατικωτέρως רְצוֹנְךָ beneplacitum tuum deinen Wolgefallen) DEUS *mi delector* חָפַצְתִּי, Daran habe ich meines Hertzens Lust vnd Frewde/ & *lex tua est in visceribus meis*, in animo, mente, ac omnibus viribus, qvibus jugiter eam in omnibus partibus observo.

I. Loc.

I. Loc. Commun.

ADamum DEUS creaverat, & in horto paradisi constituerat, ut vicissim debitam suam gratitudinem Domino ac creatori exhiberet; sed proh dolor is à serpente spe dementatus, rem ac felicitatem suam prorsus amisit: alter igitur Adam erat dandus, qvi suâ obedientiâ illam inobedientiam expiaret, & qvum ille prior voluisset esse omnium Dominus, hic, verè Dominus omnium, fieret omnium infimus ad tempus Roman. 5. Phil. 2, 7. 8. Monet verò nos sua membra hoc caput suâ illâ obediendi DEO promptitudine (qvod etiam ibidem Paulus declarat) ut similiter patiamur nobis aures perforari, & libenter DEI jussa capessamus more alicujus servi, qvem probat suus Dominus. Semper igitur DEO ad omnia officia simus præstò, & audiamus, qvid loqvatur DEUS Psal. 85, 9. in rebus prosperis ne insolescamus Devt. 32, 15. in adversis ne desperemus, aut murmuremus Mich. 6, 8. vide Prov. 30, 8. 9. Jerem. 17, 9. (in versione Lutheri) in verbo DEI auscultando Luc. 8. 18. in sermone ejus servando Joh. 13, 17. & 8, 51. in DEO & proximo diligendo Matth. 22, 37. 39. in officio nostro administrando 1. Thess. 4, 11. Si qvis igitur non ostendit ipso opere, ita sibi esse aurem perforatam à DEO, neq; suam subjectionem DEO probat, ut servus inutilis ejicitur, & rejicitur Joh. 8, 35. Matth. 25, 30. Gehasi, famulus Elisæi, accipiens contra mandatum sui heri munera, leprâ percutitur, atq; ita extra hominum consortium ablegatur 2. Reg. 5. Qvid putamus igitur futurum nobis, qvi DEI mandatum ita nefariè sæpè transgredimur, nec obedimus summo illi Imperatori ac Monarchæ: sed apparentia bona à Diabolo, mundo, & carne oblata arripimus? leprâ spirituali inficimur & ex cœlo ejicimur. Solatium tamen idem præstat, qvod, si non semper ex infirmitate DEO nostro inservimus, Christus pro nobis suas aures perforari passus sit, & nostram vicem expleverit.

II. Loc. Commun.

EX Apostoli explicatione id discimus non potuisse fieri, ut redimeremur, nisi filius DEI fuisset incarnatus, Rom. 8, 3. & legi subjectus Galat. 4, 4. Anteqvam dicebatur Gideoni ab Angelo DEI, Dominus tecum Jud. 6. Israel non liberabatur ex manu hostium: sic anteqvam hic DEUS nobiscum & noster Immanuel factus est, Esa. 7. Matth. 1. nos

ex potestate hostium nostrorum redimi non poteramus, & hujus nostræ redemptionis exordium tum factum est, qvando dixit Angelus Mariæ; Dominus tecum Luc.1. Hoc igitur festum, qvando DEUS Christo suo corpus adaptavit, devotè recolamus, & DEUM celebremus. Ecce etiam hoc cogita: Christus, qvi erat spiritus purissimus, qvippè DEUS Joh.4. Induit corporis humani artus, ut te liberet; tu vicissim igitur corporis & animi vitia deponas, ac spirituales affectus induas, ut cum eo coalescas.

III. Loc. Commun.

CHristus non tantum ipse in Judæâ annum gratiæ Luc. 4,18.19. ex Esa. 61,1. prædicavit & dixit: Agite pœnitentiam, appropinqvavit regnum cœlorum Matth.4,17. Verùm etiam ab initio mundi per suos Prophetas Luc. 1,70. & postea per Apostolos, eorumqs successores Matth.16. Marc.16. curavi edicendum, ecce venit desideratus ille cunctis gentibus Hag.2. Ecce Rex tuus venit tibi mansvetus Zach.9. Ecce vos errantes! venit via: ecce ignorantes! venit veritas: ecce mortui! venit vita Joh.14. Ecce servi! venit liberator Joh.8. Ecce cæci! venit Lux mundi Joh.1,8. & 12. Ecce surdi! venit, qvi aperire potest aures, qviqs propter vos suas aures voluit perforari Marc.7,37. Ecce claudi! venit Magister ad salvandum Esai.63,1. Ecce ægroti! venit medicus Exod.15, 26. Ecce perditi! venit salus & Salvator mundi Matth.18. Esa.52, 10. Luc.2, 11.30. Ecce homines! venit DEUS, & fit homo, ut fiatis filii DEI Joh.1. Ecce! Dominus legis legi se subjecit, ut vos à maledicto legis redimat Gal.4,4.5. Qvia igitur ipse dicit, ecce venio: Vos etiam dicite, ecce Domine, accedimus ad te! Nam qvorsum iremus? tu habes verba vitæ æternæ Joh.6. venimus te adoratum cum Magis Matth. 2. Clamamus cum Ecclesia; veni dilecte Cant. 7. expecto te, dum venias ad me in tempore gratiæ, ut me doceas Apocal.3, 20. & qvando venturus sis ad me, ut me ex hac vita educas Psal.101,2. Domine Jesu, dicis, Ecce venio: age veni Apocal. 22. is enim alter adventus tuus, in Majestate futurus Matth.25. jam restat absoluto illo pridem, qvi debebat fieri in humilitate.

IV. Loc. Commun.

QVia in volumine libri Jehovæ Esa.34, 16. Scriptum est de Christo; illud à nobis evolvendum est diligenter Joh. 5, 39. & velut cum

Eze-

Ezechiele c.3,2.3. & Johanne Apoc.10,9.10. devorandum, ut ita simus librorum sacrorum heluones, qvod qvomodo fiat hodiè, & qvomodo volumen hoc complicatum à nonnullis ferè nunqvam aut raro evolvatur, qvisq; sibi erit interpres. Nomen verò ipsum nos id monet

Nocturnâ versare manu versare diurnâ,

ad exemplum Davidis Psal.119. & juxta præceptum DEI Es.34,16. ejusq; promissum Psal.1, 2. Sed multis idem contingit, qvod dicit Propheta Esa.29,11,12. nimirum ille liber DEI vel illis est obsignatus, vel nesciunt literas, Deumq; non colunt ex animo vers.13. Ecclesia à tempore lapsus est velut hortus clausus Genes.3. & fons obsignatus Cant. 4, 12. & Scriptura seu verbum DEI, unde animatur Ecclesia & informatur, rectè potest conferri cum illo libro obsignato septem sigillis Apoc.7,1. qvod nisi habueris DEI spiritum, qvo obsignantur pii 2. Corinth. 1, 21. Ephes. 4,30. velut janitorem, Johan.10. qvi tibi aperiat januam, Christū, ibidem, & ostendat viam, hoc est, eundem Johann.14. extra illum hortum manes, nec intras hanc DEI domum, imò obsignatus ille liber tibi manet, nisi leo de tribu Juda Apocal.5,5. Jam mactatus, & passus, tibi mentem cum discipulis aperuerit Luc.24,45. Ores igitur cum David. de ex Psal.13,25. & 119. ne nimis serò dicas cum fatuis virginibus, Domine aperi Matth.25. Deinde qvando per hunc janitorem est apertus liber, hortus DEI, & fons Israelis resignatus Psal.68,27. oportet te tenere literas, ut possis legere. Has autem qvia multi ignorant, nempè Hebræas in Veteri, & Græcas in Novo Test. ecqvid mirum est, si dicas, lege qvæso hoc, etiamsi id feras, neqveo, nescio literas. Non enim eadem est gratia & efficacia in versionibus etiam optimis Syr. in Prolog. vers.78. & hoc ut indicaretur, Spiritus sanctus voluit in linguis igneis dari Apostolis Actor.2. & superiori seculo cum Evangelio bonæ literæ sunt restitutæ. Qvando autem Apostolus dicit in capite libri de Christo esse scriptum, docemur, qvem potissimùm qværere debeamus in sacris literis: Christum cum pastoribus in hoc præsepi & hisce fasciis Luc. 2. Cum Magis in hac domo Matth.2. cum mulieribus piis in hoc sepulchro ac hisce linteis Matth.16. non invenitur is ita gratiosè, ut illuminet, nisi in hâc ardenti lucernâ 2.Petr.1. Deinde qvia statim in capite libri de Christo scriptum est, ecqvid pudet Anabaptistas & alios dicere, de Christo Judæis nihil esse promissum in Veteri Testamento, qvem errorem suum jam fecere Phontiniani caliginosi.

V. Loc. Commun.

QVando asseritur de Christo scriptum esse, & scimus DEum ipsum vel immediatè vel mediatè per Prophetas fecisse & repetivisse illas promissiones de Christo Genes.3,12. 22. 26.28.49. Deuter.18. 2.Sam.7. Psal.22,69, Esa.7,9. Jer.23,& 33. Mich.5 &c. id hinc colligimus, idem omnino esse verbum DEI, qvod ad sui substantiam seu essentiam, sive sit dictum à DEO, vel Prophetis, vel aliis ministris verbi, vel scriptum, legatur in bibliis ab homine pio. Tunc enim DEus unicuiq; loqvitur. Qvod si ita est, qvid Enthusiastæ, aliiq; Phantastæ præter biblia novos raptus divinos & colloqvia jactitant aut expectant? qvid multi ita scripturam legere negligunt? Regina Sabæ ex longè dissitis regionibus veniebat auditum sapientiam Salomonis: & ecce hic in bibliis major Salomone audiri potest Matth.12. Etiam hoc de Christo aliisq; rebus sacris scriptum est in bibliis stylo humano, ita ut omnes legentes diligenter, dummodo lingvam intelligant, facile sensum percipiant. Esa.8,1. Hab.2,2. Roman.6,19. qvid igitur novi qvidam doctores id asseverare non erubescunt, scripturam antea non esse intellectam, sed nunc verè demum novo qvodam modo explicari Prophetice, emphaticè, Arithmetice &c. qvid Pontificii garriunt, scripturam esse obscuram?

VI. Loc Comm

CHristus secundum naturam divinam est DEus, ab æterno per se à Patre genitus, Christus homo DEus in unitate personæ factus, & hic DEum etiam suum illum vocat Joh.20,17. Psal.22,2. sic etiam Christi secundum humanam naturam DEus est caput 1. Cor.11,3. & Pater ipso est major Joh.14,28. qvi æqvalis est Patri secundum divinitatem Joh.5,18. Utrumq; igitur, qvando Scriptura diverso respectu vere asserit, nos piè credimus, qvicqvid etiam contra blaterent Photiniani, Arriani & alii.

VII. Loc. Commun.

CUm Christus dicit, se venisse, ut faciat voluntatem DEI, *primò* discimus, nostri redemptionem ex consilio & voluntate sacrosanctæ Trinitatis esse peractam. Qvando enim per Adamum primum, ut alterum ingratum Saulem, non poteramus arcem Jerosolymorum, ubi Deum de facie ad faciem videremus 1. Joh.3. contingere; hic David venic-

niebat, & viam nobis fecit, nosq; eò introducet, si modo seqvamur hunc ducem fidi milites Historiam vide 2. Sam. 5. accommodationis fundamenta Rom. 5. 1. Cor. 15. Apocal. 19. 20. 21. 22. *Deinde* potest inde refutari Piscator, qvi activam Christi obedientiam ad nostram salutem non reqviri existimat. Christus enim venit, ut faciat voluntatem DEI: sed qvòd venit, datus & natus est, omne nostro bono, & NOBIS factum esse, literæ sacræ testantur. Qvod etiam observandum contra Photinianos: non enim tantùm monstravit viam nobis suo exemplo, sed paravit & aperuit suo merito, vitâ sanctâ & morte dirâ parto. *Tertiò* est hic insignis qvædam instructio, si Christus fecit pro nobis voluntatem DEI libenter, ut Lutherus qvoq; in Psalmo vertit, **deinen Willen thue ich gerne/** nos meritò debitæ gratitudinis ergò, non coacti sed spontè nostra DEO nostro obediamus. Malus enim est miles, qvi Imperatorem suum seqvitur gemens. Nam ut ante lapsum, ita qvoq; post reparationem talem vult populum, qvi sit spontaneitatum, **daß ihm willig-lich opffere/** Psal. 110, 3. qvos spiritus ille spontaneus ducat Psalm 51, 14. Conferantur hæc loca diligenter Exod. 35, 21. & 36, 21. (ubi qvidam velut typus) Syrac. 35, 30. Rom. 12, 8. & 6, 18. 2. Cor. 9, 7. 1. Petr. 5, 2. Philem. vers. 14. Vide igitur, & ride illos, qvi omnia metu infamiæ & pœnæ tantùm præstant pietatis officia; templum freqventant, ne videantur athei; sacramentis utuntur, ne excommunicentur; eleemosynas largiuntur, ut videantur Matth. 6. & 23. illi nè sint Christiani, qvi non aguntur Christi spiritu? Qvæ igitur est voluntas DEI, qvam vult nos facere? hæc ut ex Evangelio in Christum credamus, & deinde justificati, fidem bonis operibus probemus, & fructibus veris illam arborem ornemus. Inspice hæc dicta Joh. 6, 39. 40. 28. 29. 1. Thess. 4, 3. Ephes. 5, 17. Rom. 12, 2. Matth. 7, 17. 21. Rom. 2, 13. Joh. 13, 17.

VIII. Loc. Commun.

DEniq; qvando subdit Christus apud Psalmographum, lex tua in visceribus meis, indicat veram pietatem non in ore sed corde esse sitam Matth. 15, 8. 9. & nisi intùs sit flamma amoris in DEUM ac proximum, exteriùs saltem tepida qvædam apparere, qvæ Deo non placeant Apoc. 3. vide igitur primùm, ut Cor ardeat cum discipulis Luc. 24. ita futurum est, ut etiam calor qvidam exteriùs hinc inde se dividat, ut exemplo

emplo ignis declarat Jacobus, cap. 2. ubi egregiè tales hypocritas & fidem simulantes refutat. Tu verò qvi Apostolis in igne es datus, Spiritus alme, qviq; fovisti in creatione res omnes, nos qvoq; mortuos excites, torpentes incites: fove, qvod est frigidum, flecte qvod est rigidum, ut ita tandem cum Christo, qvi propter nos venit in mundum, nos cum eo, qvando venit adjudicium, ingrediamur ipsum cœlum, in qvo verè jam fit ab Angelis & beatis sanctis voluntas DEI Matth. 6, 10. Da hoc clementer, Pater omnipotens, tuis filiis electis: Da Jesu Christe hoc tuis fratribus dilectis: Da Spiritus sancte, tuis illuminatis & ex mundo collectis: sic te in omnem æternitatem celebrabimus laudibus perfectis, Amen.

DOMINICA QVASIMODOGENITI.

Joh. 14, 19.

JOsephus qvòd esset Patri dilectus filius, & suis fratribus futurus major, ab illis odio habebatur & vendebatur, ipse verò in carcerem compactus innocens tertio anno liberatur, & Prorex constituitur, qvòd ipse tandem ita interpretatur Genes. 50. v. 20. Vos qvidem cogitabatis contra me malum, sed DEUS cogitavit illud in bonum convertere, ut faceret, sicut est die hoc, conservando in vitâ populum multum. Cœlestis ille Josephus, ob qvem rectius, (qvòd ob illum natum dicebat mater Genes. 30, 24.) gloriamur, addet Jehova propter filium illum suum naturalem nos adoptivos Joh. 1, 12. qvod se filium DEI, qvi erat revera, assereret, de qvo Pater clamaverat Matth. 3. & 17. Hic est filius meus dilectus, qviq; omnibus reliqvis hominibus major, non tantùm ratione divinæ naturæ Hebr. 1. verùm etiam ratione communicatæ infinitæ majestatis & datæ homini Joh. 13, 3. à Judæis, Scribis, ac Pharisæis odio habebatur, qvi nolebant eum super se regnare Luc. 19, 27. Joh. 19, 15. à suo discipulo Judâ venditur Matth. 26, 15. & in magnas calamitates ac cruciatus propter nos conjicitur, (Vide Psal. 22, 69. Esa. 53. & in tota passionis historia) in sepulchrum conditur, donec tertio die gloriosè resurgens intrat in suam gloriam Luc. 24, 26. Rex ac Dominus omnium factus Act. 2, 36. ut meritò ipse dicat: Vos Judæi, Scribæ, ac Pharisæi cogitabatis contra me malum, & planè me morti tradere, ita ut non resurge-

surgerem, qvomodo etiam obsignastis lapidem additâ custodiâ Matth. 27. sed videte eventum: DEUS hoc decreverat fieri Act. 2, 23. & 4, 27. sed simul etiam hoc decrevit, vestro malo facto optimè uti, & ad optimum finem convertere, Rom. 4, 25. sicut est hoc die, qvando devictâ morte vitam mundo refero, ut ita per unius mortem omnes viverent & filii DEI dispersi congregarentur Joh. 11, 52. Hæc sunt qvæ jam meditanda fuêre, & deinceps in recenti memoriâ hærere meritò debent. Qvod ut fiat, triumphatoris illam optimam vocem Joh 14, 19. ruminemur: Vivo ego, & vos vivetis; visuri in eo dicto duo hæc,

1. *Christi capitis vitam.*
2. *Christianorum & membrorum metam.*

JESU filii DEI vivi Matth. 16. nos mortuos in peccatis Ephes. 2. qvi vivificasti in baptismo Rom. 6. jam qvoq; torpentes & tardos corde ad credendum iis, qvæ dicta sunt in sacris literis, excita, corda nostra frigida succende Luc. 24. & mortuis tuo spiritu vitam concede Psal. 104, 30. fac, ut luceat facies tua; ita servabimur Psal. 80, 4. 8. 20. ita JesuChriste, tui mensuram nominis imples Matth. 1, 21.

PRIMA PARS.

MOses ex DEI decreto morti vicinus populum Israëliticum, suâ morte doliturũ solatur, bona obventura ipsi indicando, & alium ducem præficiendo Devt. 31, 32. capp. Ita Christus, qvi Mose major est, Hebr. 3. jam passione & morte propinqvâ suos discipulos, mœstos domini sui abitu, seu potius obitu, erigit Joh. 14, 15. 16. bona ex his, sibi perferendis malis, in totum mundum, præcipuè fideles redundatura, vitam ex morte orituram prædicando, & Spiritum sanctvm illis paracletum adjungendo. Inter illa παραμυθητικὰ & verba consolatoria (confer Zachar. 1, 13.) velut gemma elucet illud, qvod jam nobis est sub manibus: Ego, inqvit Christus, moriturus, θεάνθρωπος, vester Propheta Rex & Sacerdos, jamjam mortem obibo. sed ecce *vivo*, & resurgo ex morte, omnibus hostibus superatis, triumpho post triduum Luc. 18, 33. & deinceps non morior, postqvam semel prò mundo mortuus sum peccato Rom. 9, 9. 10. In præsenti autem dicit more Hebræorum ad certitudinem, qvi ita præsens pro paulo post futuro sæpè adhibent in illis, qvæ certa sunt.

I. Loc. Comm.

Dicant alii Principes, Nos DEI gratia: hic verè est majestaticus Christi titulus, Ego DEUS ipse verus 1. Joh. 5. magnus Tit. 2. benedictus in secula Rom. 9. Dominus gloriæ 1. Cor. 2. omnipotens Apocal. 1. ego sum, qvi sum Exod. 3. ego cui Pater secundum humanam naturam omnia jam dedit, Joh. 13 3. Ego mundi Salvator Luc. 2. qvi veni qvæsitum, qvod periit, Luc. 15. salvatum & vivificatum, qvod prior Adam perdidit 1. Cor. 15. Roman. 5. qvomodo hic possunt declarari ea, qvæ ad dignitatem personæ & officii Christi spectant. Dicebat qvidem ex superbiâ aliqvando Nebucadnezar Dan. 4,30. Annon hæc est illa Babylon magna, qvam ego ædificavi; sed statim hominem exuit, & ad bruta depellitur, ad se autem reversus ita humiliter DEUM laudat: Ego Nebucadnezar extollo & glorifico Regem cœli v. 37. Cur ita? qvia ipse dixit, & facta sunt Psal. 33. Ego solvo, qvod non rapui Psal. 69. Ille est, qvi potest cœlum & terram condere, qvi verè dicit de opere creationis Esa. 44,19. Ego Jehova facio omnia, extendo cœlos solus; de opere redemptionis, Ego venio Psal. 40. ego deleo tuas iniqvitates Esa. 43, 24. de opere sanctificationis, ego sanctificator vester Esa. 41,& 43. de resurrectione, ego excitabo eum Joh. 6,40.

II. Loc. Commun.

ILlud Ego notat veritatem personæ Salvatoris. Sæpè enim Diabolus tentatis illas cogitationes subjicit; hic non est ille dulcis Jesus, est Judex severus, hic est Spiritus, confer Joh. 20,19. Luc. 24,19. ipse autem refutat & dicit; Ego sum pacis autor: pax vobis. Idem ipse suos emittens in mundum dicit: Ego mitto vos Luc. 24, 49. Joh. 20, 21. ego vobiscum sum usq; ad consummationem seculi, qvod illis, qvi ejus nomine legatione funguntur, addet animum. Josua videns virum ante se stantem cum stricto gladio, qværit; utrum noster es, an ex hostibus? Jos. 5,12. at respondet: neutrum. Nam Ego sum Princeps militiæ Jehovæ vers. 13. Hic autem est Christus, qvi ita patribus in Veteri Testamento apparuit, suosq; liberavit. Hic est ad cujus verbum mundi hujus Jericho aliqvando concidet &c.

III. Loc. Commun.

ILlud Ego hujus Adami secundi rectè opponitur Adamo primo 1. Cor.

1.Cor.15. Hic enim habebat vitam, & ut eam prorogare posset, vitæ arborem Genes.2. in paradiso, sed eam sibi & nobis perdidit, eaq; die, qvâ comedit, est mortuus, hoc est, statim mortalis factus, & qvotidie defecit, donec tandem moreretur : Christus autem semper dicere potest, Ego vivo. Qvòd verò semel pro nobis mortuus est, factum est. per qvandam οἰκονομίαν : nemo enim tollit animam meam à me inqvit ipse, sed ego pono eam, & resumo eam Joh.10,17.18. Sic etiam de omnibus aliis populi Israëlitici servatoribus Josuâ, Ehud, Samgar, Barak, Gideon, Jephta, Simsone &c. tandem dicitur, & mortuus est. Sed hic Salvator noster vivit in æternum, & meritò dicit : Ego vivo. Qvamdiu autem Rex vivit, nullus alius constituitur : est igitur Rex noster perpetuus.

IV. Loc. Commun.

VIta in sacris literis notat etiam omnis generis felicitatem. Christus igitur, qvum dicit ; Ego vivo : id scimus, qvod sit αὐτάρκης omniumq; rerum abundans : ipse enim venit, ut nos habeamus omnium rerum copiam Joh.10,10. qvin imò ex ejus plenitudine nos accepimus gratiam pro gratiâ Joh.1. Qvando Jacob audiebat Josephum suum filium vivere, sufficit mihi, inqvit, Genes.45. qvid nos facere convenit, qvando intelligimus nostrum fratrem semper vivere, & de omnibus necessariis nobis prospicere? Is enim est, qvi dixit, non te deseram, nec te derelinqvam Jos.1,9. Hebr.13,5.

V. Loc. Commun.

QVia hæc phrasis, *Ego vivo*, de DEO sæpe usurpata, qvandam jurandi formulam continet Num.14,21.28. Ezech.33.v.11. id cogitemus, Christum hic non tantùm promisisse, sed etiam sanctissimo jurejurando confirmasse, futurum, ut vivamus. Si igitur homo honestus non mutat, infectumve reddit, qvod juravit (confer exemplum Josuæ Jos. 9. & malum Herodis Matth.14,9.) qvantò magis DEUS, sua promissa ut appareant, tandem faciet, qvæ etiam juramento addito est pollicitus, Vide Hebr.6,13.14.

SECUNDA PARS.

HÆc est Christi nostri vita, eadem Christianorum meta, ad qvam ten-

tendant. Jobus in summâ afflictione suâ cap. 19, 25. 26. 27. hoc solatii tandem arripit, scire se redemptorem suum, & sanguinis propinqvitate conjunctum (גֹּאֵל) vivere, ac ex morte resurrecturum, unde etiam seqvatur, qvod, si caput resurrexit, ipse vivum ejus membrnm in sepulchro ac morte manere neqveat 1.Cor.15. Si enim mortui Elisæi ossa tantum potuere, ut qvi mortuus ea contingeret saltem, in vitam revocaretur, 2.Reg.13,21. qvantò magis hic Jehova, salvans suos, ex morte redimet Hos.13,14. inprimis qvia promisit, qvi veritas & vita est Joh.14,6. promisit autem Joh.6,39. 40. & 11, 25.26. & 17,22. & qvid aliam promissionem ulterius inqvirimus, qvum hæc sufficiat: Ego vivo, & (qvæ vocula notat arctissimam unionem Christi capitis & membrorum, de qva in loco allegato 1.Cor.15.) *Vos*, mei discipuli, qvi in me creditis v.1. & me diligenter fidei oculis contemplamini (id notat θεωρεῖν, qvòd antecedit, & hic vi ἐτύμου sui propriissimè accipitur, vel πρὸς τὸν θεὸν ὁρᾶσιν, ad DEUM accedere, vel à θεᾶ ὤπα, illum qvi DEI rerumq; sacrarum curam gerit maximam, qvemadmodum olim dicebantur θεωροὶ, qvi ad DEUM accedebant, consulturi oraculum) *vivetis*, non tantùm in mediis malis, sed in ipsâ morte & post eam in æternum Joh.8,51.

I. Loc. Commun.

SI qvis cupiebat liberari ex Ægypto, prima cura erat, ut esset sub Mose 1 Cor.10,2. aliàs neq; illo servitio exire, neq; mare transire cuiqvam licebat Exod.14. Sic etiam si qvis cupit ex inferno & morte redimi, omnium primò reqviritur, ut sit in Christo vers. seq.20. & membrum in corpore ejus mystico Rom.12,4.5. 1.Cor.12,12. Eph.4,12. Sicut enim qvicunq; non erant in Arca Noæ, peribant; sic qvi non sunt in Christo Jesu, seu Ecclesia vera 1.Petr.3,20.21. & sicut, qvi non cum Lotho ab Angelo è Sodoma educebantur, cum reliqvis miserè interficiebantur: ita etiam qvi non ab hoc Angelo fœderis ex mundo separantur (vide Luc.17,26.28.32.) cum mundo condemnantur. Qvibus David dux erat præfectus, sæpissimè sui ducis virtute spoliis onusti redibant; qvibus Christus Rex est, multâ benedictione ditantur Psal.47. & 48. & in bono certamine victoriam reportant cum Paulo 2.Tim.4.

II.Loc.

II. Loc. Commun.

LIcet vita mundo toti, vitâ in ligno moriente, parta sit; tamen non omnes vivunt, sed multi mortem æternam oppetunt: qvia discipulis credentibus, & Christum ejusq; doctrinam contemplantibus hoc bonum tantùm verè obtingit. Serpens æneus omnium bono erat suspensus Num.21. sed nulli sanabantur, nisi qvi eum aspicerent. Sic etiam Christus est exaltatus in cruce Joh.3. & ita omnes ad se trahit Joh. 12,32.33. Et velut ii à plagâ sunt immunes tantùm, qvi signum DEI gerunt in fronte Ezech.9. Apoc.7. ita qvi crucifixum habent in corde 1. Cor.2. viventem Gal.2. & velut stigmata Domini Jesu in corpore suo gestant Gal.6,17. Sicut etiam illi tantùm non timere necesse habebant exterminatorem, qvi postibus illeverant agni sanguinem: sic etiam qvi Christi sanguine sunt mundati, mortis non metuunt acerbitatem Exod. 12. 1.Cor.15. si qvis igitur cupit illius vitæ, qvam Christus promeruit, esse particeps, videat, ut sit inter illos, qvos Christus voce *vos* hoc loco comprehendit; nam reliqvis omnibus dicet tandem: Abite à me maledicti, nunqvam novi vos Matth.7,29.

III. Loc. Commun.

Vivetis qvando dicit Salvator, ut & in regno gratiæ ipsi vivamus, monet, & futurum, ut in regno gloriæ bene & rectè vivamus pollicetur: ita enim se res habet, qvi vivit mundo & sibi, mortuus ille DEO est, Matth.8,22, Ephes.2,1. 1.Timoth.5,6. qvum tamen reqviratur, ut si Christus pro nobis est mortuus & resurrexit, nos etiam peccato moriamur & in novitate vitæ excitati jam ambulemus Roman.6, 4.5.6. 2. Corinth.5, 5. ubi rectè argumentamur cum Jacobo cap.2,26. sicut corpus sine spiritu est mortuum; sic etiam fidei nuda professio sine bonis operibus. Lazarus qvamdiu in sepulchro jacebat, fœtebat Johann.11,39. at excitatus & solutus jubetur abire à sepulchri immunditie vers.44. cum Christo discumbit Cap.12,2. ac videtur à multis vers.9. sic etiam homo, qvamdiu in peccatorum lustris jacet, coram DEO fœtet Ps.14. 3. excitatus autem debet coram DEO suo ambulare ac stare jugiter (qvæ phrasis alibi sæpè jam explicata) ac cœlestes epulas in mensâ Domini paratas carpere Psalm.23. atq; ita curare, ut homines videant ejus bona opera, ac Patrem in cœlis glorificent Matth.5, & sic novi-

mus, qvòd transierimus ex morte in vitam, qvia diligimus fratres 1. Johan.3,14. & credimus fore, ut qvemadmodum mortuus est & resurrexit Jesus, ita & nos ex morte excitati cum Christo in cœleste gaudium, vitamq; æternam introducamur, 1. Thess. 4,14. Da Jesu Christe, ex mortis excitate, ut tecum jam vivamus in vitæ novitate, & postea in æternâ beatitate: idq; pro tuâ immensâ bonitate, Amen.

DOMINICA MISERICORDIAS DOMINI.

Psal. 73, 24.

1. Sam. 25. & 30. 2. Sam. 5. David mortuo Nabale Abigaelem uxorem ducit, qvæ postqvam exilium cum ipso toleraverat, & capta ab eo erat liberata, tandem in regiam arcem deducitur, ibiq; omni genere voluptatum perfruitur. Christus ille Patri dilectus & Davidis filius, cujus nomine etiam sæpè appellatur Jer. 30,9. Ezech. 34,24. Hos. 3,5. Amos 9,11. Ezech. 37,24.25. qvando Ecclesia vel pia anima moritur mundo, seu stulto illi, de qvo Psalm 14,1. qvæ erat qvondam mente præstante, & pulchrâ formâ confer 1. Sam. 25,3. & Genesis 1,26. 2. Reg. 5,1. Ephes. 4, 24. qvæq; meritò & rectè dicere potest אבגיל, Pater meus exultatio, apud DEUM est pax, & omne gaudium, Confer Luc. 15, 17. 23,24. Roman. 14,17. ducit illam uxorem, sicut docetur in Cantico Psalm 45. Hos. 2,19. Ephes. 5,25. 2. Cor. 11,2.3. qvæ qvando jam cum ipso Lucæ 24, 26. sustinuit crucem & afflictionem Act. 14,23. 2. Tim. 3, 12. postqvam est liberata ex morte æternâ, & ab hostium injuriâ vindicata, in cœlum perducitur gloriosa Rom. 8. & æternum beatur Joh. 17. Id itaq; ut nobis singulis qvoq; contingat, crebrò cum Psalmographo suspiremus ex Psalm 73, 24. Dictum hoc consideratione dignum est, in eo notanda duo.

I. *In regno gratiæ DEI ductus.*

II. *In regno gloriæ hujus rei fructus.*

DEUS sine te erramus, tu nos ducito; sine te verum nescimus, tu nos doceto, Psal. 119,33.35. &c. Da ita insistamus callem angustum Matth. 7,13,14. ut perveniamus in collem Domini verè augustum Psalm 15,1. da perduremus in miseriâ, ut olim tecum triumphemus in gloriâ Rom. 8,17.18.29.

PRI-

PRIMA PARS.

JEhova qvidem mirabiliter, sed tamen etiam valdè solemniter, & gloriosè eduxit suum populum ex Ægypto, & ex summâ servitute in libertatem vindicavit, ex paupertate ad divitias evexit Exod. 3,4.12.13.14. verùm sæpissimè postea turpiter se dabant, & propterea etiam ignominiosæ ac durissimæ servituti exponebantur. Sed aliter se res habet, qvando DEUS per desertum hujus mundi suos ad terræ sanctæ antitypum, hoc est, cœlum Hebr. 3,4. perduxit, magnus hiatus stabili & irrevocabili DEI voluntate constitutus est, & nulla plaga aut tormentum eos tangit Sap. 3. vivunt in gloria & lætitia, ut meritò tum demum agnoscant, id qvod dicit David Psal. 4,4. à DEO suos mirificè separari, seu potiùs ut Lutherus vertit, mirabiliter duci, per mala ad bona, per afflictionem ad refectionem. Id qvia intelligit Psalmographus hoc loco, rectè ita DEUM rogat, cùm ipse turbas hujus mundi respiciens, ubi bonis malè, & malis benè plerumq; est, perturbatur, sicut & Job. cap. 21. David Psalm 37. Jerem. cap. 12. videt malos florere, seq; affligi in pietate suâ, miratur, donec ad DEUM accedens ab eo docetur, esse fluxum illud & instabile bonum, & mox corruere, qvod firmissimum videbatur; hinc concludit, se ex suis viribus humanis nihilò magis sapuisse in illis rebus divinis, qvàm pecudes vers. 22. & proinde optimum esse, ut cum DEO sit jugiter, DEI verbo invigilet, seq; patiatur à DEO regi, velut infantem, qvi nondum ingredi valeat v. 23. hinc suspirat:

O Domine,

Sine tuo numine
Nihil est in homine.

deduc me תַּנְחֵנִי deduces me, semper id notat futurum narrans, qvo hebræi utuntur pro optativo, qvo carent, & significatio verbi נָחָה est הַנְהָגָה ductus ac providentiæ, ut notant hebrææ concordantiæ, astipulante etiam Kimchi, attestantibus exemplis Genes. 24,27. 45. Exod. 13,17. 21. & 32,34. Deuter. 32,12. Neh. 9,12.15. Psalm 5, 9. & 23,3. & 27, 11. & 77,21. & 139,24. & 143,10. Esa. 57. v. 18. ex qvorum sicut & plurium aliorum locorum, qvæ prudens prætereo, collatione diligenti hoc liqvet, qvod hoc verbum sæpè de mirabili deductione populi Israelitici per desertum usurpetur, & qvod DEUS cum pastore, deductus autem po-

populus cum ovibus comparetur. Sic igitur David, jam non amplius inter jumenta refractaria Confer v.22. & Psal.32,9. esse velit, sed ut puer, qvem parens manu apprehensum ducat vers.23. imò ut ovis suum pastorem libenter seqvens Joh.10,27.28. & roget, deduc me, non ex meo affectu pravo aut mundano more, sed *consilio tuo*, qvod tu de hominibus salvandis, & ex hoc mundo in cœlestem patriam traducendis ab æterno iniisti, qvod est, ut fiant conformes imagini filii tui, Rom.8. & per multas afflictiones, ad exemplum Christi, sintrent in regnum cœlorum, qvod est contra & supra omnium hominum captum, qvomodo DEUS diligat, qvos ita in mundanis negligat; qvomodo illos amet, & amplectatur, qvos ita affligit, & malis exercet. Unde emphaticum est hoc loco affixum consilio *tuo*, qvod mundus non agnoscit, impii rident, pleriq; aversantur, qvum tamen sit revera DEI optimi maximi.

I. Loc. Commun.

IN Ægypto erant aliqvando triduanæ tenebræ, in terrâ Gosen verò, ubi habitabant Israelitæ, erat Lux Exod.11,23. Cum Ægypto impii aliqvando conferuntur Apoc.11,8. Apud illos igitur, qvum sunt perpetuæ dubitationes de DEO, ejusq; voluntate; apud pios oritur lux Esa.60. & vident, qvò confugiendum in malis, nimirum ad providentiam Dei, ejusq; paternum animum, 2. Chronic.20,12. Qvando Josephus Ægypto prospiciebat de victu in annonæ penuria, Pater patriæ, cui flectenda sint genua, dici merebatur Genes.41,43. at DEUS verè est Pater noster, qvi de nobis fuit sollicitus, anteqvam eramus Eph.1. nos fecit, ut essemus Mal.2. nos conservat & dat nobis dona bona, ut benè simus Luc.11. ideoq; ad eum confugiamus in omnibus malis Psal.46. ille nos manu suâ ducet, ut oves, eriget & portabit, ut infantes Devt.32,20.11,12. Luc.15,4. Reliqvi autem, qvi hæc ex sacrarum literarũ luce non norunt, sunt velut jumenta bruta, in qvibus nullus intellectus; & dicit talis insipiens in corde; non est DEUS, qvi curet res humanas Psal.14,1.

Cum rapiant mala fata bonos, ignoscite fasso,
Sollicitor nullos esse putare Deos.

II. Loc. Commun.

QVos DEUS ita ducat, discimus, nempè suos filios qvi fide in Christum

ſtum facti tales, ſeu in baptiſmo Gal. 3. ſeu poſtea Joh. 1, 12. & ſuas oves, qvæ ſeqvuntur eum in paſcua verbi divini, & non repugnant paſtori tam benefico Ezech. 34. Joh. 10. Gideon illis benefaciebat, qvi eum ſectabantur ducem: gravi autem ſupplicio afficiebat illos, qvi in Succoth & Penuel ipſi ſuperbè reſponſabant, & ne rogati qvidem gratificabantur Jud. 8. ſic etiam DEUS cum bonis bonus eſt, at cum perverſo eluctatur Pſal. 18, 26. 27. & ſi qvis, ſervorum refractariorum in morem hero huic non obedit, cum Hagarâ inobediente ex ædibus ejicitur Gen. 16. & 21. Gal. 4, 23. 30. Rogemus igitur cum Pſalmographo.

Duc me, nec ſine me per me. DEUS optime duci.
Me duce enim pereo, te duce ſalvus ero.

III. Loc. Commun.

SCripſit qvidem Scal. de ſubt. exerc. 365, ſect. 8. tam eſt impia vox in divinis conſilium, qvàm pluralitas deitatis, nempè ſi propriè accipias, pro eâ animi actione, qvæ unum ex altero ratiocinatur, proponit, colligit, & qvaſi DEUS eo indigeat, tanqvam medio aut inſtrumento aut ideâ ad gubernandum: nos tamen cum ſcripturâ piè & rectè, ſed dextrè & θεώς intellecto vocabulo, conſilium DEO attribuimus: ſiqvidem in Veteri Teſtamento Pſalm 33, 11. Eſa. 46, 10. 11. & in Novo Teſtamento reperimus Act. 2, 23. & 4, 28. & 20, 27. & hoc loco optimè vox conſilium illa omnia comprehendit, qvæ pertinent ad ſalutem hominis temporalem & æternam. Suſpiramus igitur & nos; DEUS duc me in conſilio tuo, in ſacris literis revelato, ut perveniam ſalvus ad concilium Angelorum & beatorum. Conſilium igitur hìc eſt, ſed divinum, & ut aliæ DEI viæ, qvàm hominum: ita etiam conſilia Eſa. 55. Si autem eſt conſilium DEI, eſt ſtabile Eſa. 46, 10. Hebr. 6, 17. Ob Dei immutabilitatem Matth. 3, 6. eſt magnum ob ejus infinitatem Jer. 32, 19. eſt ſalubre & in bonum Zach. 6, 13. Luc. 7, 30. &c. hunc Jehovam igitur Dominum exercituum ſanctificemus, ipſe ſit timori nobis, idemq; ſit pavori nobis Eſ. 7, 13. Contra hoſtes autem noſtros ita gloriemur: inite conſilium, & irritum fiet; loqvimini verbum, & non exiſtet: nam Jehova nobiſcum, qvi eſt immanuel Eſa. 7. v. 10.

IV. Loc. Commun.

NOtatur, ut ſemper pergamus DEI nutum obſervare & ſeqvi: qvid enim prodeſt benè cæpiſſe, ſi reſilias aut reflectas curſum, ante-

qvam metam attigeris. Vide uxorem Lothi Luc.17. & illos, qvi in deserto sunt prostrati 1.Cor.10.

Tempora si fuerint nubila, ...
durate, & vosmet rebus servate secundis,

certi, consilio DEI vos deduci, qvi suos castigat, ne cum mundo damnentur 1.Cor.11,32. & omnem filium castigat, ut benivolentiam exhibeat Hebr.12,6.7.&c. Qvos David familiares sibi esse volebat in aulâ, hos primùm in variis exiliis probabat; sic DEUS hic prius malo afficit, & postea in æternum bono reficit Luc.16,2.25. Contrà malis, quantùm se extulerunt & luxuriati sunt, tantum datur tormenti & luctus Apoc.18,7.

SECUNDA PARS.

HActenus Psalmographi in hac vita summum votum: seqvitur qvem speret eventum. Credit enim futurum, ut omnia ita qvadrent in rei veritate, ut hic dictionis elegantia in rythmi concinnitate, תַּנְחֵנִי תִּקָּחֵנוּ, Darius jam ex camino ignis mirabiliter eductos tres Danielis socios jussit prosperari in suo regno Dan.3. ult. DEUS jam per ignem calamitatis & crucis deductos Esa.48, 10. Psalm 66,12. Jer.6,29. & 9,7. Mal.3,3. August. lib. 1. de Civit. Deor. cap.8,9. tandem æterno solatio beat Luc.16. Joh. 16, 22. id porrò sibi qvoq; ut obtingat, optat, & jam animo lætus prævidet, *ut pòst*, hunc enim ordinem DEus servat,

Deijcit, ut relevet; premit, ut solatia præstet;
Enecat, ut possit vivificare DEUS,

nec qvenqvam donat beatitudine, nisi qvem afflixit multâ calamitate: & si qvis cum Christo pertulit ignominiam, huic æternam concedit gloriam, ut pòst *in gloriâ suscipias me*, & non tantum duces abs te peregrinantem 2.Cor.5,6. sed recipies ad te, ut adsim tibi Joh.17. & in tuis ædibus semper commorer Joh.14.2. Psal.23. ult.

I. Loc. Commun.

ORdinem à DEO constitutum planè invertunt, qvi hîc primum volunt fortunatam vitam degere; siqvidem pòst demùm id fit, & bonus ille paterfamilias bonum vinum ultimo loco reservat Joh.2. magnoq; cum fœnore reddit, si qvid abstulit Confer Job.1. & ult.

Israëlitæ qvando transierant mare algosum, statim veniebant Maram

ram Exod.15,23. cujus aqvas non poterant bibere, nisi injecto ligno, qvo edulcabantur; postea autem deducebantur Elima ubi 12. fontes aqvarum & 70. palmæ ibid. v.27. Sic etiam pii cum ex mundi pelago enatarunt, & in Ecclesiæ arcam recepti sunt, 1.Petr.3. Maram veniunt ad aqvas calamitatum Ps.69. v.1. sed injecto ligno crucis Christi dulcescunt, si cogitent eum prius illam asperam trivisse viam, & causam earum sustulisse, nempè iram DEI placando, ita deveniunt ad DEUM, cui non est similis בָּאֵלִים, inter DEOS & fortes vers. 11. imò in civitatem illam DEI, qvæ habet 12. portas Apoc.21,12. in qvâ est aqvæ vivæ fluvius Apoc.22,1. & multi, in qvorum manibus sunt palmæ, Apoc.7,9. qvi venerunt ex afflictione magnâ ibid.v.14.

II. Loc. Commun.

HOc est tempus & regnum gratiæ; pòst erit gloriæ, post resurrectionem, sicut Christus post eam intravit in suam gloriam Luæ.24. & Paulus ostendit nobis qvoq; futurum 1.Corinth.15,43. Et si qvis hic voluerit compati, ibi qvoq; glorificabitur Roman.8,17. Magna erat gloria, qvando Jacobum regiis curribus adducendum curabat Joseph: sed longè major qvando ad Christum in gloriâ suâ venientem Matth.25. rapiemur in nubibus 1. Thessal.4,17. qvæ solent esse velut currus ipsius DEI Devt.33,26. Magna erat gloria Adami in statu integritatis: sed major erit hæc, qvæ tum obtinget in statu reparationis & ἀποκαταστάσεως πάντων: qvia ille poterat non peccare & non excidere, in hac non poterimus labi, aut eam amittere.

III. Loc. Commun.

SI DEUS nos in gloriam recipit, ad tempus ab eo velut derelicti fuimus Esa.54,7.8. Si DEUS nos in beatorum consortium suscipit, nemo nos ex ejus manu eripit Joh.10,28. Ad hanc igitur gloriam aspiremus, rebus infestis speremus: sic futurum est, ut cum Christo æternùm regnemus. Interea oremus:

Tu me per varios casus, per tot mala salvum,
Deduc consilio, Jova benigne tuo:
Ut me tandem ignominiâ plagisq; peremptum,
Æternæ vitæ gloria magna beet.

DOMINICA JUBILATE.

Esaiæ 49, 14. 15 16.

EXod.17. Israëlitæ postqvam à monte Sinis abierant, pervenerunt & castra metati sunt Rephidimis, ubi non erat aqva, qvam biberent, qvapropter contendebant & tentabant Jehovam dicendo: Estne Jehova in medio nostri, annon? DEUS verò jubet, ut Moses baculum accipiat, qvo ediderat miracula in Ægypto, & rupem in Choreb percutiat, futurum, ut procedant aqvæ, & cognoscant DEUM sibi adesse, qvod etiam factum. Pii postqvam lege fuerunt territi & à monte Sinis aufugerunt, perveniunt רפידים id est, strata, ubi cor contritum & prostratum est, se humiliant coram DEO Mich.6, 8. Psalm 51,19. & Ecclesiæ veræ cætui fide se adjungunt, ut sint deinceps in castris Jehovæ, & sub Domino צבאות militaturi Psalm 46,8.12. sed tum statim tentationum & calamitatum cumulo ita obruuntur, ut aqva solatii videatur planè periisse, aqva illa muuda, pura, viva, hoc est, Spiritus sancti viva consolatio, Confer Esaiæ 44,3. & 55,1 Zach.14,8. Johan.4,14. & 7,37. tunc incipiunt sæpè clamare cum Christo Psal.22,1. DEUS meus, cur me dereliqvisti? & dicere cum Gideone Jud.6,13. Si est Jehova nobiscum, qvare obvenit nobis totum hoc: Nunc deseruit nos Jehova. Sed DEUS propè est omnibus inqvirentibus eum Psalm 145,18. novit suos liberare ex tentatione 2.Petri 2,9. & postqvam fecit, ut sui experirentur angustias magnas & malas, rursus vitæ restituit eos Psalm 71,20. jubet, ut minister verbi vel qvivis pius ipse baculum ac verbum DEI Psal.23,4. arripiat, illo contingat cor aridum: futurum est, ut exoriatur aqva lætitiæ, & signa præsentiæ Dei nobis ibidem appareant, qvemadmodum precatur idipsum David Psalm 51,12 13.14. Hoc ipsum sub nomine Ecclesiæ Esaiæ cap.49,14.15.16. proponit, ubi ipsa à Deo deserta sibi videtur, à Deo autem, qvòd nunqvam ejus possit oblivisci, erigitur. Partes possunt constitui duæ:

I. Ecclesiæ afflictæ qviritatio,

II. Jehovæ materna consolatio.

Domine, sicut mater consolatur filium suum, sic te solatio perfusurum dixisti Jerosolymam, ut gaudeat cor piorum Esaiæ 66,13 Age, ef-

effunde nunc qvoq; illum spiritum super nos, qvi cordibus nostris vivum hoc solatium indat, ne in tentationibus nostris planè succumbamus, aut malis cedamus Matt.6,13. sed tandem in æternum tecum gaudeamus in cœlis Joh.16,22.

PRIMA PARS.

QVando Moses ex mandato DEI promiserat liberationem Israëlitis, aggravabatur servitus Exod.4,& 5.& qvum DEUS denuò repetendam suam promissionem curaret per Mosen cap.6,5. &c. fore, ut ex Ægypto educti introducantur in terram promissam vers. 8. non attenderunt ad Mosen præ angustiâ spiritus, & præ servitute durâ. Idem sæpè accidit, qvando Deus Evangelicas pollicitationes affert, non attendunt homines præ angustiâ cordis. Exemplum hic est satis elegans apud Prophetam. Jusserat Propheta à DEO edoctus cantare cœlos, exultare terram, qvia consolatus erat Jehova populum suum, & pauperum suorum misertus: sed id nondum sufficit afflictæ Ecclesiæ, qvòd DEUS ità omnes creaturas velit ipsi gratulari libertatem, qvam in filio DEI consecuta est. Sed ut de Jacobo legimus, qvando acceperat lætum de Josepho nuncium Exod.45,26. cor ejus longè aliud sibi persvadet, qvod si tum *dicat*, in corde cogitet, & ore dicat (אמר enim utrumqve notat Psal.4,5.) *Sion* & Veteris & præcipuè Novi Testamenti Ecclesia, qvæ hoc nomine etiam appellatur Psal.2,6. illa arida & plerisqve bonis externis destituta; sed tamen firma, ut mons Psal.125,1. Esaiæ 65,11. & arx 2.Sam.5,7. à DEO fundata Psalm 87,1. & dilecta Psalm 78,68. ejusq; habitatio cara Psalm 132,13.14. Confer Ephes.2. Hebr.12,22. si igitur vel tota Ecclesia, vel aliqvod verum ejus membrum (de toto enim rectè dicitur certo respectu, qvòd parti accidit) cum hisce tentationum fluctibus luctetur, & cum tantis cogitationibus conflictetur *Jehova dereliqvit me, & Dominus oblitus est mei.* Jehova ille opifex meus, redemptor meus, maritus, curator & protector meus à me discessit procul; cùm antea gratiæ suæ radiis me foverit, nunc illos subtraxit: & Dominus ille, qvi est velut fundamentum omnium rerum, & non potest non curare suam creaturam, ille mei est oblitus, nullamq; mei curam gerit.

I. Loc. Commun.

OMnibus modis hîc exaggeretur tentationis hujus gravitas, ſicut & poſtea declaratur conſolationis ſvavitas. Nam grave qvidem eſt, ſi inimici noſtri nobis ita inſultent; ubi nunc eſt DEus tuus? aut DEUS veſter? Pſal. 42,4.11. gravius, ſi idem ab amicis audiamus noſtris Job.2,9. graviſſimum autem, ſi nos ipſi patiamur hoc nobis perſuaderi, & fidem velut adhibemus iſtis vanis cogitationibus Pſal.89,39. &c. Cum enim Diabolus & malus ille ſpiritus talia inſuſurrat, Spiritus ſanctus optimè nos ſuſtentat Pſal.51,14. & manu porrectâ nobis opitulatur Rom. 8,26. & DEUS miſerationum nos ſolatur 2.Cor.1,3.4.5. Qvando hoſtes talia objiciunt, amici fidi & pii nos erigunt: ſiqvidem omni tempore diligit, qvi amicus eſt, & frater in anguſtia naſcitur & noſcitur Prov. 17,17. & dulcedo amici lætificat animum Proverb.27,9. Qvando verò etiam ipſi noſtri amici abſiſtunt Pſal.39,11. vel nos derident in malis Pſal.70,4. Hobadi. v.10.11.12. noſtrum cor cogitat illud Jehovæ; reqvirite faciem meam Pſalm 27,8. qvòdſi nos non condemnat, liberè ad Deum poſſumus accedere 1. Johan.3,21. & ſi qvid petimus, accipimus v. 22. At ſi qvis ipſe deſperat, qvis eum reficiet præter Deum? qvem tamen non ita amat, ut debet, ſed ut ſeverum judicem refugit ac horret. Verùm ſi qvis modò ſit & maneat in Sion, etiamſi tamen dicat & cogitet ſe eſſe à DEO derelictum, tamen iterum à DEO videtur, & cor ejus gaudet Joh.16,22. Etſi enim ad tempus Sol juſtitiæ & lætitiæ occidat cum Jacobo Geneſ.32,21.22. tamen in Peniel ipſis iterum oritur v.31. etiamſi ſtella verbi Dei nube qvâdam nobis tegatur, tamen tandem rurſus videtur Matth.2,9.10. & qvando nos convertimus ad deſertum, ecce gloria Jehovæ apparet Exod.16,10.

II. Loc. Commun.

HActenus qvis dicat, nempè Sion, jam porrò qvidnam? non ſibi eſſe ablata qvædam bona, hoſtes irruiſſe, aut aliqvid qvoddam genus calamitatis ſe oppreſſiſſe: ſed Jehova me dereliqvit. Certum eſt dolere nos, ſi deſeramur ab amicis cum Jobo, & Chriſto, qvem omnes diſcipuli deſerebant: ſed major eſt dolor, ſi à fratribus cum Joſepho, ſi à filiis cum Davide, conjuge, cum Jobo: hunc dolorem verò adhuc ſuperat ille, ſi filii à parentibus relinqvamur, ut qværitur David Pſal.27,10.

ſed

sed illa omnia nihil ad istum exqvisitissimum tentationis æstum, qvando à DEO ipso nos esse derelictos putamus. Deus enim, ut est super omnia, ita etiam habet omnia: & qvi eum habet, nihil ei deesse potest Psal.73,24. hunc autem qvi amisit, meritò luget; qvia nihil habet, qvo se soletur.

III. Loc. Commun.

QVemadmodum Deus dicitur esse propinqvus, ubi suæ gratiæ maxima edit specimina Devt.4,7. & è loco suo egredi Hos.5,15. cum manifestat suam præsentiam conspicuo aliqvo opere; sic contrà relinqvere eum dicitur, qvem non juvat, aut non videtur curare: aliàs enim qvomodo derelinqvere omnino, & verè ratione infinitæ essentiæ posset eum, qvem sustentat. Semper igitur sint in conspectu illæ sententiæ, qvæ illam Dei benignitatem deprædicant, qvòd ipse non derelinqvat suos, ut Devt.4,31. Jehova Deus tuus est misericors, non deseret te, neq; perdet te, ipse enim dixit non deseram te, neq; derelinqvam te Ebr.13,5. Jos.1,9. Eodem modo est explicandum illud, qvod Deus dicatur oblivisci; certâ enim retione & respe&u hoc & ἀνθρωποπαθῶς ei tribuitur, qvum verè alicujus rei oblivisci neqveat, qvia est omniscius. Et hæc est Ecclesiæ afflictæ tentatio, qvi cum conflictatur: videamus nunc, qvæ sit DEI responsio.

SECUNDA PARS.

QVemadmodum qvum Moses differret reditum suum ex monte, Israëlitæ eum nunqvam reversurum putabant, & proinde ut Aaron Deos sibi faceret, orarent: Ita etiam sæpè homines, qvum Deus differt suum auxilium, & ad sua vota; rursum putant eum planè discessisse, & multi tum ad alia media illegitima confugiunt, ac velut Deos sibi fabricant, Diabolum, mundi potentiam, suam sapientiam & alia. Verùm ut Moses paulò pòst aderat, & se vivere declarabat, ita etiam Deus immutabilis, qvippe qvi est noster Pater, & nos diligit ut mater, sicut jam sequitur, *an oblivisci potest mulier fœtus sui, ut non misereatur filii uteri sui?* Ubi interrogatio talis ex idiotismo linguæ sanctæ notat difficultatem & raritatem hujus rei: Non enim facilè potest dari, qvæ sit adeo duri cordis, ut ex se natum non curet. Ubi obiter qvoqve illud genus loqvendi observetur qvod מִ in מֵרַחַם neget, sicut est de-

declaratum Jonæ c.4.vers.3. utrumq; autem nomen עול & בטן notat filium adhuc pravulum seu infantulum lactentem, in qvem matris amor valdè tener & magnus. Sed tamen qvædam inter matres obliviſic possunt sui fœtus: *Etiam illæ obliviſcantur*, præcipuè sub finem mundi, qvando erunt ἄστοργοι 2.Tim.3, 3. Roman 1, 31. *Tamen ego non obliviſcar tui* v. 20. qvia ecce in manibus meis sculpsi te, Qvod iterum DEO tributum ἀνθρωποπαθῶς notat, qvod DEO semper obversemur jugiter, qvemadmodum illa, qvæ in manibus gerimus, Confer Exod. 13,9. Devt.6,8. verbum חקק etiam non caret suâ emphasi, qvia notat exaravit, ut decretum & statutum perpetuum, ut ita denotetur hujus amoris divini immutabilitas.

I. Loc. Commun.

MIrari qvis meritò potest insignem Josephi in fratres amorem, qvi cum malè sibi conscii ipsum, ut condonet noxam, rogant, ipse in eo totus est, ut omnem scrupulum & dubitandi ansam præscindat Genes.50. sed multò magis nos miremur DEI illam φιλανθρωπίαν qvi qvando homines ipsius promissionibus fidem non adhibent, eumqve, qvantum in se est, mendacem faciunt, derogando illi fidem, 1. Joh.5,10. tamen tantùm abest, ut eos planè rejiciat, ut multos modos adhibeat, qvomodo illam diffidentiam tollat, cujus rei hìc insigne est exemplum. Sion dicit, Dominus me dereliqvit: DEUS autem, non posse id fieri, demonstrat exemplo matris, qvæ non potest, nec debet deserere suum infantulum. Ut igitur mater illum peperit, ita DEUS nos creavit Act. 17,28.29. deinde regeneravit Psalm 110. 1.Petr.1,23. Jacob.1, 18. & adhuc ita dicit; auscultate domus Jacob, qvi bajulamini inde ab utero, qvi gestamini inde à vulva, & usq; ad senium ego usq; portaturus sum Esa.46, 3.4. Deinde ut mater suum filium educat, sic DEUS nos sustentat, & conservat, imò solatur ut mater Es.66,12.13. Confer Esaiæ 49,22. & 60,4. porrò ut habet Poëta,

Sit licet in natos facies austera parentum,
Blanda tamen semper mens est, & amica voluntas,

Sic DEUS in commotione iræ, misereri recordatur Hab.3,2. non in æternum litigat, neq; in seculum iram asservat Psal.103,9. Mater etiam qvantum potest, blandissimis verbis erudit filium: ita DEUS Ps.32,8.

ca-

castigat, ne cum mundo damnemur 1. Cor. 11, 32. Prov. 3. Hebr. 12. sed modicè Jerem. 10, 23. 24. ut possimus sufferre 1. Cor. 10, 13. Mater pro viribus suis defendit filium; Deus etiam suos potenter protegit: & si qva alia piæ matris officia spectantur, in DEO longè plura & majora reperiuntur, ut se meritò matri hîc præferat, qvippe qvam longè superat affectu, affatu, effectu. *affectu*, qvia ejus amor est æternus Ephes. 1. & maximus Hos. 11, 8. 9. *affatu*, qvia verbo suo sanat Sap. 16, 12. alit & conservat hominem Deut. 6, 3. Matth. 4, 4. Esaiæ 38, 16. Sap. 16, 25. 26. *effectu*, qvia mater sæpè non potest juvare, vide Mosis matrem Exod. 2. hic autem semper potest eripere, qvia manus illius nunqvam est decurtata Esa. 59, 1.

II. Loc. Commun.

QVia fit mentio infantuli & parvuli, id discimus, si velimus, ut DEUS materno amore nos prosequatur, oportere nos esse νηπίους Matth. 11, 25. & velut παιδία Matth. 18, 3. & 19, 14. hæc enim amat, & ex ore eorum sibi laudem parat Psal. 8, 3. Si qvis autem non ita pendet à DEO, nec ut ablactatus, apud matrem componit ac sedat animum suum Psal. 131, 2. DEO non ita carus est, qvia hic infirma elegit 1. Cor. 1. & vult sequoli, ut patrem Mal. 1. Ne igitur nitamur vel nostrâ sapientiâ, vel aliorum potentiâ, sed ut filioli à patris hujus clementiâ unicè pendeamus.

III. Loc. Commun.

DIscimus, qvanta sit corruptio generis humani, siqvidem belluis sunt deteriores, qvæ non deserunt suos pullos, qvod tamen qvædam faciunt matres: tanta est mentis cæcitas, tanta cordis & voluntatis pravitas, qvemadmodum hæc ex parte explicata est, Psal. 10, 8. 9. 10. Ecqvid igitur mirum est, à DEO gravius puniri hominem, qvando ita à DEO ornatus se infra bestias? Psal. 49, 13. 21. 15. Videmus igitur, qvantopere DEUS etiam detestetur istam crudelitatem matrum, qvæ suos fœtus abjiciunt aut interficiunt, ut meritò à magistratu politico vicissim gravissimè in tales animadvertatur.

IV. Loc. Comm.

SEd à talibus beluis revertamur ad DEUM Opt. Max. qvi causam demum subjicit, cur fieri neqveat, ut nostri obliviscatur: qvia in ma-

nibus suis sculpsit nos. *Primùm* veraciter promittendo in sacris literis, non enim potest se abnegare 2.Tim.2,13. 1. Sam.15,29. *Deinde* filium mittendo, & in mortem tradendo, ut ipsi transfigerentur manus Psal. 22,17. ad qvorum vulnerum vestigia suos territos ablegat discipulos Johan.20,27. *Denig.* qvia manus Dei notat ejus potentiam, & sculptura hæc decreti perpetuitatem, etiam nos semper protegendo, dum

In manibus Domini sors ꝯ salus ꝯ pii.

Cui nostro clementi protectori & constanti amatori adhæreamus fide firmâ, ut recipiamur tandem in tabernacula æterna.

DOMINICA CANTATE.
Psal. 50,15.

MOses Exod.14. & 15. in magis calamitatibus constitutus Deo supplicat, ab eo eripitur mirabiliter; qvod beneficium grato animo agnoscens: Deo cantico eucharistico agit gratias. Eum nos, ut servum Dei fidelem in totâ ejus domo Hebr. 3,2.5. decet imitari: nos, qvi etiam hujus nominis omen qvoddam habemus, & ex aqvis damnationis per Christum principaliter, per Ecclesiam illam veram filiam Pharaonis (si spectes hujus nominis ἔτυμον) extracti: si qvid mali deinceps in viâ, ex Ægypto hujus mundi in terram verè sanctam qvæ ducit, nobis obtingit, DEUM gemitibus ardentibus invocemus, & ex corde contrito suspiremus cum Davide Psal.144. rogantes, libera me de aqvis multis, cum Christo ipso Psal.69,1. Salva me DEUS, qvia aqvæ pertingunt usq; ad animam: ita futurum est, ut & nos eripiamur, & Deus nobis transeuntibus per aqvas afflictionum Esa.43,1. ubi abyssus abyssum invocat Psal.42. adsit, nosq; manu forti liberet, ne planè inundemur Psal.32. & 42. Qvod ubi factum fuerit, ad exemplum viri Dei Psal.90,1. Mosis sc. persolvamus DEO grates, & vota eucharistica; atq; ita nubem Domini seqventes, pede inoffenso properemus in cœlum. Si qvis autem precationum & gratiarum actionum fuit artifex; certè David ille est, qvi fuit amœnus Psalmis Israelitarum 2.Sam.23,1 ex illo igitur discamus precandi modum, vel ex unico ejus aphorismo Ps. 50,5 Partes erunt tres.

1. Qvæ

I. *Qva sit fundenda à nobis oratio.*
II. *Qva à* DEO *speranda liberatio.*
III. *Qva post eam instituenda gratiarum actio.*

Domine, nescimus, qvid petamus Matth 20. Rom. 8. Tu igitur Christe Jesu, noster advocate 1. Joh. 2, 2. tuq; noster auxiliator, DEUS spiritus sancte Rom. 8. verba doce, lingvam rege, cor incende, ut sit nostra oratio coram Deo, velut suffitus, & elatio manuum nostrarum, velut munus vespertinum Psal. 141, 2. ut ita ex malis liberati tibi, ô DEUS gratias agamus verè immortales cum illis, qvi in cœlis cantant Πανήγυριν suavissimum & gaudium gaudent maximum Apoc. 7, 9. 10. &c.

PRIMA PARS.

DArius Rex à suis consiliariis seductus ad ostendendam suam majestatem Dan 6, 8. tale edictum promulgat: si qvis per 30. dies aliqvid petat à DEO aut homine, præterqvam à Rege, projiciatur in foveam leonum. DEUS verò Rex regum merito id honoris sibi dari postulat: qvia vult dare, qvæ prosunt, & potest dare, qvæcunq; rogantur. Si qvis autem invocat idola, in foveam leonis infernalis meritò projicitur. Ita Alexander Magnus, qvum orbem ferè sibi subjecisset, se daturum promisit, qvicqvid rogaretur, sed verbis defuit fides. DEUM autem nemo aliqvid fide oravit, qvod non impetravit: Hunc igitur potiùs invocamus. Tale autem mandatum ipsi naturæ velut implantavit Roman. 1, 21. & pii statim ab initio mundi id sibi curæ esse demonstrarunt Gen. 4, 26. qvando nomen Dei invocarunt. Postea autem sæpè id fuit inculcatum Devt. 6, 13. & 10, 20. & haud scio, an uspiam in Veteri Testamento dilucidius, qvàm in hoc Psalmi versu. *Invoca* inqvit, קְרָא clama voce altâ, mente intentâ, & invoca ME, qvi sum Deus fortis, Jehova illucescens ex Zion Psal. 50, 1. 2. cujus omnis bestia v. 10. volucres v. 11. qvi sum excelsus v. 14. qvi sum DEUS tuus v. 7. qvi possum, qvi volo juvare, invoca me *in die* & tempore omni *afflictionis*, etiam maximæ ac si ab hostibus undiq; obsidereris Psal. 3, 2. צָרַי, Consideranda igitur sunt hîc 1. Mandati excellentia. 2. DEI mandantis clementia & potentia & 3. nostra indigentia, qvæ sunt causæ præcipuæ nos ad orationem fundendam exstimulantes. Mandati excellentia cernitur *primùm* in mandantis majestate. Si obediendum jam omni

magistratui propter dominum 1.Petr.2,13. Roman.13. multò magis illi ipsi immediatè præcipienti. Penes ipsum enim est imperandi potestas, nos manet parendi necessitas, tum ut consequamur præmia, tum ut vitemus pœnas: præcipuè nos, qvibus illuxit ex Sion seu Ecclesiâ. Servus autem, qvi novit voluntatem Domini, & non facit eam, vapulabit multis Luc.12,47. & ei, qvi scit bonum facere, & non facit, peccatum est Jac.4,17. *Deinde* in objecti necessitate, invoca inqvit. Præstemus igitur hoc ob mandati severitatem, siqvidem non est in nostro arbitrio & nostram DEO debitam servitutem. Cum enim dominus servo dicit, ito, eat, fac hoc, faciat, Matth 8,9. Porrò hic verbo, *invoca*, monemur, verba non abesse plerumq; à precibus. Qvando oratis, inqvit Salvator Matth.6. *dicite*: nonnunqvam tamen tantùm est gemitus, Exod.14. Etiam vide subjecti dignitatem, nam DEUS piis hoc mandat, qvi reddunt vota sua excelso vers.14. siqvidem peccatores non audit Johan.9. Non tam DEUS à pedibus & manibus aliisq; minùs nobilibus hominis partibus vult sibi præstari servitium; qvàm à corde & lingvâ, qvorum beneficio & operâ hic cultus præstatur. Galli cantu ajunt terreri Leonem: revera Christianorum his vocibus terretur infernalis leo. Et qvemadmodum clamore Israëlitarum Midianitæ in fugam convertebantur Jud.7. ita hac invocatione, si sit seria, damnati Diaboli coguntur à nobis fugere. Confer Jacob.4,7.8. & 5,16. 1.Petr.5,8.9. Et qvidni libenter præstemus domino nostro hunc cultum, qvi est tàm clemens, ut det, qvæ rogamus; tàm potens, ut possit longè plura ac majora præstare, qvàm cogitamus Ephes.3,20. Est enim אל DEUS fortis vers.1. & Jehova, qvi dixit & facta sunt Psal.33,& 148. Non igitur ad alia illegitima media decurramus, non Diabolum adoremus, qvod impudenter flagitat Matth.4. non mundum amemus, aut in hominibus fiduciam ponamus Psal.118. sed invoca ME, me solum Matth.4,10. & hæc est DEI illa clementia, hinc inde in sacris deprædicata Exod.34. Psal.103. Joel.2. Jon.4. Cui oportet conjungere ejusdem omnipotentiam Genes. 17. & 18. Num.11. Luc.1. ut ita de voluntate ac facultate oranti constet, & libenter ad DEUM ut Patrem & dominum accedat, cum timore ac tremore Psal.2. Phil.2. Hoc igitur incentivum licet sit longè efficacissimum; tamen adhuc nos urget nostra indigentia-

tia. Ad Davidem, qvando spes erat, fore ut mox ad clavum Reipubl. constituatur, se conferebant omnes angustiâ pressi 1. Sam. 22, 2. multò magis ad DEUM dominum omnis carnis, & Regem Regum accedamus cum fiduciâ, ut ita impetremus gratiam. Dies autem angustiæ & mali vel est in animo vel corpore, vel est dies angustiæ ratione malorum spiritualium vel corporalium. Tu igitur, qvi animo deficis & morti vicinus es, accurre ad hanc vitam; qvi eges, accede ad has divitias; qvi ægrotas, veni ad hunc medicum; qvi opprimeris, veni ad hunc redemptorem: sed veni, dum est adhuc dies angustiæ, hoc est, tempus gratiæ, qvo affligeris. Nam postea, qvando erit nox, qvâ nemo potest operari Johan. 9, 4. occlusa erit janua Matth. 25, 13. & frustra pulsabis sidera tuis qverulis vocibus cum divite epulone Luc. 16, 17. & hæc est à nobis miseris effundenda oratio: qvæ verò jam porrò speranda liberatio?

SECUNDA PARS.

DIcunt illi Emmaunta proficiscentes, licet falsò; sperabamus futurum, ut ille Jesus Nazarenus liberaret Israëlem, sed nondum id apparet Luc. 24. falsò inqvam, qvia qvi liberaverat eos, jam unà ibat. Nos igitur rectius & firmius credamus, qvum alios juverit DEUS in qvibuscunq; calamitatibus, non posse fieri, ut jam manus ejus sit abbreviata, Num. 11. Esa. 59. Ita enim promittit omnipotens, *eripiam* seu eruam *te* חלצ exuit, expedivit, ut cum vincto deminus vincula. Jam vide, unde auxilium nostrum? à Domino videlicet, qvi fecit cœlum & terram Ps. 121, 2. qvi est adjutor in oportunitate Psalm. 9. nam vana est auxiliatio humana Psal. 108, 13. vide qvantum præstet hic Rex regi Israelis, qvem, cum in summis angustiis inclamabat qvædam mulier, serva me, mi Rex: respondet, qvi possum? num ex area, an torculari? 2. Reg. 6, 26. nostro autem Jehovæ sunt exitus, etiam contra ipsam mortem Psal. 68, 21. Et jam vide, qvantum auxilium nobis promissum, non in unum diem aut horam, sicut blasphemè finxit Lucianus, DEUM ad certam diei cujusq; horam attendere ad preces hominum, postea securum ævum agere, & si qvis fortè tunc veniat oratum in tempore, impetrare aliqvid, reliqvos incassum plorare, & nihil reportare. *Eripiam* inqvit, qvandocunq; opus fuerit, & ex qvâcunq; afflictione. Eripuit hic promissor liberalis Noachum ex diluvio, Lothum ex incendio, Abraha-

mum ex Regis odio, Josephum ex carcere, Mosen & Israëlitas ex ergastulo, Davidem ex Saulis manibus, Hiskiam ex mortis faucibus, Petrum ex desperationis periculo, Mariam Magdalenam liberavit à Diabolo, vide Hebr.11. Syr.44,45.46.47. Eripit idem hodie multos terrâ ac mari, & non derelinqvit, qvi confidunt in eo. Eripiet verò tandem suos ex omni malo Luc.18,7.8. Jam considera qvoq; qvòd sit illud auxilium promissum valdè promptum. Ne qvidem semper manet Deus, dum rogetur; sæpè antevertit, & omnes ad orandum incitat hâc suâ promissione, *Eripiam te.* Gideon à DEO constitutus populi liberator, ubi clanxisset saltem buccinâ, convocati Abi Hezeritæ secuti sunt eum Jud.6,34. Qvantò igitur promptius accurrere debent omnes afflicti? qvum DEUS buccinâ verbi Es.58,1. Jerem.4. per præcones curat homines ad se vocandos; præsertim ii, qvos DEUS Pater juvit, ut notat Hebræum nomen: ita futurum est, ut reportent tandem victoriam. Sed qvum in futuro dicit, *Eripiam te*, etiam illud discis: etsi differt auxilium, non tamen aufert, modo sit, qvi sufferat: si non in hâc vitâ te eripit, certè eripiet in alterâ, ubi omnes lacrymas absterget suorum, & qvos ad momentum dereliqvit, æternùm solabitur Esa.54,7.8. qvemadmodum patet de Lazaro Luc.16. Tu igitur tantùm confide, qvandò moram fecerit, veniens veniet, & non tardabit, Hab.2. Psal.27. Qvem autem liberat DEUS ille fortis? eripiam *te*, qvi me invocas in nomine filii, & vota tua solvis excelso; qvi ergà DEUM piè, ergà proximum justè, erga teipsum castè vivis Tit.2,12. Abraham, Lothum eripit, qvia frater ipsius est, & sanguinis conjunctione ipsum attingit: Sic Christus liberat fratres suos, & qvotqvot ipsius vestigia insistunt Psal.145,18.19. 1.Petr.2. ac secundum voluntatem DEI petunt 1.Joh.5,14. Atq; hactenus hîc est notanda DEI promptitudo, & promissionis certitudo.

TERTIA PARS.

QVando autem impetrarunt pii, qvid tum restat? Parentes Simsonis, audito, nasciturum sibi filium, qvi redimat Israëlem, DEO agunt gratias, & sacrificium offerunt Jud.13. Nos itaq; longè justius jam eruti à tanto Redemptore, grates persolvimus, & juvencos labiorum nostrorum offerimus Hos.14. Hebr.13. hâc de re ita præcipit noster Psalmista, vel potius DEUS per eum: *& tum glorificabis me*, gloriam mihi

mihi tribues, & profiteberis, te mihi tuam salutem, rem, decus & omnia debere soli, mihi ob justitiam, misericordiam &c. deberi gloriam; tibi autem faciei confusionem: illa enim duo membra hîc possunt tractari, humanæ indignitatis confessio, & divinæ benignitatis professio: qvis enim DEUM glorificare jubetur? ille qvi est DEI populus, & Israël Psalm. 50,7. qviq; opponitur improbo vers. 16. ille qvi qvàm maximè suam indignitatem agnoscit Psalm. 106,2. Dan. 9,5. 18. 2.Cor.12,9. Qvantum enim homo sibi detrahit, tantum DEO tribuit, & contrà. Proinde, ut non placent DEO illi confidentes sibi ipsis, dum orant Luc.18. ita nec ritè gratias agere qveunt, qvi se esse indignos DEI gratiâ non profitentur: contrà ut is, qvi se accusat, à DEO excusatur; ita & ille, qvi se servum inutilem esse confitetur Luc. 17. DEO grata dicere & facere potest, ut paret exemplo Dan.cap.9, Nos enim nihil meremur, nisi iram & pœnam; sed qvod nondum sumus consumpti, summæ misericordiæ divinæ est Thren.3. illam igitur exaltemus & deprædicemus, qvamvis ejus majestate condignam gratiarum actionem fundere neqveamus Syrach.43,32.34. Fit verò hac gratiarum actio *primùm corde*, beneficia Dei admirando ac magnificiendo: *deinde ore & verbis*, apud alios eadem prædicando & extollendo: *tandem opere & factis*, piè vivendo. Sicut enim malâ vitâ nomen Domini dicitur blasphemari 2.Sam.12. ita contrà DEUS glorificatur Matth.5,16. per bona opera 1. Petr.2,12. qvæ sunt velut sacrificia encharistica in Novo Testamento Roman.12. Hebr. 13. 1. Petr. 2,5. Et qvemadmodum hæc in Veteri Testamento erant vel publica, vel privata ratione offerentium: ita in Novo Testamento ratione locorum, ubi funditur talis gratiarum actio, est vel publica vel privata: utraq; autem dat DEO laudem justitiæ, qvando considerat promissionis impletionem; laudem omniscientiæ, qvando perpendit amoris divini inclinationem & durationem: laudem potentiæ, qvando respicit ad liberationis ac periculi magnitudinem. Dicamus igitur & nos liberati: illi Regi totius mundi, incorruptibili, invisibili, soli sapienti & potenti

sit honor & gloria in seculorum secula, Amen.

1. Timoth.1,17.

DO-

DOMINICA VOCEM JUCUNDITATIS.

Prov.30,7.8.9.

SAlomo in templo suo duas columnas erigebat, qvarum dextram יָכִין i.e. stabiliet & sinistram בֹּעַז i. e. in ipso robur est, ut illas in porticu templi adorantes respicerent, & cogitarent, Deum promisisse se erecturum & stabiliturum suam Ecclesiam per eum, qvi esset omnipotens, seu filium suum. Confer 1 Reg.7,21. Luc.1, 69.54.55. atq; ita orarent cum fiduciâ, per & propter illum Dominum se exaudiri Dan. 9. Idem fere duobus nominibus à se factis ex instinctu Sp. S. Christoq; impositis indicat Salomo Proverb.30, 1. ubi eum vocat אִיתִיאֵל id est DEUS fortis & אֻכָל potens, ut in ipsius nomine tutò audeamus omnia petere Johan.16. qvod ipse suo exemplo ostendit ibidem v. 7.8.9. Sapientissimi, à Christo, qvi est sapientia Patris, qvando abiimus, hæc est oratio, & proinde digna, qvam velut exemplar imitemur, qvod ut fieri tantò rectius possit, considerentur jam tres ejus partes

I. *Præfatio*
II. *Oratio,*
III. *Ejus ratio.*

Domine, doce nos orare, Luc.11,1. & in te DEO vivo sperare 1.Tim.6,17.

Prima Pars.

MOses suis precibus hoc tandem impetrabat, ut terram sanctam eminus adspiceret: Nos possumus exorare, ut in hâc vitâ Deum videamus, ejusq; voluntatem in scripturâ cognoscamus: nam sermo DEI purgatissimus est, scrutumq; recipientibus se ad eum v. 5. Inde Salomo edoctus, qvid potissimum sit petendum à DEO, ita nobis præit, DEUS, Domine cœli & terræ, duo mihi dedisti, corpus interiturum: & animam immortalem, ut utrumq; rectè curetur, meum est votum, proinde *duo peto abs te,* & qvidem uti decet hominem pium magnâ cum confidentiâ: *ut non prohibeas* illa *à me,* sed mihi concedas *tantisper dum vivo,* & nondum morior. Nam si illa in hâc vitâ possedero, ad alteram certissimè pervenio, & de morte in regnum cœleste transeo.

I. Loc.

I. Loc. Commun.

DUo qvotidie sunt cogitanda, DEUS & proximus in Decalogo, duo Domini, DEUS & Diabolus, Matth.22. Cœlum & infernus, duo animarum post hanc vitam receptacula in Symbolo Marc.16,16. Johan. 3,18. Duo gratiarum genera nempe positivarum & privativarum, & duo bonorum genera spiritualium ac corporalium in oratione dominicâ Matth.6,9. Duo in Sacramentis, elementum terrestre & res cœlestis, imo duo Sacramenta 1, Joh.5,6. duo Testamenta 2. Cor.3, Gal.4, 24. duæ partes hominis essentiales, & duæ vitæ spirituales, altera hujus, altera futuri seculi. Hæc cogitans Salomo duo petit, & nos, ut ea curemus, monet. Die ultimo hebdomade Israëlitæ cibum in duos dies sibi comparabant, Exod.16. Nos qvocunq; die (qvia nescimus, qvid serus vesper vehat, & an adijciat hodiernæ crastina summæ tempora, Jova bonus) hâc vitâ id discamus, & reponamus in animæ thesauro, qvod perduret in cœlis, & vitâ alterâ, uti monebat Salvator Matth.6,20 nunc cibemus animum cœlesti mannâ Joh.6. ut vitâ æternâ cum Abrahamo, Isaaco, & Jacobo perpetuò discumbamus Matth.8.

II. Loc. Commun.

ORatio debet esse ardens flagitatio, qvod verbum hæbræum עִתָּר innuit, hoc est, fiat in Spiritu & veritate Joh.4. DEUM qvasi constringat, ut David Psal.27,8. facit. Confer Jacobi luctam Genes.32, 26. Oratio justi plurimum potest, si fuerit seria Jacob.5,16. qvod probat exemplo Eliæ claudentis & recludentis cœlum suis precibus 1.Reg.17.& 18. vid. Syrach.35,20. & qvid multis? precum efficaciam commendat vates Regius Psal.141,2. Christus Luc.18,1. Paulus 1.Thess.5,17.18. Jacob. c.1,5. Dum verò David comparat preces sacrificio, id autem in V.T. sæpissimè cœlitus fuit accensum Gen.4. & 15. Judic.13. 1.Reg.18.&c. id docetur, neminem posse ita precari, ut in cœlum pertingat oratio, & placeat, nisi cœlitus fuerit ipsi datus Spiritus sancti ignis.

III. Loc. Commun.

QVando Salomo dicit, peto abs TE, & se refert ad eum, de qvo antea egit, monemur, qvorsum sit nostra oratio dirigenda in periculis: non ad homines, ipsorum enim auxilium vanum Psal.62. non ad demortuos Divos, qvi ignorant nos Esaiæ 63. multo minus ad Diabolum,

confugiamus; sed ad unicum & solum verum Deum Matth.4,10.Ps.50, 15. Ut omnia flumina in mare se exonerant; sic omnis molestia Deo reveletur ac commendetur. Salomonis dignitas etiam inde commendatur, qvòd ipse in excelso throno residens omnibus jus dederit: Verum multò magis hinc elucet DEI majestas, qvòd is populos totius terræ judicet Gen.18. Ps.67. Ideoq; pressi huc confugiamus, & nos nobis administrari petamus; si qvid deest, ab hoc divite Rege petamus.

V. Loc. Commun.

PEtendum est cum omni fiduciâ, fore, ut voti compotes reddamur, si secundum ejus voluntatem petamus 1. Joh.5,14. Joh.16,23. Jac.1,6. Hebr.4,16. vide Davidem contra Goliathum pugnaturum.

V. Loc. Commun.

SAlomo petit, sibi hæc dari, anteqvam moritur: Indicio est, post hanc vitam non esse locum precibus. Qvorsum ergo Pontificiorum purgatorium? ad hoc conducit, ut sit nummorum repertorium. Qvas vestes & calceos in deserto habebant Israelitæ, illa etiam in terram sanctam usq; durabant Devt.8,4. & homines opera sua sequuntur Apoc.14,13. nam qvalem te in morte invenio, talem te judico Luc.19,22. Eccles.11,3. qvam itaq; puritatem homo in hâc vitâ non habet, post illam aliorum operâ non adipiscitur.

SECUNDA PARS.

QVando Pharao Josephum jam proregem Ægypti fecerat, etiam de victu & amictu ipsi prospiciebat. Gen.41. Sic etiam Deus, qvando nobis jam constituit dare regnum Luc.12,32. etiam reliqva omnia, qvantum prodest, abundanter præbebit ad fruitionem 1.Tim.6,17. Primùm igitur id qværendum, tùm reliqva adjcientur Matth.6. si modò in filiali fiduciâ flagitentur. Hoc noverat Salomo, ideoq; bona animi prius petit, deinde corporis: non verò ita nugatur, ut ille stolidus Poeta, & multi cum illo cogitant.

Sed satis est orare Jovem, qui donat & aufert,
Det vitam, det opes, æqvum mî animum ipse parabo.

Sic orat Salomo, fac, ut pius sim in Deum, & probus ac bonus erga proximum; *Vanitatem* הבל id est, omne id, qvod est in sacris præter tui cultum verum, & præcipuè idololatriam, qvæ est res vanissima, qvippe

qvæ

qvæ occupata est circa vanitates vanissimas Jon 2,9. *& verbum ac rem* (דָּבָר enim utrumq; significare alibi prolixe probatum est) *mendacii*, qvo circumveniam proximum, *elonga à me*, qvàm longissimè à me amove, & fac, ut te ex puro corde colam, proximumq; sincerè diligam. Hæc sint animi, & potissima bona. Deinde, qvia sine bonis hujus mundi hanc vitam vivere non datur, & tàm in copiâ, qvàm inopiâ nimiâ possit homo grandi flagitio se commulare, te, Deus, rogo, *paupertatem* in qvâ omnium rerum egenus degam, vitamq; misere qvasi traham, *aut divitias* magnas *ne des mihi*, nam aurum multa multis svasit perperam. Qvid igitur vis? Tu DEUS es optimus paterfamilias, nosti qvid & qvantum mihi prosit: tu pro tuâ sapientiâ *ale me cibo cibo demensi mei* (חֹק enim aliqvoties demensum notat, & partem constitutam Levit. 10. v. 14. Gen. 47,22. Lutherus eleganter vertit, **daß mich aber mein beschieden theil Speise dahin nehmen**/ & vix scio, an elegantius verbum הַטְרִיפֵנִי qvòd טָרַף rapuit, reddi potuerit.) Nam si habemus victum & amictum, iis esse possumus contenti 1. Tim. 6,8.

I. Loc. Comm.

IDololatria, ut omnis mali fons, est omnium maximè fugienda. Ea autem est non tantùm, qvando idolum aliqvod aut numen fictum adoramus, sed qvandocunq; rem aliam Deo præstantiorem aut cariorem habemus: qvomodo Apostolus etiam avaros, qvi opes plus nimio diligunt, vocat idololatras Ephes. 5. seu idololatria, qvandocunqve homo confidit rei vanæ tanqvam æternæ, impotenti ut Omnipotenti, unde h. l. dicitur vanitas. Est enim maxima vanitas, relicto eo, à qvo sunt omnia, deficere velle ad alia, qvæ vel sunt ab eo, vel planè non sunt nisi nominetenus 1 Cor. 8,5. Vide autem prolixe descriptam idolorum omnium vanitatem Psal. 31,7. & 115, 4. Esa. 41,29. & 44,5 & 46,6. 7. Jer. 10,2. Dan. 5,23. Zachar. 10,2. Sap 13. & 15. Baruch. 6. Qvàm vanum erat, Sacerdotes Baalis eum invocare, & sua corpora lacerare? 1. Reg. 18. Qvàm vanum item Israëlitas vitulum pro Deo adorare? Qvàm non modò vanum, sed etiam inhumanum Moloch offerre suos liberos? ah qvorsum dementia multos perduxit miseros! qvando à vero DEO ad vanitates discesserunt. Merito igitur ex contrario oramus, Sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua.

II. Loc. Commun.

OMnium turbarum in mundo causa sunt fraudes & doli, sine qvibus nulla fit injuria: proinde rectè rogat Salomo animum erga DEUM pium, erga proximum candidum: & possumus hoc votum cum illis tribus ultimis in oratione dominicâ conferre. Qvando enim alios decepimus, rogamus, ut DEUS debita demittat; ne nos verò Diabolus decipiat, oramus, ne nos inducas in tentationem, ne alia mala nos seducant; ultimum votum, libera nos à malo, & remove à nobis rem qvamcunq; mendacii.

III. Loc. Commun.

DIvitiæ qvidem sunt donum DEI, veruntamen qvia

Difficilè est æqvâ commoda mente pati,

meritò deprecatur hoc respectu Salomo divitias maximas. Nam

Sapè solent auro multa subesse mala.

vide divites epulones Luc. 12. & 16.

IV. Loc. Comm.

DEUS magnus ille & prudentissimus paterfamilias, unicuiq; suum dat demensum & donorum & bonorum Matth. 25,14. Lucæ 19,12. videat modò unusqvisq;, ut benè sibi concreditis utatur, qvò possit rationem reddere Luc. 16,1. &c. Inservit hoc ad exhortationem, ut qvisq; diligenter munia vocationis obeat; ad αὐταρκειαν, ut qvisq; suâ sorte contentus vivat; siqvidem habet suum demensum. Qvòd si DEUS majori eum dignum munere viderit, facilè ad altiora evehere poterit, vide Josephum, Davidem, Estheram, Danielem. Interim qvisq; majora sene appetat Syr. 3,21. neq; aliis opulentiam magnam invideat Psal. 37,1.

— *licet sub paupere tecto*
Reges & Regum vitâ præcurrere amicos. Hor. l. 1. Ep. 10.

TERTIA PARS.

QVem hujus optatæ frugalitatis ratio? illa,

Medio tutissimus ibis, & ut ait ille,

Cui non conveniet sua res, ut calceus olim
Si pede major erit, subvertet, si minor, uret,

Ita enim pergit Salomo: divitias nimis magnas ne des mihi, ô DEUS,

qvi

qvi sum tuæ adminitionis severæ & humanæ perversitatis memor: tu dixisti Israëlitis, ne, qvum saturati, & omnia eorum bona aucta fuerint, efferat se animus eorum, & obliviscantur DEI sui, qvi dedit ea omnia Devter.8,10.11.12.13.14. sed nihilominus saginatus Jeschurum (sic dicitur Israël synecdochicè à יָשָׁר id est, rectus fuit vide Cap.33,5.26. Esaiæ 44,2. licet pleriq: à vero DEO recessissent) recalcitravit,adeò,ut diceret Deus, saginatus es,obesatus es,adipem obduxisti &c.Devt.32,15 neidem mihi contingat, has deprecor, *ne postqvam saturatus fuero, e-mentiar*, & non agnoscam ex manu DEI hæc esse omnia, sed meæ prudentiæ adscribam cum Nebucadnezare Dan.4. *ac dicam* cum Pharaone Exod.5,2. *qvis est Jehova?* non agnosco ullum superiorem: aut ne contrà, si ad nimiam egestatem redigar, & *pauper factus fuero, furer*, aliis sua bona vi vel palàm per latrocinia & rapinam, vel clam aut per furta abripiam, aut per dolos auferam, qvibus ut fides adhibeatur, perjuria addam, & prætexens nomen DEI meis cupiditatibus habeam, unde vivam, etiam arreptâ qvâvis pejerandi occasione (qvod phrasis Hebræa תִּפַּשְׂתִּי שֵׁם prehendam nomen, innuit) *abutar nomine DEI mei*, qvod gravi comminatione additâ in Decalogo est prohibitum Exod.20,7.

I. Loc. Commun.

VErum est, qvod dixit Salomo Prov.1,32. qvies fatuorum interficit eos, & tranqvillitas stolidorum perdit eos.Conf.Ps.73,5.&c. Jer.48 11. Job. 21,1. Soph. 1,12. exempla subjice Jeroboami ad regnum evecti 1. Reg.12. Amasiæ 1.Reg.14. Osiæ, Manassis, Nebucadnezaris, Herodis, qvi suâ felicitate sunt abusi: qvò etiam referri potest exemplum Davidis, de qvo prolixè 2.Sam.11. illud enim, eritis sicut Dii Gen.3. semper adhuc hominum mentibus inhæret, & proinde, si qvando fortuna lætior arridet, se ipsos extollunt,nisi DEUS cruce illos Spiritus deprimat. Psal.119,71. Vt enim prudentes hortulani luxuriam segetum, plantarum, vitium, arborumq; removent nimiam, ut ipsæ ferant fructum; Sic DEUS optimus ille agricola Joh.15.

II. Loc Commun.

ILli omnes DEUM abnegant, qvi non agnoscunt, eum esse solùm datorem omnium, ut illi, qvi suo reti sacrificant Hab. 1,16. dicuntqve

DEO; notitiâ viarum tuarum non delectamur Job.21,14.15. Ementiri autem dicitur improbus DEUM, qvia & ex libro naturæ & scripturæ novit, non tantùm esse DEUM, verùm etiam esse colendum: nam DEUS unoqvoq; mane jus suum edit in lucem: non deest Propheta, sed nescit iniqvus erubescere Soph.3,5.

III. Loc. Commun.

ETiam hinc liqvet, qvàm grande peccatum sit furari alii sua bona. Qvia enim DEUS ipse unicuiq; dedit suum demensum, id autem eripi, qvomodo placere posset summo patrifamilias, ita turbari in magnis hujus mundi ædibus. Alia autem furta sunt publica, ut expilationes & nimiæ exactiones subditorum à Principibus & Regibus factæ vid. Dan.4,24. qvibus tamen sæpissime prætexuntur alia jura à qvibusdam adulatoribus suggesta & pravè detorta vid. Prov. 30,15. Hos.4,18. Mich. 2,2.3.4. proinde sint illi memores illius, qvod scripsit olim Tiberius ad provinciarum præsides: Boni pastoris est tondere pecus, non deglubere. Alia autem sunt privata, ut Achantis Jos.7. Judæ Johan.12,6. Poterat his Dei vicariis & exemplum Dei misericordis, benefacientis omnibus, ejusdemq; præceptum, qvod debeant rectè judicare Psal.82. ac esse εὐεργέται Luc.22,25. sufficere. Tantum autem hoc visum fuit Salomoni flagitium, ut hoc potissimùm cum idololatriâ & mendacio voluerit deprecari.

IV. Loc. Comm.

ETiam temeraria juramenta, qvorum hodie apud multos nullus neq; modus, neq; numerus, qvo loco habenda sint, hinc videmus, nimirum sunt adeò detestabilia in oculis DEI, ut nihil supra. Si qvis Cæsaris, Regis, aut Principis nomine turpiter abuteretur, sine dubio crimen læsæ majestatis commississe diceretur: Et minori jure hic utatur summus monarcha, DEUS Optimus Maximus? O cœcitatem hominis! O lenitatem numinis! qvòd non statim, ut illi sua fulmina mittit, sed spacium resipiscendi concedit. Qvisqvis igitur hactenus furatus est, ne furetur deinceps Eph.4,28. qvi temerè juravit, ne amplius ita nomen Dei in vanum usurpet Exod. 20. sed suâ sorte contentus ἀλήθειαν semper cogitet, qvam hîc optat Salomo. Nos suspiremus qvotidie cum Augustino: Domine, da mihi nosse te, nosse me, da, sic vitam nostram transigamus, ut æternùm apud te degamus.

DO-

DOMINICA EXAUDI.

Psal. 143, 10.

QVum nos, qvid potissimùm petamus, nesciamus Roman.8. haud scio, an hoc, qvid potissimùm oremus, dilucidius nobis & rectius qvicqvam præmonstret, qvàm à Salomone habita oratio, & à DEO addita approbatio 1.Reg.3. Qvando enim ipse Gibeone sacrificaverat, & mille holocausta obtulerat; dat DEUS ipsi optionem, petat qvodcunq; velit: ille verò neq; vitam longævam, ut voluptati dediti, Luc.12. neq; divitias amplas, ut avari 1 Samuel.25. neq; honorem, ut ambitiosi Matth.20. neq; suorum inimicorum vitam, ut iracundi Luc.9. rogat: sed animum intelligentem, ut possit discernere bonum & malum. Sic nos ut simus DEO cari ac dilecti filii cum Salomone, 2.Sam.12, 24.25. amemus etiam DEUM cum ipso 1.Reg.3,3. ambulando in statutis Davidis, Patris ac fratris nostri Jesu Christi, & pacem ab eo qvàm maximè præscriptam Joh. 13, 14. 15. colamus (ut ita omen nominis Salomonis habeamus) deinde in monte (Gibeon enim si ἔτυμον spectes, notat editum collem) DEI seu Ecclesiâ, nostra sacrificia offeramus, ardentem fide orationem, & seriam gratiarum actionem Psal.141,2. Non autem petamus illa potissimùm & primò, qvæ ad hanc vitam tantùm spectant; multo minùs, qvæ ex pravo carnis affectu proveniunt: sed animum rectum & Spiritum sanctum, Luc. 11,13. qvi solus potest ducere in omnem veritatem Johan.16. præit David in Psal. 143, 10. seqvamur tanti Regis ac Prophetæ ductum. Membra possunt constituti duo, dum docemur. qvæ roganda potissimum.

I. *DEI veritas allucens.*

II. *Spiritus sancti bonitas docens.*

Domine, nos erramus ut oves Esa.53. Psal.119. ult. verum ignorando Rom.3. bonum non appetendo Psal. 14. Tu autem per desertum Israelitas in terram sanctam columnâ ignis & nubis duxisti: nos igitur etiam ad te suspirantes, per desertum hujus mundi vagantes, scripturæ igne illumina & rore satia, ut pede inoffenso pergamus usq; in diem Jesu Christi Phil.1,10. & perveniamus ad civitatem Dei viventis, cœlestem Jerosolymam, ac myriadas Angelorum Hebr.13,22.

PARS

PRIMA PARS.

RECtissimè senior Heli ita instruit Samuelem, ut, qvum DEUS ipsi appareat in somnis, respondeat, loqvere Jehova, qvia audit servus tuus, 1. Sam. 3, 9. & nos à presbyteris nostris, qvi nobis viam ad cœlum & excelsum DEI montem monstrant (עֲלֵה enim ab עָלָה, ascendit, rectè potest derivari) qvi volumus non tantùm audire, sed etiam esse Samuelis, qvi audiant DEUM, & ab ipso audiantur Judic. 9, 7. moniti, hoc non in labiis, sed præcordiis ratum habeamus promptitudinis nostræ devotum obsequium, loqvere & præcipe Jehova, qvia nos servi tui obediemus. Talis DEI servus erat David, vir qvidem secundum cor Dei Actor. 13. sed tamen nondum in hac vita perfectus: unde severitatem judicii divini deprecatur Psal. 143, 2. & se nihilominus à DEO exaudiri petit v. 1. præcipuè autem petit se eripi ab inimicis suis, qvia apud DEUM sibi esse latibulum firmiter sperat v. 9. Psalm 91, 1. &c. idqs beneficium ut sit proprium & diuturnum, petit, se tegi & regi, doceri & gubernari; *doce me*, sis mihi magistri loco, qvi erudit discipulum suum, verum, rectum, atqs decens præmonstrando & doce me, non tantùm scire, sed etiam facere (qvi enim scit bonum, & non facit, peccatum est ei, Jacob. 4, 17.) *beneplacitum tuum* רְצוֹנְךָ deinen Wolgefallen/ ἐυδοκίας; & hoc flagito, non qvia mereor, sed qvia tu me tibi clientem effecisti, & servum tuum esse voluisti, qvia *tu es* DEUS, qvem non tantùm judicem totius orbis agnosco, sed Deus *meus* es, qvem fide verâ colo, & propitium mihi esse scio.

I. Loc. Comm.

IN his mundi erroribus, qvia opus habemus doctore, si qvis optandus est ex omnibus, is DEUS Opt. Max. est. Is enim est veritas; ideoqve qvi ipsius verbum sequitur non errat, aut mendacium amplectitur; est bonitas, ideoqs non invidet nobis qvicqvam illarum rerum, qvas scire debemus, imò unoqvoqve mane jus suum edit in lucem, Soph. 3, 5. est magnus ille doctor, qvi inclamat terram ab ortu solis usqs ad occasum ejus Psal. 50, 1. sed è Sione tamen perfectione pulchritudinis illuxerit v. 2. proinde petit David rectè; doce me, non modò documentis in naturâ extantibus, sed monumentis scripturæ certissimis, Psal. 147, 19. 20. Docemur enim potissimum libris, & hic qvidem sa-

sacris, qvi tantùm in Ecclesiæ thesauro. Discamus igitur ita orare in-qvocunq; malo; Deus doce me, qvomodo possim bonum mihi comparare, & malum vitare; ubi tu doces, ibi homo multùm proficit. Ita enim Moses statim fit disertus Exod. 4. David redditur fortis 1. Sam. 17. & 30. Psal. 144. Apostoli omnium linguarum & rerum sacrarum periti Actor. 2.

II. Loc. Commun.

SI David; vir ita à DEO illuminatus, & tam pius, necesse habuit DEum rogare, ut ab ipso doceretur; qvantò magis nos illum Doctorem nostrum fieri exoptamus? qvi non sumus tantis donis præditi; nos in ordine Ecclesiastico, doce nos, Domine, pascere Ecclesiam, qvam tuo sanguine redemisti Act. 20. in ordine Politico cum Salomone doce nos Domine, & da intellectum, ut possimus justum judicium ferre 1 Reg. 3. Psal. 72. in ordine œconomico probare illa, qvæ justa sunt & utilia Phil. 1, 10.

III. Loc. Commun.

NOn sufficit tantùm scire voluntatem Domini, aut dicere hypocriticè, Domine, Domine Matth. 7. sed oportet etiam facere Joh. 13, 17. & 15, 14. Proverb. 3, 3. & 22, 17. 18. 19. 20. & qvia non est in viribus humanis, siqvidem Deus dat velle ac perficere, Philipp. 2, meritò rogat Psalmista; doce me *facere beneplacitum tuum*, juxta legem piè vivendo, juxta Evangelium rectè credendo Joh. 6. Confer 1. Thess. 4, 3. Ephes. 5, 17. Joh. 6, 39. 40. Deus mavult obedientiam, qvàm sacrificium 1. Sam, 15, 22. Prov. 21, 5. Esaiæ 1, 10. Hos. 6, 7. Mich. 6, 8. Adde qvod rogemus, non ut nostrum beneplacitum, sed Dei fiat, ut in oratione Dominicâ petimus, & Christus præit Luc. 22, 42.

IV. Loc. Commun.

DOcemur, ob qvid exauditionem nobis polliceri qveamus, nempè Dei gratuita misericordia, & Christi meritum sunt illæ causæ, ob qvas Deus nos docet ac ducit; siqvidem servat hominem ob bonitatem suam, qvia bonus & rectus est Jehova, idcirco docet peccatores viam suam Ps. 25, 8. Imitemur ergò Davidem, & exaudiri cupientes Dei promissionem urgeamus Ps. 27, 8. qvia Deus meus es, proinde facias, ut luceat facies tua mihi Num. 6, 25. ut faciam, qvod tu vis, non qvod ego, qvod caro, mundus, Diabolus vult, sed tibi grata dicam, ac faciam soli.

SECNDA PARS.

SEd unde nobis tantum bonum obtingit? ut corpus sine spiritu nil agit, aut operatur; ita nec homo qvicqvam potest sine sacro spiritus sancti numine. Nam ut ille initio mundi omnia fovens Genes.1. & postea aspirans ossa arida vivificat Ezech.37. ita etiamnum humana corda mortua exsuscitat, tarda incitat, flectit qvod est rigidum, fovet qvod est frigidum, rigat qvod est aridum. Hinc adeò anxiè petit David *Spiritus tuus*, imò spiritus DEI & tecum, ô Deus, ejusdem majestatis & potentiæ, siqvidem verus Deus (qvod alibi prolixè probatur) & hic inde probarunt qvidam veteres, qvòd solus Deus nos rectè ducere ac docere qveat: & qvia etiam est ratione ministerii qvidam Spiritus DEI malus à Jehova 1. Sam. 16, 15.16.17. Spiritus tuus *bonus*, qvi bonus est essentialiter, & efficit in nobis omne bonum *deducat me* (תַּנְחֵנִי cujus verbi qvæ sit emphasis vide Psal.73, 24.) *in terra rectitudinis* per viam planam, ut non offendam, sed sine offensione tui, qvæ fit per peccata, aut alterius, qvæ fit per scandala, pergam ad metã mihi præfixam, & ita ἔννομος χριστῷ 1.Cor.9,21. sine magnâ ἀνομίᾳ. 1. Johann. 3, 4. rectus corde per imputationem justitiæ Christi inveniar Psal.32,1.2.11.

I. Loc Comm.

MUlti multa petunt, sed parum impetrant: ratio, qvia malè orant Jacob.4,3. Optat Tantalus & Midas divitias, Phaëthon majora viribus, Cæsar honores, Epicurus Voluptates: & si modò rem rectâ reputamus viâ, multi Christiani cum illis Ethnicis idem summum bonum sibi proponunt, & inqvirunt, falluntur autem plurimùm. Davidem audi, & intelliges, qvid sit petendum; videlicet Spiritus sancti gratiosa præsentia. Ubi enim illa, ibi alexipharmacum est contra omnia mala, ibi non metuit maris fluctus Petrus; non horrent flammas ignis tres Danielis socii; non timet hostem immanem David; non curat honores & delitias mundi Moses; non formidat mortem Paulus; non est animo malè, qvia adest lætitiæ dator; non cruciat odium, qvia cor inflammat hic sacer amor; non torqvet invidia, qvia affectum pravum correxit hujus gratia. Ad summam, in qvem Spiritus Dei gratiosè irruit, in eo omnis anxietas & calamitas corruit.

II. Loc

II. Loc. Commun.

VErùm multos hoc tempore Spiritus Dei malus agit, qvosdam ad avaritiam, alios ad libidines, plerosqve ad compotationes; sed horum omnium finis, excludi à vita æternâ Rom 6. 1. Corinth. 6. & nihil Christo cum Belial 2.Cor.6. & qvi non habet spiritum Christi, Christi non est, non potest eum rectè vocare suum dominum 1.Corinth.12. sed contrà tantùm, ubi est Spiritus, ibi est libertas 2.Cor.3. Hunc igitur ducem seqvamur, sic servitio exire licebit, & ad sancta sanctorum, in qvibus habitat Deus, pervenire. Moses enim deducit qvidem ad Sina, sed hîc Spitus per Novi Testamenti ministros ad montem Sion.

III. Loc. Commun.

SI David rogat, se duci per viam planam, pii possunt cadere, & offendere, qvod qvidam AnaBaptistæ negarunt. Via autem plana est, qvam Christus nobis fecit, qvia in alterâ illâ latâ tandem impingimus & perimus Matth.7. Faxit DEUS, ita per illam viam incedamus, ut metam in cœlis attingamus Phil.3. non cum uxore Lothi subsistamus, sed cum ipso ministerio Angelorum Psal.91,11. & Mal.2,7. Apocal.1, & 2.in montem Domini perveniamus & eripiamur, qvoniam hujus mundi Sodoma planè interibit Luc. 17.

Jova doce, ut faciam, qvod uult tua sancta uoluntas:
Nil nisi qvod sanctum est mens tua sancta jubet.
Viventemq́ bonus me spiritus ille gubernet,
Dirigat & gressum, qvâ via plana, meum,
Sic tua sectabor gnavus mandata Jehovæ,
Æternæ ut vitæ præmia larga feram.

DOMINICA II. POST TRINITATIS.

Ezech,33,11.

DAvid qvando contra Deum graviter peccaverat, ex superbiâ numerando populum; tres plagæ ipsi proponuntur, daturqve optio, ut unam eligat, famem, bellum, pestem. Is verò 2.Sam.24.v.14. ita rationem rectissimè deputat: Incidamus in manum Jehovæ; nam magnæ sunt miserationes ejus: in manum autem hominis ne cadam. Ita enim est, Deus est misericors Psalm.103. Joel. 2. Jon. 3. homines au-

tem crudeles, ut docet parabola Matth.18. & testantur exempla, ex qvibus unum libet jam adducere. DEUS precibus Elisæi permotus Syrorum exercitum scotomate percussit 2. Reg. 6. & Samariam deduxit, ubi qvum hostes suos concluſos videbat Rex Israëlis, dicebat: percutiamne? percutiam Pater mi? vide, Rex ille hostes suos, qvi eum jam non læserant, vi majori adductos, cupit interficere, & DEUS juratos suos hostes, homines dico, qvi peccatis eum qvotidie offendunt, cupit salvare, & qvidem æternùm. Verè magnæ sunt hæ miserationes, qvemadmodum Paulus eas miratur Rom.5. Incidamus igitur in manum illius, hoc est, accurramus in tempore gratiæ ut gratiam pro gratiâ accipiamus Joh.1. & inveniamus misericordiam tempore oportuno Heb. 4,16. qvòd ut tantò promptius fiat, consideremus DEI invitantis dulciſſimam hâc de re promiſſionem, qvæ est apud Ezech.cap.33,11. Partes possunt constitui duæ.

I. *Judicis DEI beneficium.*
II. *Hominis rei officium.*

DEUS vive, nos sumus in peccatis mortui Eph.2. Tu dicis, fac attendamus & pareamus, imò cum Mariâ matre tuâ omnia hæc verba servemus in corde Luc.2. & ut tu delectaris vitâ nostrâ Psal.30, 6. ita fac, ut & nostra oblectatio sit in te, Jehova Psal.37,4. sic futurum est, ut per verba tua, qvæ sunt vitæ Johan.6. non moriamur, sed mirabilia tua enarremus Psal.118,17. & qvia ut oves erramus, Psal.119. Esaiæ 53. tu Pastor animarum qvære, 1.Petr.2.Luc.15. & converte nos, ita convertemur Thren.4,22. imò ex morte in vitam transibimus Joh.5,24.

PRIMA PARS.

CElebratur Salomo, & amatur à DEO, qvòd non humanis affectibus abreptus vitam suorum inimicorum rogaverit, sed sapientiam 1. Reg.3. Etenim

Est vindicta bonum vitâ jucundius ipsâ,
Sed qvò qvis major, magis est placabilis iræ,

ita etiam cum alibi, tum hìc qvoq; hominum & Dei viæ sunt diversæ, Esa.55,8. Homo enim benefacit benefacientibus Matth.5. Deus autem etiam suos inimicos diligit Rom.5,1. Johan.4,10. sicut ipsum in verbo suo, tum alibi, tum hìc, satis disertè proponit. Ubi notanda dicti hujus mu-

munimentum & monumentum: id fit per jusjurandum datum, & DEI nomen explicatum. *Dic eis*, illis, qvi sunt in domo Israelis, sed non insistunt ejus vestigia; propterea immissurus sum illis plagas gravissimas: has ut caveant, jam tu, datus illis speculator, prænoneas de futuro malo, satis graviter addito sacratissimo juramento *Vivo ego* חַי־אֲנִי qvod ita malim cum Luthero, So wahr als Ich lebe/ ad majorem perspicuitatem, & aliis ad indicandam rei veritatem, qvàm cum Tremellio ac Junio, *ne vivam ego*, vertere, non tantùm ob causas à Buxtorfio allatas in thes. Gram. lib. 2. cap. 21. &c. m. pag. 543. verùm etiam qvia negandi particula hîc planè nulla extat, neq; subaudiri debet ex alio loco satis perspicuo. Deus igitur per suam vitam, id est, seipsum jurat Hebr. 6, 13. &c. Et ut ipse non potest decidere à sua essentia; ita neq; fallit hoc juramentum: qvia est *dictum Domini Jehovæ*, dictum hoc est & verbum προφητικὸν, sermo ex ore ejus emissus, & per Prophetas revelatus, & dictum est Domini ad servos, Imperatoris ac Regis summi ad suos subditos, ejus verò, qvi & essentiâ unus, qvod indicant hîc nominis Dei proprii literæ; & personis trinus, qvod innuunt, nominis אֱלֹהִים puncta ei subjecta, siqvidem est nulla sacrosanctæ Trinitatis persona, qvæ non hoc dicat, & testetur: Pater filium mittendo; filius veniendo in carnem & patiendo; Spiritus sanctus tantum beneficium annunciando. Qvid igitur est, qvod tantopere confirmatur? hoc qvod seqvitur, *si delector morte impii*. qvæ est sancta ἀποστροφὴ, & notat negativam propositionem, qvæ qvod ad hanc rem expressè habetur Ezech. 18. v. 32. ex qvorum locorum collatione id qvoqve liqvet, qvòd ille improbus seu רָשָׁע hîc intelligatur, qvi moritur æternùm מָוֶת, non qvi convertitur, & salvatur, ut hunc locum pervertunt qvidam Calviniani, & qvod non fiat sermo de morte corporali, facilè probatur, qvia illum omnes omninò etiam pessimi oppetunt, & illa non opponitur vitæ æternæ, qvam per pœnitentiam consequimur.

I. Loc. Commun.

MOses, qvòd non erat facundus, legationem à DEO sibi impositam obire recusabat, Exod. 3. & 4. sed rectiùs illi, qvi dicere neqveunt, qvod DEUS est loqvutus, qvales sunt, qvi biblia non legerunt, nec

alias artes & linguas necessarias ad tam arduum ministrorum verbi officium didicerunt: hi verò plerumq; se qvàm maximè ingerunt, & possunt, qvia posse videntur. Qvomodo verò illis competet; dic eis, qvi neq; ad virtutes exhortari, neq; à vitiis dehortari rectè alios norunt? nimirum sæpe, populo mi, qvi te ita ducunt, seducunt, Esa. 3, 12. & dum minùs necessaria tractant, utpote Græca, Latina, controversa &c. multæ non necessariæ allegationes & sæpe inconvenientes coram rudi populo, verè necessaria negligunt, qvæ faciunt ad ædificationem, nempe ad doctrinam verorum, refutationem falsorum, institutionem bonorum morum, correctionem malorum, consolationem infirmorum 2. Tim. 3. Unde notandum semper, *dic eis*, eis, qvos doces, ut illi percipiant qvæ afferuntur, & erudiantur ad salutem. Vide qvid sentiat hàc de novâ docendi methodo Paulus Apostolus 1. Corinth. 14, 6. 7. 8. 9. &c. Qvi unus Christianis longè pluris est, qvàm decem alii, coram mundo & in oculis suis magni.

II. Loc. Commun.

VIvo ego, dicit Christus Joh. 14, 19. ideò & vos vivetis, qvi creditis. Propterea enim Christus & mortuus est & resurrexit, ut & mortuis & vivis dominetur Rom. 14, 9. Vivit igitur Deus in glorià, nos ad eum accurramus, qvi sumus in miseriâ, invitati hoc juramento. Beati qvorum causà Deus jurat; infelices autem, qvi ne juranti qvidem DEO credunt, Tertullianu dictum est. Ecce qvid non faciunt Gibeonitæ, ut liceat saltem inter Israelitas vivere Ios. 9. & tu cum Davide non anheles ad Deum vivum Psal. 42. apud qvem est gaudiorum amæniſſimorum satietas Psal. 16. Qvod si autem, qvàm verè Deus vivit, hæc invitatio Dei est vera ac seria; & si hìc est juramentum veracissimi Dei, qvà fronte audent Calviniani Deo simulationem hic attribuere? Iosua noluit suum juramentum, qvantumvis non omni ex parte legitimum, revocare; & Jesus noster, qvi venit salvatum qvod periit, ita homines luderet?

O cæcas hominum mentes, & pectora cæca!

III. Loc. Commun.

IDipsum, qvod dicunt ministri verbi ex Scripturâ, est verè verbum Dei. 1. Thess. 2, 13. qvod innuunt istæ crebræ formulæ; sic dicit Dominus. Verbum Jehovæ &c. Monentur igitur, ut si qvid loqvantur, loqvan-

qvantur ὡς λογία τῦ Θεῦ. 1. Petr. 4, 11. tam in lege, qvàm Evangelio Confer cap. 18. Ezech. & 34. & conentur, qvantum fieri potest, cum Paulo, ne qvicqvam extra ea dicant, qvæ dixêre Prophetæ & Moses Actor. 26, 22. hoc est, verum sensum indagent, populo explicent Nehem. 8, 9. & exponendo sensum, dent intelligentiam per Scripturam ipsam. Si autem illud verbum est domini, ab hominibus Servis ejus est audiendum; si est Jehovæ, est veri DEI, essentiâ unius & personis trini. Neqve enim Christus aliud dixit, qvàm Pater sentit Joh. 1, 18. neq; Spiritus sanctus aliud literis sacris consignandum curavit, aut prædicari voluit, qvàm ipsius Dei de salute generis humani consilium Act. 20, 20. 27.

IV. Loc. Commun.

DEUS non vult ullum hominem absoluto suo decreto perire 2. Pet. 3. sed omnes salvari, & ad agnitionem veritatis pervenire, 1. Tim. 2. ut neq; Calviniani, neq; Huberus, (illi in defectu, hic in excessu peccans) hic qvicqvam præsidii suæ causæ inveniant. Non enim DEUS ex se delectatur, qvæ est ἔμφασις verbi יהוה, sed voluntate consequente ex justitiâ, qvando misericordia oblata nefariè spernitur, mortem impii vult, qvem tamen voluntate antecedente mori non volebat, imo non delectabatur eum ita perire. Verùm, qvòd non omnes salvi fiant, in causa est, qvòd ille amor DEI sit ordinatus, & certa qvædam media includat, qvemadmodum hoc ipsum Joh. 3. explicatur, Eph. 1. & alibi.

V. Loc. Commun.

QVando fit mentio יהוה, is autem non tantùm est Judæus, verùm etiam gentilis seu Ethnicus; facilè videmus, vanum esse illud Calvinistarum effugium, hæc de Judæis tantùm dici. Nam qvæcunq; Scripta sunt antea, ad nostram doctrinam sunt scripta, Roman. 15, 4. &, si DEUS non vult mortem Judæi impii, qvomodo potest velle Ethnici, qvum gentes in locum Judæorum successerint in Novo Testamento Rom. 11. Hinc jam instituatur Calvinistarum ἔλεγχος. David olim dolebat populo DEI maledici, 1. Samuel. 17. qvidni verus Christianus commoveatur, qvando audit DEUM ipsum ita blasphemari, qvasi illud summum bonum sit summi mali & æternæ hominum damnationis causa? Mirum non esset neq; iniqvum, si Deus illos blasphematores statim æternùm damnaret: sed pro suâ immensâ bonitate etiam illos

in-

invitat ad pœnitentiam Rom. 2. Confer historiam Levit. 24, 10. qvod autem sit hæc blasphemia, satis liqvet ex hoc loco: Qvando enim DEUS mandat, *dicite*, ita contradicentes asserunt, DEUS non vult omnibus suum verbum prædicari. Utri Christiani creditis, qvando DEUS juramento adhibito, qvod omnis controversiæ finis, Heb. 6, 17. asseverat, non delector morte impii? illi, DEUS, inqviunt, ab æterno homines æterno exitio destinavit, imò propterea, ut damnarentur, condidit. utri credimus? nimirum magis soli DEO veraci, qvàm tali Calvinianorum turbæ fallaci.

SECUNDA PARS.

HÆc fuit DEI non fucata benivolentia: qvæ verò contra reqviritur ab homine in DEUM reverentia? declaratum est DEI beneficium; addatur etiam hominis officium. Israëlitæ ex Ægypto mirabiliter educti, qvando iterum eò redire cogitabant, cum jam propinqvi erant terræ promissæ, coguntur, DEO jubente, retrocedere à viâ suâ, Num. 14. sic etiam homines ex regno Diaboli in baptismo protracti, qvandò denuò cum mundo impio colludunt, & vias malas insistunt, si velint in cœlum pervenire, retrorsum vela dare atq; iterare cursus relictos coguntur, hoc est, qvod dicit hic per Prophetam Dominus, non delector morte impii *sed* כִּי אִם (iterum est ellipsis pro affectu serio dicentis, qvi vix verba reperit, qvibus illum exponat,) delector, hoc est, meum beneplacitum & summa εὐδοκία *qvum revertitur* בְּשׁוּב ἐν τῷ ἀποστρέφειν (sicut propriè usurpatur ἐν τῷ ὑποστρέφειν αὐτὸς Lucæ 2. 43.) qvod hoc loco in bonam partem sumitur, de salutari pœnitentiâ ratione termini à qvo, nempe à viâ malâ ad DEUM, sicut contra idem verbum eodem modo constructum Ezech. 18, 24. in malam accipitur partem de ἀποστασία sancti alicujus seu justi. Vbi nota contra Zanchium, qvi præter morem suum ibi seqvens versionem vulgatam, si averterit se, hinc vult probare, conditionalem propositionem ex se nihil ponere, qvum tamen nulla conditionalis particula in textu avthentico reperiatur: & contra Bellarminum, qvi lib. 4. de justific. Cap. 2. hinc vult probare promissiones Evangelicas esse conditionales, qvum etiam ibidem vers. 21. qvem ipse citat, non extet אִם sed כִּי, id est, qvando. Sed his obiter notatis, pergimus in textu, qvi ita habet; qvum re-

revertitur *improbus à viâ suâ*, & actione prorsus malâ, in qvâ velut viæ ferè induratus est, siqvidem sæpius ad idem & similia flagitia redit, & ad eundem offendit lapidem, vide Ps. 1. v. 1. *ut vivat*, qvi erat in suâ illâ malâ viâ moriturus, qvippe qvæ abducit ad interitum Matth. 7, 13. sic itaq; identidem inculcent verbi ministri *revertimini*, *revertimini vos*, qvi à DEO per peccata longè recessistis Esa. 59, 2. Lucæ 15, 13. aversi *à viis vestrù illis malis* רָעִים qvod nisi feceritis, æternùm peribitis. *Cur autem*, qvum possitis vivere per pœnitentiam (de vi interrogationis rhetoricæ dictum est Ps. 2, 1.) *morieremini domus Israelis*, vos qvi estis in Ecclesiâ & hæc audivistis? Cogitate, qvàm sitis in DEUM & vos ipsos injurii? atq; in melius vestra consilia tandem referte.

I. Loc Commun.

DEUS, qvi hominem ad sui imaginem & immortalitatem creavit, per filium, vitam ipsam, ex morte redemit, & per spiritum sanctum ejusq; ministerium ex tenebris ad communicationem lucis eundem vocavit, qvomodo posset non delectari, si finem suum assequatur, & homines salvet? nimirum David celebratur qvidem, qvòd cum posset bis, non occiderit Saulem; at qvanto major est DEI clementia, qvi mortis æternæ reos vitâ donare delectatur? & verè hic dicas, qvòd sit longanimis, misericors, & multæ benignitatis Exod. 34. Sicut ipse de se voluit prædicari tum, qvando maximè se revelabat pro tempore Vet. Testamenti, & si diligentiùs Scripturam rimamur, videmus, nullum Dei attributum tam sæpè & tam valdè celebrari, qvàm hoc ipsum, qvod perpendens Augustinus exclamat: alii mirentur DEI potentiam, ego infinitam ejus suspicio misericordiam. Et sanè infinita est ratione *temporis*, qvia semper ratione peccantium nova. Thren. 3. ratione *loci*, qvia est in omnibus locis, siqvidem benignitatis tuæ, ô Jehova, plena est terra Psal. 119, 64. ratione *hominum*, qvia nulli absolutè denegat suam gratiam 1. Tim. 2. Delectetur jam Pharao enecare parvulos. Exod. 1. DEI delectatio est in vitâ servare Psal. 30, 6.

II. Loc. Commun.

QVî verò fit, cum DEUS velit dare omnibus vitam, qvòd maxima pars hominum moritur? qvia ad agnitionem veritatis nolunt pervenire, qvod DEUS reqvirit, 1. Tim. 2. qvod nolunt converti à viâ

suâ non bonâ, Esa.65,2. Delectatur DEUS, ut homo morti addictus vivat Ezech.16. sed tum, qvando se convertit à creaturis, ad qvas defecit, ad DEUM, à qvo secessit. Hoc converti igitur duos habet terminos, à qvo & ad qvem: prior sunt mala seu peccata, à qvibus per contritionem recedimus, posterior est summum bonum seu DEUS, ad qvem per Christum fide accedimus. Et nota, nonnulli qvandoq; à malis desistunt, sed non usq; ad Jehovam revertuntur; verùm in bivio velut consistentes, facili negotio ad priora redeunt. Vide 2.Petr.2, 20.21. 22. Joel 2, 12. Conversio ergò sit vera, ut DEI comminatio est severa: nam pleriq; homines convertuntur, ut arcus fallax Psal.78,57. Hos.7,16. Ut enim arcus jam intentus, si subitò & repentè aliqvo pacto corrumpatur, omnem sagittarii exspectationem fallit: sic isti homines, ex parte mundani adhuc, licet priùs suâ hypocrisi præ se ferrent aliqvam fidem, & verè bona opera; tamen statim iterum redduntur inutiles, & non ferunt fructum DEO placentem. Ita conversus fuit Achab 1. Reg. 21. Simon Magus Actor.8. qvi qvidem verè credidit, sed postea redit ad ingenium, avaritiâ dementatus. Sic Israëlitæ in deserto sæpiùs DEUM tentarunt Psal. 78, & Pharao Exod.6,7.8.9. verùm omnes tandem suo malo; siqvidem DEUS non irridetur Gal.6, 7.

III. Loc. Commun.

NOtat alicubi Dominus Chemnitius p.1. L. C. in loco de libero arbitrio. pag. m. 458. triplicem esse viam in conversione hominis 1. *Mandatorum Dei* Psal.119,32. & *justorum* Ps.1,6. 2. *Viri*, id est, conatum in rebus externis Psal.37,5. & 35,6. 3. *Peccatorum* Ps.1,1. & 119,29. seu, est via *numinis, hominis & mali hominis ac omnis*; qvarum postrema hoc loco vocatur via improbi, cum improbus se convertit à viâ suâ. DEUS enim fecit hominem rectum; ipsi autem qværunt ratiocinia plurima Eccles.7,30. DEUS qvidem indicavit, qvid sit bonum Mich.6,8 sed pleriq; id non qværunt, ingemiscentes cum Psalmographo Psal. 73, 25. 26. verùm volunt qvocunq; alio bono frui potius Psal.4,7. Cum igitur homo ipse sit in intellectu cæcus, in voluntate pravus, imò plane inutilis, qvomodo ipse ex se aliqvid recti, aut viam bonam excogitaret? Convertatur igitur à viâ suâ malâ & insistat viam DEI bonam, qvi cupit vitam ingredi: suspiret cum Psalte ex Psal.139,24. vide Jehova, an ego ingrediar viâ tibi molestâ, & deduc me viâ perpetuâ.

IV.

IV. Loc. Commun.

ET hoc est, qvod semper à ministris verbi hominibus est inculcandum, qvemadmodum Prophetæ, Christus, & Apostoli à pœnitentiâ utpote maximè necessariâ suarum concionum fecere initium. Revertimini à viis vestris malis (dicant) vos avari; qvia avaritia est radix malorum omnium 1. Tim. 6. Vos voluptati dediti; qvia mundus præterit, & qvicqvid est in mundo, 1. Joh. 2. Vos iracundi; qvia ira non facit qvod justum est coram DEO, Jacob. 1. Vos intemperantes; ne vos Diabolus devoret, 1. Petr. 5. & judicium extremum imparatos offendat Luc. 21. Vos crudeles, qvia crudele judicium in vos exercebitur Sap. 6. Jacob. 2, 13. Revertimini omnes operantes iniqvitatem, ne experiamini judicii istam severitatem: Ite maledicti in ignem æternum, qvi paratus est vobis Matth. 25. nunqvam novi vos, qvia vos meas vias non novistis, Matth. 7. Qvod ne cuiqvam nostrûm in tempore iræ eveniat, qvisq; ad DEUM corde contrito ac fide verâ in tempore gratiæ veniat, Amen.

DOMINICA III. POST TRINITATIS.

Thren. 3, 21. 22. 23.

SI homines, qvi sunt naturâ mali, suis filiis Luc. 11. aut amicis, unde sperant retributionem Matth. 5. Luc 14. rogati bona dona dare possunt, & sæpè etiam precibus ac humilitate flecti ad misericordiam, ut inimicis qvoq; parcant, saltem ad tempus, ut constat de Saule 1. Samuel. 24, 17. &c. qvidni Deus, qvi est immensæ misericordiæ, qvum promiserit se habitare in corde contrito & Spiritu demisso Esai. 57. à se creatis filiis Mal. 2. imò per filium redemptis, & denuò adoptatis Joh. 1. Ephes. 1. ardentibus votis invocatus parceret, eosq; eriperet? Luc. 18, 7. 8. Qvando Benhadad Rex Syriæ in fugâ à suis servis hoc consilium acceperat, & seqvebatur, ut, qvia Reges domus Israelis essent reges benigni, imponerent cilicium lumbis suis, funesq; inderent capitibus suis, vitam suam conservabant, 1. Regum. 20, 31. 32. imò iste inimicus frater appellabatur, & in fœdus (qvanqvam minus rectè hoc fieret) recipiebatur. Nos qvando audimus qvotidiè ex DEI verbo regem cœli & palatii summi (accommodemus jam eò nomen אֲרַם qvod aliàs notat Syriam, & postea qvando aliqvid literarum additur, unde fit אַרְמוֹן id

id est, arx seu palatium) i. e. hominem ad Dei imaginem creatum & ad cœli hæreditatem vocatum, à DEO cum Adamo & Caino fugere, & Regem Israëlis, seu DEUM, esse benignum & multæ misericordiæ; imponamus nobis vestes lugubres, qvibus nos dolere de amissis peccatis ostendamus, & nos in cœlum peccasse confiteamur: ita futurum est, ut ipse pro suâ bonitate nobis condonet nostra peccata, 1. Johan. 1, 9. Hæc autem DEI benignitas multis in locis biblicis explicatur qvidem; tamen haud scio, an uspiam magis, qvàm Thren. 3, 21. 22. 23. Partes sint duæ.

I. *Qvalis esse debeat nostra fiducia.*
II. *Qvanta sit DEI clementia.*

Domine, tuum illud *Reqvirite faciem meam*, cogitat animus noster: propterea faciem tuam jam Jehova reqvirimus Psal. 27, 8. & cum Mose te videre gestimus, Exod. 33. ac cum Philippo dicimus: Christe monstra in miseriis nobis patrem, tunc sufficit nobis Joh. 14, 8. Hinc futurum est, ut rectè speremus, & velut anchoram animæ firmam & minimè fallacem apprehendamus. Hebr. 6, 19. qvando cum discipulis Christi in navi Ecclesiæ fluctibus ferè obruimur Matth. 8. tua bonitas est infinita: da cor, qvod hoc tuum encomium percipiat; linguam, qvæ aliis eloqvatur; & aliis, qvi audiunt, ut qvondam servis morigeris, aures perfora Exod. 21. digito tuo seu spiritu sancto, Luc. 11. qvi corLydiæ aperuit Actor. 16. ut ita hoc dictum imbibamus, ut semper inde solatium percipiamus.

PARS PRIMA.

QVando Jacob in terram sanctam tendebat, vir qvidam de nocte cum eo luctabatur: finis autem & eventus luctæ hic erat, ut Jacob novo, eoq; insigni nomine Israëlis donaretur Genes. 32. Deumq; vidisse in Peniel se sciret. Qvando & nos in cœlum, & veram illam DEI reqviem Hebr. 3. & 4. properamus; sæpè cum multis & magnis difficultatibus conflictamur, dum adhuc nox est qvædam calamitatis ac ignorantiæ: sed tamen tandem tentatio hunc sortitur exitum, ut possimus perferre 1. Cor. 10. imò calculum album reportemus tandem, cui nomen novum inscriptum Apoc. 2, 17. si modò apud DEUM & homines nos rectè geramus, nobis DEI promissa in mentem fideliter revo-

ce-

cemus, & cum Jacobo itidem profiteamur vers. 9. Tu Jehova, edixisti mihi, Beneficus sum futurus erga te; impar sum omnibus his beneficiis, totiq; illi fidei, qvam præstitisti servo tuo. Qvod hoc loco optimè monstrat Jeremias inter Prophetas afflictissimus. Recordando recordatur, & hæc jugiter in humiliatione sui meditatur anima mea, nempè illa duo, de qvibus in toto hoc threnorum libello, Ecclesiæ calamitatem & DEI benignitatem, seu humanam miseriam & divinam misericordiam. Ad illam qvoniam respicio & cogito, causam ejus esse peccata, cor meum qvidem condemnat me 1. Joh. 3, 21. & cogitationes conscientiæ meæ me accusant, Roman. 2, 15. sed ego spiritus DEI instinctu *hoc revoco in animum meum*, idq; mihi subjicio זֹאת אָשִׁיב אֶל־לִבִּי hoc respondeo ad cordis mei accusationes, qvod deinceps subnectam, & qvando illud piè ruminor, *propterea spero*, hinc spes nascitur in corde meo firma אוֹחִיל, cum fiduciâ exspectabo, etiam in summis doloribus, & non me subtraham, seu subducam cum desperantibus è conspectu Dei; sed morabor ἐν ὑπομονῇ. Qvæ verbi hujus ἔμφασις ex locis biblicis, ubi extat, cognatis vocibus, & interpretatione Novi Testamenti, facilè potest deduci. Lutherus: **Das nehme ich zu Hertzen/ darumb hoffe ich noch.**

1. Loc. Commun.

QVemadmodum Israëlitæ, nisi vellent errare in deserto, de die ad columnam nubis, & de nocte ad columnam ignis jugiter respicere necesse habebant: ita etiam homo Christianus, seu fortuna tonat, seu juvat, nisi huc oculos animumq; levet, semper à scopo suo aberrat. Ideoq; ad illam lucem, qvæ in verbo splendet 2. Petr. 1. se respicere in turbido calamitatum salo Jeremias ostendit, & exemplo discipulorum Matth. 8. Christum, qvi dormire videbatur, expergefacit suo clamore, & cum multitudine cogitationum, inter se conflictantium obruitur Psal. 102, 1. id unum ipsi sedet, hoc omnibus opponit unum, qvòd qvidem sit pauper & egens, sed tamen Jehova cognitionem de & pro ipso suscipiat Psal. 40, 18. Undè verò hoc fiat, indicatur, qvando dicit se meditari. Meditari plerumq; solemus ea, qvæ sunt scripta ad memoriam: ita etiam omnia qvæ scripta sunt, antè scripta sunt, ad nostram doctrinam, ut per patientiam & consolationem scripturarum

ſpem habeamus Rom.15,4. Ahasverus in Chronicis anteacta repetens, redibat in memoriam periculi, qvod evaſerat, & beneficii, qvod indici debebat, Eſth.6. Nos qvando legimus biblia conſideremus, unde exciderimus in Adamo primo, qvid ipſi ſimus promeriti, & qvid DEUS beneficiorum in nos contulerit, ac tum qvando de præteritis ſumus certi, de futuris benè ſperabimus.

II. Loc. Commun.

CUm dicit Propheta, ſe reſpondere hoc ſuo cordi, accuſationem & objectionem ejus præſupponit. Ita enim eſt, conſcientia mille teſtis; & prout eſt hominis religio, eſt ſpes ejus, & expectatio ejus, ut integritas viarum ejus Job.4,6. ſed tamen hic omnes, ſi ad normam legis nobiſcum agatur, deprecari ſeveritatem judicii neceſſe habemus cum Davide Pſal.143. & qvia ex nobis ſolvere non poſſumus noſtra debita, ad genua Regis provoluti, propter filium nobis parci, & condonari petamus Matth.18. Qvicqvid ita petierimus futurum eſt Johan.16. Non enim pater cœleſtis averſatur faciem uncti ſui ſeu Chriſti, qvemadmodum Saul, ille crudelis Rex, pro Davide intercedentem rejiciebat Jonathanem 1.Sam.20. In malis igitur qvid ſit cogitandum, hinc diſciſcimus, videlicet id, qvod in Pſal.22,5. dicitur, tibi confiſi ſunt majores noſtri, confiſi ſunt, & liberaſti eos; ſic etiam nos exemplum eorum imitati non confundemur; nos in aqvis periclitantes, revocemus in animum nobis Noachum, Moſen, Chriſti diſcipulos; nos qvibus per ignem incedendum, revocemus nobis in animum Lothum, tres Danielis ſocios; paupertate preſſi proponamus nobis Iſraelitas in deſerto ſuſtentatos & Chriſtum ipſum Matth.8,20. qvibus pœna indignè & propterea dolenda venit, videant Joſephum, Davidem. Qvos peccata premunt, ſubjiciant ſibi exempla Davidis, Petri, Mariæ Magdalenæ, & ad turbam publicanorum ac peccatorum ad Chriſtum properantium ſe conferant: ſic qvisq; ſibi contra ſuum malum ex DEI apotheca ſpirituali depromat remedium.

III. Loc. Comm.

SI qvis enim qværit, qvi factum, qvò minùs tale ſolatium non perceperit Cain homicida, Achitophel malevolus, Judas avarus ac proditor; in promptu reſponſum eſt, qvòd non revocaverint ſibi in memoriam Dei promiſſa, ſed tantùm perpenderint ſua flagitia admiſſa. Contrà

trà David homicida, rectè sperat, crudelis antea Manasses ardenter orat, Paulus, proditor Christianorum qvi fuerat, ad DEUM confugit, qvia in animum sibi revocant, qvæ in scripturâ sunt nobis consignata, & propterea sperant: spes autem non confundit; est enim qvasi funis triplex, dicente Bernhardo, qvo possimus elevari ad cœlum, nititur, DEI patris misericordiâ, Christi justitiâ, Spiritus sancti gratiâ. Hæc sunt illa, unde oritur nostra in Deum fiducia.

SECUNDA PARS.

UT autem in magnatum, regumq; Dei in terris vicariorum Psal. 82. Joh.10. titulis maximè excellit iste, vel Christo teste Luc.22,25. qvo dicuntur εὐεργέται; ita prima est in justificatione & conservatione nostri Dei misericordia, qvæ hîc multis exaggeratur, qvia ipsa ut fons & origo reliqvarum spectatur. Prædicatur qvidem illa Cyri insignis in populum Dei clementia, qvòd sine ullo λύτρῳ omnibus in terram suam redeundi potestatem faceret, imò reditum muneribus amplissimis juvaret Esd.1. verùm paulò post aliorum regum, eorumq; consiliariorum malorum technis atqve edictis illa gratia ad tempus valdè languescebat. At vide, qvantt hæc sit Dei benivolentia; tanta, qvanta ejus majestas Syr.2,23. qvæ sine dubio infinita. Noster Propheta eam describit ratione subjecti, objecti, temporis, & efficientis causæ חַסְדֵי יְהוָה *benignitatem* & indebitarum planè gratiarum, ut ita dicam & aliqvo modo vim vocabuli חֶסֶד efferam, qvod hoc loco de uno Dei attributo, (qvod non est in se plurale, sed ut Dei essentia una & simplicissima, unum est:) usurpatum notat summam, imò infinitam benignitatis excellentiam, siqvidem de eo nullum est dubium, qvin Spiritus Sanctus aliqvid peculiare isto plurali numero innuat, qvum singulare in usu sit, & DEO ipsi alibi tribuatur sæpissimè Psal.118, 1. & 136. viginti sex vicibus, ut alia plura taceam. *Benignitatis* igitur *summæ* & immensæ hoc *est*, & benignitatis, non hominis, qvæ facilè potest finiri aut mutari, sed *Jehovæ, qvòd* in tantis calamitatibus, qvas sumus perpessi, in vastatione Jerosolymæ & captivitate, aliisq; miseriis, *non sumus absumpti*: Heb. תַּמְנוּ sicut & Num.17. vers.28. & hoc qvidem pro primâ personâ pluralis numeri, ut ita hâc enallage indicetur, qvòd Propheta velut abominetur istas miserias, qvibus absumptæ sunt aliæ gentes, & illi Judæi, qvi adhuc DEO suo postea fuêre inobedientes, &

ex-

extra Ecclesiam piorum vivebant, sed ratio est, *qvòd non finiuntur miserationes ejus*, qvibus nos ut pater ac mater (ex qvorum viscеribus velut gignuntur liberi, qvod indicat nomen רַחֲמִים, ut alibi est declaratum) complectitur, ubi iterum numerus pluralis non caret suâ emphasi; tantum autem abest, ut finiantur vel desinant, ut *novæ sint singulis diebus manè*, & qvoties sol illucescit orbi, toties etiam nobis pateat gratiæ janua. Et qvid multis? non est nostrum hoc meritum, sed tua solius gratia, ô DEUS: *amplissima est fides tua* in promissis servandis, qvæ fecisti nullâ aliâ re, qvàm tuâ misericordiâ compulsus, & absq; illa foret, jam millies de nobis esset actum. Tanta est peccatorum nostrorum gravitas, tanta pœnarum acerbitas; ut meritò qvisq; pius hic cum Psalte exclamet: qvàm pretiosa est benignitas tua, DEUS, qvum filii hominum ad umbram alarum tuarum se recipiunt Ps.36,8.

I. Loc. Commun.

HInc elucet, qvæ sit DEI benignitas & majestas, ac nostra indignitas, felicitasq;, & qvæ DEI veritas. De benignitate primo paucis. Qvid Justitiarii suis operibus multum tribuunt, qvæ tamen sunt imperfecta Eccles.7. & debita. Luc.17. Benignitatum Jehovæ est, qvod ipsi sunt, & qvicqvid possunt. Qvid enim habes, ô homo, qvod non accepisti? 1.Cor.4. Qvid verò alii ita confidunt nimis hominibus, qvorum auxiliatio est tandem vana? Psal.62. & 118. & 146. Benignitatis Jehovæ est, si qvando à malis tuti servantur. Qvid item nonnulli suæ sapientiæ hoc adscribunt, qvando magnas calamitates evaserunt? non ita. Benignitatis Jehovæ est, qvòd non sint absumti. Et verè hoc dicimus de omnibus beneficiis Dei nobis præstitis; De Electione, qvod sit benignitatis Dei Eph.1. Roman.11. de creatione Mal.2. de regeneratione Tit.3. de vocatione Eph.2. Joh.10. de justificatione Roman.3. Ad summam, qvæcunq; sunt mala, Dei benignitas avertet rogata; qvæ sunt bona, dabit invocata: qvapropter expectationem habeat Israel in Jehovâ, qvia apud Jehovam est benignitas, & plurimum apud eum redemptionis Psalm.130,7. Si qvis enim modò est de lapillis, ex qvibus templum Dei ædificatur Amos 9. Eph.2. non auditur ei legis malleus Jer.23. non exscindens securis Matth.3. nec ulla plaga, qvæ debetur cervici ferreæ Devt.28. Confer 1.Reg.6,7.

II.

II. Loc. Commun.

SI autem hæc benignitas est Jehovæ, invaluit erga nos & fides ejus in seculum Psal. 117, 2. Ut enim Jehova non mutat, neq; mutatur Mal. 3. ita neq; ex parte DEI finitur hæc DEI benignitas. Confide itaq; in malis, ô homo, Jehova tecum, qvi non derelinqvet te Esaiæ 49. Jos. 1. Et si est benignitas Jehovæ, sufficit omnibus sola. 2. Cor. 12. & ad omnia; qvia est infinita, ut ipse DEUS: qvin etiam hæc benignitatis ubiq; locorum potest orari & sperari, qvia nuspiam est inclusa, nusqvam exclusa, ut DEUS ipse, Psal. 119, 64. Jehovæ autem facies benigna qvando præcedit, res omnis benè tandem succedit, ut in Israelitis videre est.

III. Loc. Commun.

SEmper à piis debet institui comparatio suæ felicitatis & infelicitatis impiorum, ut tantò magis ad gratiarum actionem excitentur; illos DEUS paternè castigat & erudit Prov. 3. Hebr. 12. Psal. 94. hos autem sinit ire viis suis, dum, qvia corrigi nolunt, corruant. Confer Davidem ac Saulem, Petrum ac Judam, qvâ de re satis benè loqvitur autor libri secundi Maccab. cap. 6. vers. 13. 14. 15. Et qvanqvam pii nil merentur, nisi iram; tamen ipsi non absumuntur planè, sed per ignem & aqvam calamitatum transeuntes Psal. 66. Esaiæ 43. salvantur: contrà improbi, qvi mensuram iniqvitatis jam compleverunt Genes. 15. perfectè perduntur (qvod indicat verbum Hebr. תָּמַם hoc loco, aliàs μέσον) ita ut nulla liberationis aut gratiæ divinæ spes restet; verùm in inferno æterno manere cogantur Psal. 49. Et hinc apparet, qvæ sit nostra indignitas.

IV. Loc. Commun.

VEruntamen ex DEI gratiâ magna est nostra felicitas, qvia non finiuntur miserationes DEI, non cum tempore ille mutatur, ut dissingat, infectumve reddat, qvod semel cæpit Psal. 68, 29. non finiuntur ad unum & alterum peccatum leviusculum: qvia in multis connivet, & dissimulat, Num. 23. Actor. 30. non cum benedictione externâ finitur miseratio: qvia adest in malis Psal. 91. Vide Jacobum, qvicum descendit in Ægyptum; cum Mose abit in desertum; cum sociis Danielis intrat ignis caminum; cum discipulis ingreditur mare; cum Jobo est in afflictione, ejusq; causam agit. Ratio autem est, qvia sunt

רַחֲמִים ardentissima dilectio, qvalis est στοργὴ parentum in filios, qvæ tanta, ut nullis verbis satis possit explicari. Adumbratur in Davide, deplorante suum immorigerum filium Absolonem, & ex Bathsabæâ primum natum, qvando lethaliter decumbebat. Qvî autem fit, qvòd non finiantur DEI miserationes? sunt singulis diebus manè novæ. Sol qvidem occidit qvotidiè & redit; at DEI miserationes semper sunt eædem, ὡσαύτως tamen dicuntur manè esse novæ: manè, qvia tum ardenter & cum devotione possunt homines orare, ut qvicqvid summo studio fit, in scripturâ manè fieri dicitur. (Vide Psal. 5, 4. Mich. 2, 1. Soph. 3, 5. 6.) & proinde DEI benignitatem hactenus declaratam impetrare. In Veteri Testamento qvotidiè manè agnus offerebatur DEO, Exod. 29, 39. nos vero qvotidie in nostris precibus DEO offeramus agnum DEI immaculcatum, ita manè eum ritè placabimus. Nam qvemadmodum olim oraturi respiciebant ad ortum; ita meritò manè, qvando sol diem reducit, ingemiscimus, ut sol justitiæ nos suis radiis foveat, & strictur æ qvædam Dei misericordiæ ad nos qvoq; pertingant.

V. Loc. Comm.

FUturum hoc est, si nos fiduciâ verâ Deum invocemus; qvia verax est, & se abnegare non potest Hebr. 6. & 10. Magna est fides Dei in servandis promissis, אֱמוּנָה firmitas & constantia in dictis & factis; præcipuè qvòd radix innuit, qvòd velit nos credentes salvare & sustentare. Nostrum igitur cor Deo suum promissum revocet in memoriam Psal. 27. ita ipse nos liberabit, & promovebit nominis sui gloriam. Qvod ut fiat, ex corde fideli in relatione ad illam אֱמוּנָה dicamus אָמֵן (vide Chem. in loco de fide, est nota applicationis.)

Hæc bonitas, pie Jova, tua est, tua summa voluptas,
Qvod non, ceu gentes, plebs tua clade perit,
Perstat in æternum tua commiseratio, & omni
Luce oriente nova est: causa? tua ampla fides.

DOMINICA IV. POST TRINITATIS.

Esa. 58, 7 8. 9.

DAvid è regno ejectus cum suis in ex ilio juvatur omnis generis rebus necessariis, à Scobi & Macir 2. Sam. 17, 27. idqve non tantum

tùm ad perpetuam rei memoriam in bibliis est annotatum, & semper celebratur (sicuti Christus de muliere, qvæ ipsum unxerat, dicit Matth. 26.v.13. verùm etiam sine dubio magnis beneficiis, regiisq; donis fuit compensatum; sicut legimus de Barsillai, qvi etiam cum iisdem Davidi de rebus necessariis prospexerat, & propterea in regiam aulam invitabatur 2.Sam.19,32. Qvod si nos imitemur hosce, proximo à DEO dilecto, nobiscum adhuc à Domino peregrinanti 2. Cor. 5, 6. benefacientes, ejusq; egestatem ex præcepto Dei tolerantes, nos qvi sumus Scobi (שׁוּב significat reverti, seu pœnitentiam agere) ad Deum conversi, qvi eramus filii Nachasch (נָחָשׁ serpentem denotat) à serpente seducti in & cum Adamo Genes. 3. 2. Cor. 11,3. Apocal. 12,9. & 20,2. & qvi sumus jam per alterum Adamum, seu Christum 1.Corinth.15. facti liberi, ac redempti precioso ejus sanguine, dato λύτρῳ Roman.3.qvi eramus macir. (מָכִיר est à מָכַר i. e. vendidit) sub peccatum venditi ad faciendum malum: qvam phrasin vide 1. Reg. 21,20.25. 2.Reg.17,17. futurum est, ut à Deo, qvi promisit, maxima reportemus præmia, & recipiamur in æterna tabernacula Luc.16,9. tum qvando ipse Christus suis præstita beneficia coram toto mundo prædicabit Matth. 25, 34. Hoc ut faciamus apud Esa. DEUS graviter monet & prolixè cap. 58. Nos qvædam inde ex vers. 7.8.9. videbimus, & qvidem duo.

I. *Ab homine præstandum officium.*

II. *A numine sperandum beneficium.*

Domine, nos qvi in nomine tuo convenimus, esurimus justitiam Matth.5,6. ad te omnium rerum Dominum accedimus, tu largiaris, nobis cum filio prodigo famelicis Luc.15. panem vitæ Joh.6. nos ex Paradiso cum Adamo ejectos Gen.3. introducas domum tuam, primùm in Ecclesiam, 1.Timoth.3,15. deindè cœlestem Jerosolymam Apoc 21.& 22. nudos nos Genes.3. justitiâ filii tui tegito Psal.32. Rom.4. & à carne tuâ (Assumpsisti enim semen Abrahæ Hebr.2.) ne abscondas te, ut ita per prædicationem & auscultationem verbi tui erumpat, velut aurora, lux nostra, qvi in tenebris mentis nostræ ex parte sedemus: ita futurum, ut, qvum facies tua ita illuxerit nobis, salvemur ac sanemur Psalm.80. ac gloria Jehovæ nos antecedat Esa. 60. nosq; in cœlestem patriam introducat Hebr.3. & 4. aperi labia docentis. ut annuncient tuam laudem

dem Psal. 51. aperi aures & corda auditorum, ut attendant Actor. 16. sic futurum est, ut volas nostras pandamus pauperi, & manus nostras extendamus egenti Prov. 31, 20.

PARS PRIMA.

QVando David aliqvando unum ex hostibus suis, fame tantùm non perditum, inveniebat, cibo & potu qvum refecerat eum, modum edocetur, qvo possit suos hostes fundere 1. Sam. 30, 11. 12. Si nos etiam aliis, sive amicis sive inimicis, indigentibus nostrâ ope Luc. 10. benefecerimus; Diaboli & carnis pravas suggestiones faciliùs vincimus, & â DEO magnam retributionem expectamus Rom. 12, 19. 20. Ita demum futurum est, ut DEUS nostram, qvos simul voluit orare, orationem exaudiat, qvi aliàs crudeles & osores proximi non aspicit, licet maximè laboriosa in se suscipiant opera, ut jejunium, qvod sine pietate in Deum & caritate in proximum DEO non placet, hoc verò est jejunium, qvod eligo dicit Dominus, qvando homines cessant, abstinentq; à peccatis & faciunt bonum, nempè volo te *frangere* seu partiri פָּרַס à פֶּרֶס (unde latinum vocabulum pars factum est) i.e. divisit in particulas, & vult, ut unicuiq; detur sua particula pro ratione divitiarum nostrarum, indigentiæ alterius, & aliarum circumstantiarum, de qvibus monentur illi, qvi liberalitatem exercent. Frange igitur non cuivis lurconi, non alii mendico robusto, sed *esurienti* & indigenti *panem tuum*, de tuis bonis, qvæ tibi clèmenter DEUS est largitus, dato aliis. Scriptura enim nomine panis sæpè omnem victum intelligit, qvocunq; is veniat nomine, Genes. 3, 19. Proverb. 25, 21. Luc. 14, 1. & frangere panem is dicitur, qvi aliis dat seu distribuit qvocunq; modo, ut in controversiâ de panifragio declarari solet. Tantum præcipitur de victu: jam de ædibus, & amictu. Et pauperes ejectos מְרוּדִים q.d. rebellatos, qvi sunt velut per rebellionem de sedibus suis exturbati, vel eo nomine, ac si rebelles essent, expulsi, qvando, qvo jure, qvâq; injuriâ ubi judex causam cæperit, pauperes ædibus suis & substantiâ exuit: tales ἀνεστίους,

Qvum finere, fine spe, sic fine sede vagi,

hinc inde oberrant, *introducas* ac recipias in *domum tuam*, exemplo Abrahæ & Lothi, qvorum hospitalitas commendatur Hebr. 13. Qvum *videris nudum, &*. id est, *statim tegito* & vestias *illum*: id enim Christus ipse sibi factum esse reputabit Matth. 25, 36. 40. qvia

pii

pii sunt ejus membra, & spiritus sancti templa. Si igitur Israelitarum qvisq; liberaliter, qvod poterat, ad ædificationem & ornatum tabernaculi dona conferebat Exod. 35, 23. & David ac Salomo ad templum magna ac multa donaria cumularunt, sicut postea templi secundi erectionem Cyrus magnificè juvabat: qvidni nos vivum aliqvod DEI templum (qvum non habitet ipse in manufactis templis Act. 7. & 17.) exiguo aliqvo dono ornemus? præcipuè cum ille egens sit frater noster, & caro de carne nostrâ, ita enim subjicit Propheta: *& à carne tuâ ne abscondas te*, ne deseras eum, qvi ratione creationis & religionis Gal. 6, 10. tuus frater est: sicut vocabulum carnis ferè accipitur Nehem. 5, 5. Si tamen penitiùs utrumq; locum, & emphasin vocis, ac Scripturæ usum introspicimus, videmus, qvòd maximè velit Propheta hoc in fine subjicere, qvòd si non possimus omnibus benefacere, etiam extra neis, saltem illos non negligamus, qvi nos cognatione & sangvinis propinqvitate attingunt: ut enim Charitas à se incipit, ita meritò statim ad propinqvos se extendit; sunt enim gradus plures societatis hominũ de qvibus videri potest Cic. lib. 1. de offic.

I. Loc. Commun.

QVantoperè DEUS hypocrisin oderit, hinc potest facilè intelligi, qvòd ne qvidem opera à se præcepta, qvando non sincero præstantur animo, accepta habet. Confer Ps. 50. Esa. 1. Mich. 6. Amos 5. DEUS enim non externa aspicit, sed cor, 1. Sam. 16, 7. ut καρδιογνώστης Actor. 1. & 15. Frustra igitur multorum apud nos opera exercentur, qvum animus pius absit, putà, qvando sine omni bono motu aut affectu templum freqventant, ad cœnam accedunt &c. Non enim hæc placent, nisi qvando à peccatis abstinent, & jussa capessunt homines. Ecce ficui, qvæ non habebat fructus, à Domino maledicitur Matth. 21, 19. & tibi parceret, si non feras bonos fructus? Matth. 3, 7. & 12. Confer Luc. 13, 6. Josias regnum suum ab Idololatriâ repurgans, lucum è domo Jehovæ, extra Jerosolymam, ad torrentem Kidronem exportavit, ibiq; eum combussit 2. Reg. 23, 6. multò magis autem tandem noster Jesus regnum suum repurgans, arbores infrugiferas extra cœlestem Jerosolymam extrudet, & ad torrentem infernalem, ubi sunt tenebræ (קְדֵרוֹן enim est à קָדַר obscuratus vel obtenebratus fuit) igne inextincto comburet Matth. 3. vers. 10. 12.

II. Loc. Commun.

CUm dicit Propheta, frange panem *tuum*, refutantur Anabaptistæ, & alii communicationem bonorum propugnantes: qvomodo enim possit esse panis meus aut tuus, nisi sit dominii proprietas? & hæc est causa, qvòd DEUS pauperem & divitem fecit, ut alter alterius ope indigens se mutuò juvent, Proverb. 22,2. frange verò notat, cuiq; esse dandum pro suis facultatibus, & ita, ut pluribus possis succurrere: qvod facit contra nonnullos, qvi ostentationis gratiâ uni multum, aliis vero nihil largiuntur. Sententia verò hujus commatis est, qvòd debeamus esse liberales erga indigentes, non tantùm qvia beatius sit dare, qvàm accipere Actor. 20. verùm etiam, qvia huc invitat 1. DEI exemplum Matth. 5. 2. ejus præceptum Luc. 6,39. Matth. 5, 42. 3. ejus promissum Proverb. 11,26. & 28,27. 4. Qvia Christo ipsi præstatur Matth 25. Qvando Regina Sabæ dabat Salomoni munera, is vicissim remunerabatur eam regiis donis 1. Reg. 10. sed noster Salomo etiam potum aqvæ frigidæ æterno beneficio compensabit Matth. 10,42. Sed nota etiam, benè, qvòd esurienti & indigenti jubeamur frangere panem, non illis qvi benè de aliorum eleemosynis vivunt epist. Jud. v. 12. immunesq; sed etiam aliena ad pabula fuci. Talibus enim illud Apostoli inculcandum 2. Thess. 3,10. qvi non vult laborare, neq; debet, aut potest bonâ conscientiâ comedere. Ad summam: dandum est, 1. libenter, qvia hilarem datorem diligit DEUS 2. Cor. 9,7. 2. prudenter, qvia omnibus dare neq; possumus neq; debemus, sed reliqvis domesticos fidei semper anteponamus Roman. 12,13. aliàs qvando ὃ τὸν πρόσωπον, ἀλλὰ ὃ τὸν ἄνθρωπον miseremur. 3. Constanter Roman. 12,21. Galat. 6, 9. 4. Celeriter projice panem tuum secundum aqvas Eccles. 11,1. Da partem septem aut etiam octo, qvum nescias qvid mali futurum sit super terram v. 2. & qvi suam pecuniam verè pauperibus rectè elargitur, Jehovæ ipsi mutuat Prov. 19,17. qvi sine dubio magno cum fœnore reddet. Si enim Eliæ Prophetæ præstitum beneficium parvum longè maximo compensatur 1. Reg. 17. qvidni ipse Christus, qvi verè est אֲדֹנָי יְהוִה DEUS & Jehova, exhibitum sibi infinitis modis remuneraretur?

III. Loc. Commun.

HOspitalitas commendatur, imò mandatur tum clericis, tum laicis,

Rom.

Roman.12,13. Deuter.10,19. 1.Tim.3,2. Tit.1,9. 1.Petr.4,9. Jacob.1,27. & præterqvam qvod *lex naturæ*, illam doceat, qvod vultis, ut alii faciant vobis, facite & vos ipsis Matth.7,12. *exempla piorum* eam monstrant, Raguelis, excipientis Mosen Exod.2. senis Ephratæi introducentis in domum suam Levitam Jud.19. Marthæ Christo hospitium præbentis Luc.10.&c. *fructus ejus* promissus Matth.10,40.41. & datus viduæ Sareptanæ, qvæ ita in vivis conservata est 1.Reg.17. & Sunamitidi, qvæ filium vivum recepit 2.Reg.4. Rahab, qvæ ita mortem evitavit Jos.2 &c. ad eam invitat: nonne enim omnes sumus in terrâ peregrini Genes.47,9. Psal.39,1. & cuiq; accidere potest, alteri qvod accidit, ut domus ipsius vel igne comburatur Judic.9. vel corruat Job.1. vel ipse dominus expellatur. Introducas igitur expulsos potissimùm ob veræ doctrinæ professionem, in domum tuam; ita futurum est, si in fide verâ perseveraveris, ut Christus te cum aliis piis introducat in æterna gaudia, qvando dicet: Venite Matth.25. tu modo sis fidelis עַבְדְּיָהוּ i.e. Servus Jehovæ & עֶבֶד מֶלֶךְ Servus regis summi Confer 1.Reg.18. & Jerem.38,8. sic futurum est, ut eripiat te Deus & liberet Jer,39,17.18. qvod Jehova sanctissimè pollicitus est Psal.41,2.3. simul etiam docemur, qvod sæpè sub specie recti qvidam accusentur, & puniantur, ut malefici, qvi tamen tantis criminibus nunqvam fuere obnoxii. Solentur autem se illi exemplo Davidis Psal.7. Christi Luc.32,2. Pauli, aliorumqve Apostorum 2.Cor.6,8.

IV. Loc Commun

DEUS indidit hominibus has στοργὰς, ut cognatos suos plus diligant, qvàm alios. Naturæ igitur ipsi vim facere, & Deum velut oppugnare videntur ii, qvi planè tales affectus exuunt. Non ita Josephus Gen.45. non David, 1.Sam.30. 2.Sam.12. nec Christus Luc.19. Semper igitur hoc sit animo fixum, à carne suâ se abscondere, qvotqvot verè pauperes juvare negligunt. Nabal Davidi benefacere renuens, graviter à DEO punitur 1.Sam.25. & impunis evaderet, qvi hodiè hoc tam graviter inculcatum Dei præceptum sperneret? Et hoc jam est hominis ac summa rei, ut homo DEUM revereatur, ac præcepta ejus observet: nam omne opus DEUS adducet in judicium sive bonum sive malum Eccles.12,15.16. Matth.25.

SE-

SECUNDA PARS.

GIdeon DEO obediens manè in arido vellere reperit rorem cœlestem, signum benivolentiæ divinæ certissimum, Jud.6. homo pius, qvando hoc de beneficentiâ exercendâ præceptũ tenet & facit, experitur, vicissim sibi dari rorem & aqvam solatii incalamitate. Qvod beneficium DEI jam porrò exaggerat Propheta, *tunc* qvando esurienti fregeris panem &c. *erumpet*, diffindet, ac diffundet se velut torrens in valle בִּקְעָה *Lux*, pax ac prosperitas *tua*. Ut enim tenebræ notant calamitates; ita contrà lux notat felicitatem gloriosam. Vide Esai. 5,30. & 8,22. & 9,2. Psal.118,27. Esther 8,16. *velut aurora*, qvam nemo potest impedire, qvæq; totum hemisphærium collustrat, ut ita beatitudinis firmitas, celeritas & magnitudo illâ similitudine indicetur, & *sanitas tua* vel in corpore vel re familiari aliisq; negotiis, *protinus efflorescet*, damnaq; data divinitùs ac sine morâ resarcientur subitò, ac si subtus ex terrâ crescceret sicut herba, ut ita supra & infra te vicissim DEI benedictionem experiaris, qvin etiam ante & post te, atq; ita ab omnibus partibus & finibus, qvo tecunq; verteris, divina clementia te circumplectetur: nam *anteibit* te *justitia tua*, qvi est Christus Jer.23,6. & 33,16. & *gloria Jehova extremum agmen tuum aget*, seu claudet, ut te colligat, ne ab hostibus dissiperis אָסַף enim aggregavit significat vide Num. 10, 25. Jos.6,9.13. Nam vos filii patris vestri, qvi eum benefaciendo imitamini, non festinatione exibitis, ut profugi, qvia in viis vestris præiturus est vobis Jehova, & in extremâ acie vestrâ erit DEUS Israëlis Esaiæ 52,12. Et hoc est velut externum beneficium, defensio: internum ac longè majus, erit precum omnium in fide fusarum exauditio: *tunc invocantem te*, qvi proximum verè diligis, *Jehova exaudiet, vociferanti* tibi *dicet, ecce me*, postula qvod vis, & feres; qvia enim tu te non abscondis à carne tuâ, nec ipse se abscondet ab oratione tuâ.

I. Loc. Comm.

QVemadmodum non prius gloria Jehovæ Israelitis apparebat, qvàm ipsi ex Ægypto exierant; & sicut non antè vincebant Gideonis milites, qvàm hydrias confregissent, & facem ardentem ostendissent; ita etiam TUNC demum erumpet lux ac felicitas hominum, qvando ipsi non cum mundo amplius sunt crudeles, & osores proximi, sed dis-

per-

spergunt ac dant pauperibus Psal.112. ac suam lucem splendere coram hominibus faciunt, ut videant ipsorum bona opera Matth. 5,16. Ita enim est, licet nos nostris operibus nil possimus mereri; tamen DEUS vult ea, ut à filiis morigeris, præstari, & nos ipsius misericordiam imitari. Jam qvære causam, qvi fiat, qvod multis non sit lux ac prosperitas, nimirum non frangunt esurienti panem &c. ideoq; DEUS illis multas afflictiones in hac vitâ immittit, & post eam in tenebras exteriores projicit. Si autem pax nostra ac felicitas est lux, orietur à sole vel stellâ, qvod etiam ita est, nempè à sole justitiæ Mal. 4. & stellâ Jacobi Num.24. illa nobis paratur ac datur. Nos itaq; ut illius lucis simus compotes, ab hâc luce cœlesti sinamus nos illuminari Johan.1,9.12.cap. & opera lucis exerceamus Joh.3.

II. Loc. Commun.

SI velut aurora se diffundit lux piorum, ac benefacientium Psal.112,4.5 nemo potest suâ invidiâ eam inhibere, neq; oculo malo fascinare, neqve omnibus artibus aut technis avertere, **Was GOtt beschehret/ Bleibt ungewehret.** Cogitet igitur hoc, cujus oculus malus, qvando Jehova aliis bonus est Matth.20. qvod dicit malus ille Bileam Num.23,8. qvid exsecrarer, qvem non exsecratur DEUS fortis? qvid detestarer, qvem non detestetur Jehova? nimirum ut Psaltes concludit Ps.112,10. improbus videns indignatur, dentibus suis frendens, contabescit & desiderium improborum peribit. Commenda igitur Jehovæ viam tuam, & fac officium, ipse faciet Psal.37. & 55. Josepho fratres dignitatem regiam, qvæ duobus somniis prædicebatur, invidebant qvidem, non tamen suo livore inhibebant: sic etiamnum sæpè hodiè, qvando invidi Philistæi qvidam omnes fontes, undè aqva qvædam commoditatis in nos poterat redundare, pulvere suæ maledicentiæ obstruunt: si nos saltem Scripturam ac fontes Israelis rimemur, inveniemus tamen tandem puteum viventis aqvæ Genes.26,14.15.18.19.

III. Loc. Comm.

MAgna sanè promissio, futurum, ut sanitas nostra efflorescat protinus, qvando ex fide verè bona opera præstamus. Æger es animo? da pauperibus simplici animo & fidei corde; DEUS te vicissim exhilarabit. Æger es corpore? juva egentes, & te Jehova valetudini pri-

stinæ restituet Psal.41,2.3. Sensit ita Daniel Dan.4,27. placeat tibi, ô Rex, consilium meum, peccata tuâ justitiâ abrumpe & iniqvitates tuas gratiâ erga afflictos, sic erit prorogatio tranqvillitati tuæ. Confer Jerem. cap.22.v.3,4. Vide Nabalem à DEO subitò occisum, qvando Davidi benefacere noluerat 1.Sam.25. Considera Succothanos ac cives Penuel, qvando Gideoni ejusq; exercitui cibum subministrare renuebant, misere suâ culpâ peribant Jud. 8. Qvando autem dicitur sanitas efflorescere, semper sis memor hujus præcepti ac promissi, qvoties herbas aut flores vides è terrâ progerminare, ac terram ornare. Supra te qvotidiè te hujus rei admonet aurora. Infra te flores & gramina. Si jam oculus tuus illa videns, fuerit simplex, totum corpus est lucidum; sin *minus* & oculus erit tenebricosus aut livoris glaucomate obductus, tenebræ qvantæ? Matth.6,22.23. Salvator de usu rerum terrenarum dicit, ubi non esse illis confidendum differit.

IV. Loc. Commun.

VErùm unde tanta bona? lucis diffusio; sanitatis restitutio? non ex nostris operibus, sed qvia justitia nostra vera Christus, nos anteit, & antea adest, ob qvem reddimur nos & omnia nostra patri grata Eph. 1. 1.Pet.2. Qvando Jonathan præibat, hostes etiam coram ejus armigero cadebant: sic ubi noster hic Jonathan à Jehovâ nobis datus Es.9. & factus nobis à Patre justitia 1.Cor.1. anteit, nil mali nos, qvò minus benè omnia cedant, impedit Roman.8,33. Christus igitur qvia benefaciendo omnibus in his terris Actor.10. anteivit, exemplum nobis relinqvens, ut insistamus ejus vestigiis 1. Petr. 2. sequamur hunc ducem & qvisq; putet sibi turpe relinqvi. Qvando Jehova procedebat ante exercitum Barak, poterat facilè hostes suos fundere Jud.4,14. ita si Justitia nostra nos anteit,

Omnia cogentur cedere prôna DEO.

V. Loc. Commun.

DIabolus hoc agit, ut eos, qvi pauliſper subsistunt, velut derelictos ab Imperatore abripiat. Amalek qvando Israelitæ exibant ex Ægypto, in postremo agmine cædebat eos; qvi debilitate affecti sequebantur Devt.25,17.18. idem ne faciat in piis, qvi qvandoqve exinfirmitate subsistunt aliqvantisper, Jehova promittit, se extremum agmen qvoq; defensurum: & qvemadmodum olim intra duo castra adversa fuit me-

medius, ne potuerint appropinqvare Ægyptii Exod.14,19.20. Sic etiam nos antecedit, nos comitatur, nos seqvitur DEI misericordia, si modò nos fuerimus dicto ejus audientes Psal.79,8. & 23,6.

VI. Loc. Commun.

VIs exaudiri à DEO? qvis verò hoc non optet? exaudi preces pauperum; ita Jehova tibi dicet: Ecce me, qvid vis, ut faciam tibi? Luc.18. & non secus promissione Psal.27. qvàm olim Jacob Genes. 3,2. eum tenebis, nec dimittes prius, qvàm benedixerit. O magne beneficentiæ præmia! O contrà horrenda immisericordiæ parata supplicia! fac DEUS ac Pater noster, ut te in hac vitâ imitemur, ut tecum olim in æternum lætemur: fac panem hic esurienti frangamus, ut olim tecum ac sanctis discumbamus Matth.8,11. fac nudi ita misereamur, ut olim superinduamur 2.Cor.5,2. Amen.

DOMINICA V. POST TRINITATIS.

Psal. 127, 1.2.

GEnes 28,12. Jacob, tendens in Mesopotamiam pernoctat sub dio, ibiq; somniat: Ecce scalam constitutam in terrâ, cujus summitas pertingebat ad cœlum, & ecce Angelos Dei ascendentes & descendentes per eam. Variæ sunt hujus visionis explicationes. Nos omnes qvia jam non est instituti nostri ex professo hoc somnium interpretari, suo loco relinqvamus, & qvantum unaqvæq; habet ex Scripturâ probationis, tantum apud nos habet fidei & autoritatis. Qvod autem licet, applicabimus eam hoc modo hoc tempore. Qvando Christianus, qvi cum Jacobo in multis rectè potest conferri, saltem in eo, qvòd eum fide imitans, sit de Israele Dei Rom.9. Gal.3. & 6. proficiscitur per medias aqvas calamitatis Esai.43,1. Psalm. 66. vers. 12. sub dio sæpè noctem agit, & à rebus mundanis se avertens cœlum ipsum & res cœlestes contemplatur nunc velut in ænigmare 1. Corinth.13. atqvi olim in somnio Num.12. Ecce vero scala apparet, ordo inter homines constitutus, cujus unus gradus altero altior & sublimior, siqvidem constituta est scala in terrâ, ita tamen ut summitas ejus pertingat ad cœlum, omnibusqve Christianis hæc unica meta ac scopus perpetuus esse debeat, cœlum ipsum, sedes ubi fata qvietas ostendunt. Et ecce dum hoc fit, Angelos DEI ascendentes & descendentes, homi-

num pios conatus juvantes Hebr.1. ult. inprimis autem ille Angelus increatus, qvi se sæpè suo auxilio demittit, ut nos elevet in cœlum: unde nos vicissim, sicut accommodat veriùs, qvàm explicat hunc locum Basil. M. in Psal.1. studio pietatis semper crescere, & piis cogitationibus ac precibus ardentibus in cœlum ascendere decet; idq; tantò magis, qvia potissimùm hæc providentia DEI in Bethel à DEO declaratur, & agnoscitur Genes.28,19. Hoc ipsum & populus suo exemplo & ardore indicat Luc.5,1. & Christus suo favore, & illi & Petro ejusq; sociis declarato, demonstrat, dum laborantibus benedicit spiritualiter ac corporaliter. Atq; ita se suorum peculiarem curam gerere significat, 1.Tim. 4,10. qvin etiam ipsum Petrum constituit Angelum seu verbi ministrũ, qvi dum discit sacra, ad DEUM per Christum ascendit: qvando eadem populo proponit, iterum velut descendit. vide Johan.1,52. Nos jam reliqvis hujus Evangelii partibus missis, Petri obedientiam in reti ejiciendo ad Christi mandatum Luc.5,5. paucis ita contemplabimur, ut ad thesin transferamus ex Psal.127,1.2. visuri duo.

I. Hominis absq; DEO laborantis vanam molestiam.

II. Numinis prosperantis magnam gratiam.

Domine, Ecclesia est magna illa tua domus, 1.Tim.3,15. hanc nisi tu verbo prædicato benedicens ædifices Matth.16,18. frustra nos reliqvi laboramus: nisi tu dederis incrementum 1.Cor.3,7.9.10.11. Ecclesia est illa tua magnifica civitas, in qvâ habitas Psal.46, & 48. hanc nisi tu custodieris, & servaveris, eiq; fueris murus igneus Zach.2. reliqvi ejus nutritii Esa.49,23. & 60,16. non possunt eam defendere. Tu igitur, jam tuo spiritu adsis, ut ita in nomine tuo, cum Petro laxemus rete, ut multi homines ex mundi pelago ad fontes Israëlis salubres adducantur, & salventur. Confer Marc.13,47.48.

PARS PRIMA.

JUd.20.v.18. & 23. Qvis successus sperandus etiam in operibus vocationis, si DEI numen precibns nobis non reddiderimus propitiũ, graviter indicatur; dum Israelitæ, ulturi jure optimo facinus nefandum Benjaminitarum, DEUM qvidem rogant, num sit ipsis præliandum: verùm qvum longè plures essent, suis viribus fidentes, bis cæduntur, & in bonâ causâ cadunt, qvia processum legitimum non servant, sicut Lu

the

therus noster in margine ibidem optimum adjicit commentariũ, qvod Deus omnia; ipsi Israëlitæ soli, qvantumvis multi, nil qvicqvam possint efficere. Idem qvotidiè cogitemus etiam tum qvando ex mandato Dei officii & vocationis nostræ munia obimus: qvod ut fiat, hic sub Salomonis personâ nobis præscribitur modus feliciter expediendi qvæcunq; negotia. Omnium enim primò reqviritur, ut homo talis, qvi expectat divinum auxilium, sit pacificus, & sua agat, juxta monitum Apostoli optimum 1. Thess. 4,11. DEUS enim non juvat ἀλλοτριεπισκόπους 1.Petr.4,15. & eos, qvi qvæ ipsis non sunt commissa, temerè dijudicant. Verùm videamus nunc frustraneas ac vanas multorum molitiones, & deinde sanas Christi & Apostolorum monitiones. Illud hinc factum distichon optimè significat.

Nullus est felix conatus & utilis unqvam,
Consilium si non det & juvet q; DEUS.

Vide hoc in statu œconomico nam *frustra* se laborando *defatigant* עָמַל Cujus emphasis Græco verbo κοπᾶν, id est, ex labore non tantùm molestiam, verùm etiam lassitudinem magnam contraho Joh. 4,6. qvodammodo ostenditur, *ædificantes in eâ* (domo sc.) qvi curas œconomicas satis diligenter omni ex parte subeunt, qvarum una eaq; non postrema est, rectè ædificare Matth 7,24. Luc.14,28. In statu politico itidem res malè succedit, qvando Jehovæ benedictio non accedit; qvia ita *frustra sedulus est* in vigiliis suis *custos*, ille, qvi etiam in omnes res est satis intentus, qvod verbi שָׁקַד & שָׁמַר significatio propria & usus innuit. Qvid autem dico tantùm de ordine Oeconomico & politico? imò de omnibus aliis, qvodcunq; vitæ genus sectantibus, hoc verum est, ideoq; illos per Apostrophen, ut tantò magis animo hanc doctrinam imbibant, alloqvitur, & tertiâ vice vocem eandem repetit, ut ita hâc repetitione omnes tres vitæ ordines se notari intelligant, *frustra est vobis* omnibus, *ô diluculantes, surgere* מַשְׁכִּימֵי קוּם qvi summo diluculo, & ante lucem è stratis membra corripitis, ut ita sub auroram, qvæ non tantùm studiis & Musis amica, verùm etiam omnibus negotiis expedicndis rectiùs, maximè accommodata, res vestras ex animi sententiâ conficiatis: qvin etiam vobis hoc frustra est, *ô tardantes cubare*, qvi sub multam noctem & admodum serò vos cubi-

bitum demum confertis, ut ita tanto meliùs qvæ per diem sunt gesta & malè administrata corrigatis, vel qvæ rectè cæpta pertexatis, juxta Pythagoræ præscriptum, qvâ duplici periphrasi depinguntur maximè industrii & laboriosissimi homines, qvi nullo pacto suæ qvieti indulgent, sed omnes nervos eò contendunt, ut optimè suum munus perficiant. Verùm & hoc frustra est, nisi Dominus benedicat: qvod etiam vobis dictum deniq; puteris, qvi *vescimini pane dolorum*, die jhr ewer Brodt mit Sorgen esset. Ubi panis omnis generis cibos notat, ut antea fuit declaratum, לֶחֶם עֲצָבִים notat, qvando nonnulli ne cibum qvidem capiunt tranqvillè, animo à labore, dolore, sollicitudine, & metu vacuo, ad qvam Emphasin exprimendam Aqvila vertit ἄρτον ἀλγημάτων, Symmachus κακοπαθήμων, & recurrit ad verba hebræa duplex observatio, sæpè jam indicata, qvòd abstractum pro concreto notet superlativum ex usu Hebrææ linguæ: & plurale pro singulari maximam copiam. Nihil igitur & hoc prodest, à summo mane telam laborum ordiri, eamq; in seram noctem protexere, tenuiter, parce ac duriter vivere, curisq; se macerare; nisi Jehova voluerit juvare, qvemadmodum Petrus fatetur Luc.5,5.

I. Loc. Commun.

NOs verò discimus, unde sperandus sit verè felix omnium rerum successus; non tantùm & principaliter ex nostrâ sapientiâ, potentiâ, diligentiâ, Vide regem Babylonis Esa.14. Nebucadnezarem Dan.4. illos, qvi conabantur turrim Babel ædificare Genes.11. divitem, de qvo Luc.12,16. &c. laborem capiunt, eumq; molestissimum, sed frustraneo & irrito conatu, qvia benedictio Jehovæ ditat & prosperat, neqve addit molestiam secum Prov.10,22. Ex qvo tempore enim in pœnam seu castigationem Adamo fuit dictum: Cum dolore comedes proventum terræ Genes.3. qvamdiu hæc maledictio per benedictum semen ibidem & Genes.12,22.26.28. &c. promissum non tollitur, vita nostra omnis est labor & dolor, etiam tum, cum optimè nobiscum agitur Psal.90,10. unde Jacob verè dicebat, qvod pauci & mali fuerint dies annorum vitæ ejus Genes 47,9. Tot enim sunt in vitâ errores, qvoniam scopum propositum attingere non possumus; tot sunt dolores, qvibus obruimur, ut hæc vita sit συμφορὰ juxta Ethnicum. Hinc

vi-

videbis tot lapsus in consiliis, tot malos successus in negotiis. Considera fratres Josephi, Pharaonem, Saulem, Absoloncm.

II. Loc. Commun.

SI tam adversam sortem experiuntur laborantes qvidem, sed non justâ ratione; qvid futurum est illis, qvi agunt ocium? siqvidem illi istam DEI vocem & legem, qvod homo nascatur ad laborem, qvantum in se est, tollunt, Job.5,7. & pigritia in Proverbiis Salomonis sæpè damnatur Prov.13,4.& 20,13.& 21,25. & 26,13. Oraigitur & labora, sed benedictionem à DEO spera: qvia neq; sine labore tuo DEUS dat bona (qvandoqvidem labore manuum tuarum frueris Psal.128,2.) neqve sine Dei clementiâ qvicqvam rectè sub manus succedit. Qvæ ut adsit nobis, nostrumq; opus instituat Psal.90,16.17. omnia in nomine Christi, Domini nostri incipiamus Col.3,17. Josephi faciem filii Jacob videre non poterant, nisi secum adducerent Benjaminem: nos in Dei conspectum admitti, nostraq; exorare non possumus, nisi filium illum dextræ Psalm.80,18. & 110,1. Roman.8,34. intercessorem adducamus Exod. 17, 12. Amalek non poterat prius debellari, qvàm Mosis manus elevaretur in cœlum, & lapide staturninaretur: sic non potest vinci aut vitari maxima nostræ vitæ molestia, nisi qvando manus in cœlum attollimus, unde nostrum auxilium Psal.121,1.2.3. eoq; Christus lapide auxilii & salutis Actor.4,11.12. Eph.2,20. nitantur firmiter, nosq; semper patiamur Jehovam esse vexillum nostrum Exod.17,15. cujus ductum seqvamur, & contra Hamalek semper pugnemus v.16. qvod qvi facere negligit, cum Saule regno cœlorum excidit 1. Sam.15.

III. Loc. Comm.

INterea verò diligenter ædificemus non tam alta palatia, qvibus superbiamus Dan.4. non nova horrea, qvibus confidamus Luc. 12. qvàm DEI templum: qvod fit, qvando non tantùm ad ædificationem ac sustentationem templorum atq; Scholarum liberaliter pro opibus nostris conferimus; verùm etiam, qvando damus operam, ut nos ipsi Dei vivi templum esse qveamus 1.Cor.3.& 6 Eph.2. hoc n. innuit ista similitudo, ut qvia qvotidiè vel ædificamus ipsi, vel alios ædificare videmus, vel deniq; ædificia spectamus, in memoriâ nobis revocemus hoc; frustra nisi Dominus. Potissimum hoc valet de viribus liberi arbitrii, qvas ni-

nimis extollunt Pontificii, Arminiani, Photiniani, & alii, sed meritò dicas, frustra se defatigant ædificantes in eâ domo, qvamdiu Dominus ipse non convertit. Ut enim ædificium seipsum non potest erigere; ita nec homo se potest convertere: & ut Naamanem Syrum à suâ leprâ non poterat sanare Rex Israël, qvòd non esset Deus; ita multò minus qvis in seipso lepram spiritualem potest curare. Sed hæc obiter ad hanc similitudinem, qvæ idipsum à magis ad minus argumentando innuit.

IV. Loc. Commun.

NEqve tantùm in statu œconomico optimus paterfamilias Deus est Matth. 20, 1. verùm etiam in statu politico optimus Imperator & gubernator, qvi si alii magistratui non adsit, infeliciter omnia cedunt. Frustra ibi turribus, aggeribus, muris confidimus, ubi Deum protectorem non habemus: nil prosunt ibi militum manus, æqvitumq; turmæ; contra qvem pugnant hujus summi Imperatoris catervæ, nempè creaturæ: nil potest vigil ¶, ubi Dominus iste immittit altum soporem 1. Sam. 26, 12. nemo potest restinguere, qvando is immittit ignem Amos 1. & 2. nemo potest evadere, qvando is aqvas advocat. Amos 4. & 9. Hoc igitur omnium primùm videndum in Politiâ, ut hic Dominus à nostris stet partibus. Israëlitæ multum in eo situm esse putabant, si Jephtham, Davidem, aliosq; strenuos duces nanciscerentur: sed frustra omnia, nisi adfuisset hic Jehova. Videsnè, qvàm feliciter pugnat cum eo Abraham Genes. 14. qvantam victoriam ex ejus benedictione reportet Moses Exod. 17. qvem triumphum impetret Josua Jos. cap. 6. & 10. Barak, Jud. 4. Gideon, cap. 6. Jephtha cap. 11. Simson. cap. 15. nimirum his omnibus suâ gratiâ aderat hic Dominus. David cum eo Goliathum prosternit 1. Sam. 17. & multi multa præclara effecêre Hebr. 11. Contrà qvàm infelici eventu bella sine DEO gessêre Israelitæ Num. 14, 42. 45. Benjaminitæ, Jud. 20. Syri 2. Reg. 7. Sennacherib, 2. Reg. 19. Hoc intelligens David tam anxiè pro futuro Rege orat Psal. 72. & nos docet orare Psal. 20. Qvia autem vigil seu custos hoc loco dicitur esse sedulus, id dictum nobis putemus, qvod est in Ps. 130, 6.

Non sic præcipiti nocte vigil diem
Observat roseum, non roseum vigil
Phœbi sic avet ortum,
Ut flagrat mea mens DEUM, & hebraicè

מִשֹּׁמְרִים לַבֹּקֶר שֹׁמְרִים לַבֹּקֶר

V, Loc

V. Loc. Commun.

MUlti autem credunt, his rebus fieri, ut dites evadant, si suum defraudent genium, somnum oculis suis non videant, & si qvæ sunt alia miserorum tormenta. Psaltes aliud statuit: frustra est vobis, ô diluculantes surgere, & tardantes cubare: surgere nim s properant qvotqvot aliqvid citra vocationem aggrediuntur, ut Korah Num.16 surgunt enim, anteqvam sol justitiæ illis illuxerit. Tales sunt in statu Ecclesiastico, qvi currunt, anteqvam vocentur Jer.23. & in omni negotio id videre est, qvoties homines, cum matre Domini horam, qvam Deus destinavit, & sibi servavit Actor.1,7. volunt suâ diligentiâ antevertere Joh. 2. tardant cubare, qvi nimis sollicitè cupiunt prospicere omnium consiliorum suorum eventum, qvibus dicendum illud Psalmistæ: commenda Domino viam tuam, ipse faciet Psal.37. & 55. & hoc: Frustra vobis, ô tardantes cubare. Contra David præclarâ sustentatus conscientiâ, dicit se securum cubare, & svaviter dormire Psal.3. & 4. qvando se suaq; omnia omnipotentis curæ commendavit. Et hi ipsi, qvi sine DEO volunt sua expedire, panem comedunt עֻצְּבִים & עֲצַבִּים dolorum & idolorum, qvia & sibiipsis multas frustra creant molestias Psal. 39,7. & seipsos suamq; sapientiam pro Deo habent ac colunt, &, qvòd dicit Propheta Hab.1,16. reti suo sacrificant; DEUM autem verum non invocant Psal.14,4. *à qvo vera venit, non aliunde, salus*, ut jam in secundâ parte audiemus.

SECUNDA PARS.

1.Sam. 4. Israelitæ ab hostibus pressi, hôc putant posse mala abigi, si in castra adducatur arca fœderis: verùm qvia ipsi erant mali, parum eo tempore illis proderat ista. Sic etiam rectè qvidem colligimus, qvòd qvandocunq; minus rectè res sub manus succedunt, abesse numen, idq; precibus advocandum, ut ita per Christum propitiatorium unicum placatus Pater cœlestis, benedicat porrò nostris laboribus: qvod etiam futurum est, si modo simus pii; qvomodo respectu Dei reqviruntur preces, & respectu nostri fides. *Nisi enim Jehova*, unde sunt omnia, qvæ sunt, *ædificet* ipse *domum*, & juverit consilia patrumfamilias; nisi cælitus benedixerit, frustra omnis opera insumitur, imò planè perditur: & in statu politico, *nisi Jehova custodiat civitatem*, frustra aliis consiliis

& auxiliis res omnis geritur, & ita suâ benedictione, qvâ felicem & securum hominem reddit, *dat dilecto suo* לִידִידוֹ, à יָדִיד (qvomodo alterum Salomonis nomen יְדִידְיָה, de qvo 2.Sam.12,25. alluditur) *somnum*, qvietem, & securitatem, qvæ somno alto indicatur Ps. 3.& 4.

I. Loc. Commun.

UT Jehova est à se, & ab eo reliqva omnia; ita etiam ex ejus manu omnia bona dispensantur, & meritò expectantur. Confer jam, qvomodo ad complementum promissionum respiciens DEUS hoc suum nomen urgeat, Exod.6. & ut ad eum primò omnium omnia nostra consilia & vota dirigamus, hîc ipse proponitur, qvi est omniũ primus.

II. Loc. Commun.

SI Jehova ædificat domum; curat etiam res minutas, qvod olim qvidam negarunt: qvomodo enim essent vel subsisterent res sine illâ æternâ essentiâ? qvomodo aliqvid agerent sine DEI providentiâ? & si talia curat, etiam ad singula ejus nomen est invocandum. Peccant hic, qvi, dum rem familiarem constituere cogitant, eum non primò votis expetunt in conjugio pronubum, in labore socium, in lætis moderatorem, in tristibus consolatorem, in consiliis adjutorem: qvia frustra sunt omnia, nisi adfuerit Jehova.

III. Loc. Commun.

SAlus regionis & civitatis est à DEO Esa.37,35. qvæ ut diuturna sit, rogemus cum Hiskiâ: sit pax & prosperitas diebus nostris, Esa.39,8. Nam ex qvâ civitate DEUS abit, omnia corrunnt: qvemadmodum de Jerosolymâ vastandâ à Tito scribunt, auditam esse vocem: Migremus hinc. Tyrii suos Deos, ut manerent, nec transfugerent adhostes, aureis catenis ligabant: nos DEUM precibus apud nos detineamus, vespera jam venit &c. Luc.24. Ita custodiet per noctem & calamitatis tenebras nostram urbem.

IV. Loc. Commun.

SI Deus dat dilecto suo somnum, & nos non possumus esse dilecti, nisi in dilecto Eph.1. omnium primò agamus hoc, ut simus & maneamus in dilecto illo patri filio, qvi est ipsa pax Mich.5. & cui pater omnia dedit in manus, ut ex ejus gratiâ gratiam pro gratiâ accipiamus. Joh.1. potissimùm autem in eo condormiscamus cum Simeone Luc.2. & Paulo Phil.1. Beati enim, qvi moriuntur in Domino Apoc.14,13.

Nil

Nil absq; Jeva gratiâ, *Hanc ergo votis impetrat,*
Bene cedit interomnia. *Si qvem Jehova prosperat.*

DOMINICA VI. POST TRINITATIS.

Jer. 23,5. 6.

1.Reg.4. describitur nuper electi Regis Salomonis magnificentia & felicitas, qvippe qvi erat Rex super totum Israelem, cui erant 12. sitarchi, sustentantes familiam Regiam, subditi offerunt munera, & considebant securè qvisq; sub vite & ficu suâ, ipse autem gubernat sapientissimè. Possunt hæc omnia satis bene conferri cum Ecclesiâ Novi Testamenti, cujus Rex Christus, qvem pater cœlestis constituit in Regem super montem Sion. Psalm.2. ipse non שלמה sed שלום Mich.5,5. qvi regnat super omnes Rex gloriæ Ps.24. & potentiæ Ps.47. & 48. præcipue autem super Israelem, seu Ecclesiam Zach.9,9. Is constituit sub initium prædicationis universalis in Novo Testamento duodecim Apostolos Matth. 10. Joh.6.6,70. qvi illum cibum cœlestis verbi Joh.6. ut Oeconomi generales 1.Cor.4. in toto mundo rectè dispensarent Marc. 16. Contrà fideles hujus Regis spiritualis subditi offerunt munera seipsos Rom.12. & alia bona opera grata per Christum 1.Pet.2. Pacem autem habent cum DEO supra se; cum Satanâ & inferno infra se; cum proximo circa se; cum corde suo intra se. Hæc tanta & tam præclara regni Chsisti beneficia Jeremias cap.23,5.6. magnificè deprædicat, ideoq; qvum de Justitiâ abundanti nuper sit dictum; nunc qvænam illa sit audiamus, visuri in hoc dicto duo.

I. *Christi personam.*
II. *Officii ejus triplicem coronam.*

Domine Pater cœlestis, qvi excitavisti Davidi germen justum secundum verbum tuum, nos torpentes excita, ut injusti ad illam justitiam accuramus, nos arbores exsuccæ & infrugiferæ, illi veræ viti vitæ inseramur ac salvemur. Tu verò Christe, qvi regnas Rex in æterna secula, & ascendisti in cœlos, ut des dona hominibus Ps. 68. Eph. 4. nostra corda cæca illumina, linguam dirige, aures aperi, ut per te, de te rectè loqvamur, sentiamus, credamus. Et tu Spiritus alme per verbum prædicatum pacem in animis nostris gignas, ut habitemus securè, Deumqve invocemus cum magnâ parrhesiâ: sic futurum est, ut nos cum Christo resurgamus Rom.6. 1.Cor.15. æternumq; cum Deo maneamus Joh. 17.

PARS PRIMA.

SAule abdicato à regno ob varia peccata, David, vir secundum cor DEI, qvi faceret omnem voluntatem DEI, πάντα τὰ θελήματα, fuit surrogatus, qvi pasceret populum Israel, confer 1. Sam.16,1. & 13. Psal.89,21.22. Actor.13,22. Psal.78,71.72. exercens judicium & justitiam in toto populo 2.Sam.9,1. ita sub initium Novi Testamenti Pharisæis ac Scribis, aliisqꝫ malis in populo DEI pastoribus (qvi qvidem sedebant super Mosis Cathedram Matth.23,1. & volebant cum Saule coram populo honorari 1.Sam.15,30. Matth.6,2.5. & 23, 6.7. sed suas oves minùs bellè curabant Matth.9,36.) abrogatis, summus ille & fidelis animarum nostrarum pastor, Jesus Christus, fuit à Patre suffectus 1.Petr.2, 25. & 5,4. qvi pascat & gubernet populum Israel Mich.5,6. Matth.2, 6. hic verè fuit secundum DEI patris cor, non tantùm character ejus Hebr.1,3. & imago Col.1. sed etiam faciens voluntatem ejus perfectissimè Hebr.10.Psal.40. is in Ecclesiâ malos tandem rejiciendo, & bonos defendendo exercet judicium & justitiam, qvando impium merito suo, fide imputato, justificat, Rom.3.& 4. de illâ re insignem promissionem apud Jerem.cap.23,1. facit DEUS, fore, ut deperditis & abjectis malis pastoribus succedat hic longè optimus, θεὸς σωτὴρ, Dei patris & Davidis filius, in cujus personâ sunt considerandæ duæ naturæ mirando nexu copulatæ, divina & humana: de illâ hæc habet nostrum Dictum, *& hoc est nomen ejus* proprium, puta respectu naturæ divinæ, siqvidem DEUS ipse satis diserte hoc indicat, hoc esse suum nomen proprium, qvo optimè ab idolis distinguatur, qvod ipse sit à se & reliqva omnia ab eo, Psal.83,19. Esai.42,8. hoc est, יְהוָה ab יְהוָה Exod.3,14. id est, fuit, qvòd semper sit unus & idem verus DEUS, â qvo & in qvo omnia, qvum idola sint nihil 1.Cor.8,4. vel qvicqvid sunt, sunt ab hominibus, & ab iis nihil est, qvemadmodum hæc idolorum vanitas depingitur 2.Chron.15,3. Psal.31,7. & 115,4.5.6. Esai.41,29. & 44,5. & 46, 6.7. Jer.10,2. Dan 5,23. Jon.2,9. Zach.10,2. Sap.13. & 15. cap. Baruch.6. Cui igitur in Scripturâ hoc nomen simpliciter & absolutè tribuitur, idqve in casu recto, ille verus DEUS est revera, qvod alibi à nostris demonstratur. Hoc loco autem germini Davidis tribuitur. Verus itaqꝫ DEUS est. De naturâ humanâ hæc sonant. Qvum enim qvòd ad naturam

turam divinam fuerit ab æterno à patre genitus Psal.2.Proverb.8. naturam humanam certo tempore à DEO definito assumpsit Gal.4,4.Prophetamore sibi, & aliis Prophetis usitato, ita sonat, *ecce*, ut animus humanus excitetur, & illi in Veteri Testamento ulterius prospiciant, dies venientes יָמִים בָּאִים tempus Novi Testamenti, qvod collatum cum Veteris Testamenti umbris, meritò dies dicitur Roman.13,12. idqve tàm certum, ac si jam adessent illi dies, qvâ de causâ ob certitudinè Prophetæ præsenti vel præterito sæpissimè in talibus promissionibus, ubi futura nomine DEI pollicentur, utuntur, vide de phrasi hac Joel. 2,28. & 3,1. Amos 9,11. Mich.4,1. Sub initium autem Novi Testamenti hic sol justitiæ oriri debebat, & stella ex Jacob illucescere, qvæ illuminaret omnem hominem Joh.1. inprimis qvi in tenebris sedebant Esai.9. Marc.4. idq; non poterit non fieri suo tempore; siqvidem est *dictum Jehovæ*, qvi ubi dixit, statim facta sunt Psal.33. & 148. ἄμ' ἔτος ἄμ' ἔργον, ecce dies, *qvibus excitabo* וַהֲקִימוֹתִי ubi Vau pro relativo Psal.5,12. & surgere faciam seu erigam emphaticè, respectu stirpis Davidicæ jam ferè prostratæ & jacentis Esai.11,1. Confer Luc.1,69. Psal.132, 17. Esai:11,10. Roman.15,12. idq; cap,33,15. sic effertur, germinare faciam, excitabo autem *Davidi*, cui sanctè promisi 2.Sam.7,1. Chron.17. *germen justum* צֶמַח de qvâ voce & Christi nomine dixi prolixius Zachar.3,8. & 6,12. justum in se, qvod nulli fecit injuriam, & in nobis omnem justitiam efficiens Esa.53,12.14. Si ergo ex Davidis posteritate oritur hoc germen, est verus homo, & sic θεὸς ἄνθρωπος, ubi verbum caro factum est Joh.1. & DEUS & homo unam personam constituunt, qvod innuit hoc loco id, qvòd ipsum germen Davidis ob unionis gratiam verè dicitur Jehova, ut habet textus, & qvod non duo, sed unus Christus sit, non tantùm symbolum Athanasianum, sed ipsa Scriptura ἀληθήνη asserit Matth.23,10. Roman.5,15. 1.Cor.8,6.2.Cor.5,15. & 11,2.1. Tim.2,5. Hæc igitur est personæ Salvatoris descriptio.

I. Loc. Comm.

UNde discimus, qvis sit noster mediator ac Salvator, nempè DEUS, ut posset, & homo, qvi deberet satisfacere, pro genere humano, cui propterea possimus tutò confidere, eoq; duce omnia mala superare. Qvid enim noceat illi, cui DEUS adest Psal.146,3.5.6. qvid illum à

Deo separet, qvem Christus ut ad patrem adduceret, de cœlo descendit, & homo factus est? Eph. 3, 11. 12. c. 4. v. 9. & 10. Rom. 8, 35. 38. 39. qvid ille de viâ ad cœlum ignoraret Matth. 22. cui faculam allucet hæc sapientia? Matth. 11, 19. Beatos igitur, qvi hoc cõfidunt Ps. 2, ult. qvia à morte æternâ erunt tuti, qvotqvot hoc asylum sunt secuti, qvod olim in V. Testamento fuit adumbratum, qvando ad aram se conferebant Exod. 21, 13. 1. Reg. 1, 51. Hic est illud semen virginis, qvod conculcaturum erat serpentis infernalis caput Gen. 3. & Scala illa, cujus una extremitas terram, nempe natura humana, altera cœlum, nempe divina contingebat, Gen. 32. In hoc qvando natura humana divinæ unitur, videas longe majus miraculum, qvàm olim vidit in deserto Moses, qvum rubus ardebat, & tamen non consumebatur Exod. 3. sic etiam natura humana à λόγῳ & DEO, qvi est ignis consumens Devt. 4. assumpta, in se fragilis ac infirma, tamen cum hoc igne in æternum nunc durat, & inde nobis loqvitur, qvi erat nos ex captivitate nostrâ educturus. Confer totam promissionem, & nostram cum Israelitis oppressis conditionem Exod. 3.

II. Loc. Commun.

ILle, qvi ibidem rem tantam se confecturum pollicetur, est אֶהְיֶה, qvi hic est effecturus, ut Israël habitet confidenter, est Jehova. Et est Jehova, est æternus Gen. 21, 33. & si est æternus, nos qvoq; qvos vult sibi adesse Joh. 17. vivemus apud eum in vitâ æternâ. Qvum igitur vides varias mutationes in mundo, ad hunc Jehovam, qvi semper unus & idem existit, fide te recipe, qvia ut scribit Augustin. prolog. in l. 4. de Trinit. omnino DEI essentia, qvâ est, nihil mutabile habet, nec in æternitate, nec in veritate, nec in voluntate, qvoniam æterna ibi est veritas, & æterna caritas, & vera ibi est caritas, vera æternitas, & cara ibi est æternitas, cara veritas, ut meritò propterea dicatur hic Jehova, אֲבִי־עַד Pater æternitatis, ipse in se æternus, & suis æternitatis autor, imò cujus

Sit licet in natos facies austera parentis,
Blanda tamen semper mens est & amica voluntas.

Porrò si est Jehova, est infinitus Psal. 145, 5. & proinde suis ubiq; adesse potest. Si est Jehova, est verax, & faciet tandem, ut promissa piis facta appareant. Si est Jehova, est misericors, imò ille qvi in cruce fecit, nos sculpi in suis manibus, ne unqvam nostri obliviscatur Esa. 49, 15. Si est Jehova, est justus: ei igitur per vitam in sanctitate & justitiâ servias Luc. 1, 74. 75. Ad legis promulgationem Judæi, non nisi sanctificati ad-

admittebantur Exod.19. nemo etiam nisi fide cor purgatus, Actor.15. ad hujus Evangelici Doctoris bona & montem Psal.15. habet aditum.

III. Loc. Commun.

NE tamen qvis nimis horreat illam infinitam Jehovæ majestatem, Ecce fit germen amabile, ut te ramum arefactum sibi curet inserendum, qvi in eo crescat, & multos fructus ferat, Joh. 15. Rom. 11. & qvidem Davidis, illius optimi & clementissimi in subditos suos Regis, & ut tuam injustitiam tollat, germen justum. Mirum erat virgam Aaronis arefactam unâ nocte progerminasse, & amygdala protulisse. Num.17. multò magis verò mirum ex trunco Isai succiso prodire hanc sacratam virgulam, & surculum tam salubrem ex radicibus ejus efflorescere, Esa. 11,1. qvi fuit adumbratus per arborem vitæ, qvæ in medio Paradisi Gen. 2,9. unde qvi edit, vivet vere in æternum Joh.6. siqvidem in illo vita est Joh.1,4. imò ipse est vita nostra Coloss.3,4. & inde dabitur comedere in omnem æternitatem illi, qvi vicerit Apoc.2,7.

IV. Loc. Comm.

HOc autem mysterium incarnationis in tempus Novi Testamenti reservabatur, qvia in Veteri volebant qvidem illum amabilem inter filios hominum Psal. 45,3. multi Prophetæ & Reges videre, sed non potuêre Luc.10. qvia dies nondum venerant, qvos Pater constituerat Gal.4,4. ubi nobis discendũ, qvòd non aufferatur, licet differatur, qvicqvid Deus pollicetur. Sunt dies venientes post hanc calamitatis noctem, eò aspiremus Cant.2,17. inprimis autem hoc futurum est, *venient ubi tempora justa, cum ſpem DEUS implebit omnem* qvando per Christum hoc germen nos excitabit ex terræ pulvere Dan 12. Joh.5. 1 Cor.15. Tum enim nos stare coram se faciet cum magnâ confidentiâ Sap.5. qvando non possunt consistere in judicio improbi Ps.1,5. & huc alluditPropheta in voce Hebræâ, qvæ significat hoc loco, & excitabo. Sed hæc ad Christi officium spectant, de qvo nunc porrò in parte secundâ.

SECUNDA PARS.

CUm verò in aliis, tum etiam in hoc Epistola ad Heb.c.7. egregium V. T. usum monstrat, qvando Melchizedekum fuisse Christi typum demonstrat. Potissima autem comparationis membra sunt hæc 1. Ratione generationis, is est ἀμήτωρ & ἀπάτωρ, qvatenus ejus origo in sacris literis nõ recensetur; Christus autẽ vere est ἀμήτωρ, qvatenus Deus ineffabili-

liter genitus, ἀπάτωρ qvatenus homo miraculosè conceptus. II. ratione appellationis, is dicitur יְהוָה צִדְקֵנוּ, hoc est, Rex meus est justitia, qvatenus eam nomine DEI prædicabat, & in judicio administrabat: Christo autem rectiùs des nominis hujus honorem, qvia est justitia essentialis, & in nobis suis subditis justitiam efficit, cùm eam, qvæ coram DEO acceptatur, Evangelicè fide imputatam, de qvâ agit noster Propheta; tum eam, qvam postea operamur legaliter. III. Ratione officii, siqvidem erat Rex & è Sacerdos, atq; ita suos regebat ac defendebat, imo etiam docebat, & pro iis orabat, sicut Abrahamo benedixisse legitur Genes.14,19.20. Christus est Ecclesiæ suæ (qvæ cum שָׁלֵם i.e. pacifica, nomine & omine benè convenit) Rex, Propheta, & Sacerdos, idq; secundum ordinem Melchisedek, Psal. 110. IV. Ratione beneficii, protulit is fessis militibus panem & vinum, unde se recrearent: Christus animam nostram cibat & potat Johan.4.& 6.spiritualiter: & in cœnâ etiam sacramentaliter panem & vinum cum corpore & sanguine suo præbet, & deniq; nos corporaliter etiam sustentat, ut ita sub hoc rege justitiæ & pacis pacem habeamus, qvemadmodum hæc omnia à Prophetâ nostro explicantur. Nam qvod attinet officium *regium*, satis disertè dicit, *qui regnabit Rex* (Hebr. וּמָלַךְ ut paulo antè) idq; sine dubio præponitur non tantùm qvia ad Davidem respicit; verùm etiam, qvia id maximè optabant Judæi, venire qvi se asseret in libertatem, ac postea contra hostes defenderet. Is Rex verò non judicabit ad illa tantùm, qvæ exterius apparent, & qvæ audit; sed verum judicium exercebit, *faciet jus & justitiam in terrâ* sine ullâ προσωπολημψίᾳ, bonis præmia & gratiam, malis supplicia & iram offerens. Ad *propheticum* munus possumus referre verbum הִשְׂכִּיל (cujus verbi qvæ sit ἔμφασις Esai.53,1. prolixè fuit declaratum) intelligentiam habuit, & eâ alios imbuit seu informavit ac docuit, qvomodo possint prosperari in viis suis, qvod certè Christus fecit, qvi viam DEI rectè docuit Matth.22. ut Propheta ille magnus Devter.18,18. qvi ἐξηγήσατο Joh.1,18. dedit ἀλάνοιαν 1. Johan.5,20. qviq; jussu DEI est à nobis audiendus Devt.18,19. Matth.17,5. Actor.3,22. Ad *sacerdotale* denique officium pertinet, qvòd dicitur ille Jehova, qvi est germen Davidis justitia nostra, qvatenus is justus pro injustis mortuus est, 1.Petr.3,18.

qvi-

qviq; Christus Jesus justus pro nobis apud Patrem intercedit 1. Joh.2,1. Rom.8,34. Hoc est Christi triplex officium, breviter descriptum: qvodnam verò ejus hinc potissimum in nos redundat beneficium, & qvodnam nostrum, ut reddamur ejus participes, officium? de beneficio hæc sonant, *diebus ejus*, qvando ille in regno gratiæ suos regit, *servabitur*, seu salvabitur (יִוָּשַׁע ut ita ad nomen יְשׁוּעַ seu Jesu alludatur Matth.1,21.) *Juda*, & omnis qvisqvis est verus confessor ejus, & *Israel* qvicunqve fidelisraëlita verus est redditus, *habitabit* ad confidentiam seu *securè*, qvibus verbis in hâc vitâ animæ tranqvillitas Roman.5,1. justificatis, & post eam salus æterna promittitur, qvod sanè est omnium beneficiorum maximum, idq; omnibus est partum, omnibusqve offertur; qvod autem non omnibus conferatur inculpâ sunt homines, qvi non norunt hunc suum Dominum, nec eum fide recipiunt, ut fiant filii DEI Johan.1,12. *& hoc est nomen ejus, qvo vocabit eum* qvisqve fidelium, agnitio ejus & fidelis nominis ejus invocatio reqviritur, ut sciant, qvis sit, qvid præstiterit, & hæc omnia fidei manu sibi parta bona applicent: unde toties in Novo Testamento occurrit, credere in nomen filii Dei, præsertim apud Johannem, hoc est, certissimè sibi persvadere, & fiduciam ponere, hoc Jesu nomen etiam habere suum omen, siqvidem in eo uno est salus Actor.4,12.

1. Loc. Commun.

ISraelitæ, qvum non rectè peterent, neq; justis de causis, sibi dari Regem 1.Sam.8. dedit illis DEUS in irâ suâ Hos.13,11. Regem & Principes in furore suo, & eos, sæpè ex justitiâ præfecit, qvi suâ malitiâ inducti erant, suâ potentiâ abusuri 1.Samuel.8. at qvantò Ecclesiæ cives sunt feliciores, qvi anteqvam rogarunt, jam DEUS Regem ex gratiâ illis constituit Psal.2,6. Regem magnum in totâ terrâ Psal. 47,3. Regem gloriæ Psal.24. qvi habet plenariam gubernationis potestatem, Apoc.3,7. & 1,18. Confer Esa.22,22. qvi etiam dominatur in medio suorum inimicorum Psal.110,2. Rex justus & iratus impiis, Salvator autem & placatus piis Zach.9,9. Hic igitur à DEO Patre constitutus habet regnum non de hoc mundo Joh.18,36. sed spirituale, qvod nos monet, nos ejus subditos non esse de mundo, sed è mundo esse electos, Joh.17. Arma nostræ militiæ non esse carnalia 2.Cor.10,4. & tales vel-

le Deum adoratores, qvi adorent eum in spiritu & veritate Johan. 4. Non igitur nimis nos immergamus rebus mundanis cum divitibus hujus mundi, 1. Tim. 6. ut testantur exempla Luc. 12. & 16. neq; nimis studeamus hodiernæ politicæ, qvæ tantùm in vocibus, & externis gestibus consistit: neq; etiam confidamus rebus mundanis, utpote vanis, opibus, honoribus, voluptatibus: contrà dictum nobis putemus illud, Luc. 12, 32. ne metuas, parvegrex, qvi adhæres tuo Regi Christo, qvia placuit Patri vestro dari vobis regnum, & qvidem æternum Dan. 2, 44. Luc. 1, 33. in civitate DEI vivi Hebr. 12, 22. & cœlesti Jerosolyma Apoc. 21. & 22. Huc igitur adspiremus, tendentes ad montem Domini, in qvo regnat hic Rex noster, & nos conferamus Jerosolymam, ubi est hæc pacis visio nam in regno gratiæ ibi est ei ignis & furnus Esa. 31, 9. relinqventes cum Lotho hujus mundi Sodomam Gen. 19. sicut in baptismo promisimus, cùm in numerum civium hujus regni cooptamur 1. Petr. 3, 21.

II. Loc. Commun.

ALii Reges sæpè vel suis affectibus pravis indulgentes, vel consiliis aliorum abrepti cum monstro illo Nerone sibi licere putant, qvicqvid libet, pro arbitrio suo agunt, pleraq; non ex justo judicio: verùm hic Rex faciet jus & judicium in terrâ, non tantùm gentibus annuncians Matth. 12, 18. verùm etiam proferens id ad victoriam ibid v. 20. hic enim est ille, qvi stabilit ac fulcit regnum suum jure ac justitiâ Esa. 9, 7. cujus regni sceptrum rectum, qvi diligit justitiam, ac odit improbitatem Ps. 45, 7. 8. (unde Christianus IV. Rex Daniæ suum videtur mutuasse symbolum, *Regna firmat pietas*) Qvod si ita est, & si tantùm, qvi Deum timet ac rectè facit, acceptus est illi Act. 10. qvid nostri sit officii, qvi volumus gaudere insignibus privilegiis ac beneficiis hujus regni, facilè colligimus, nempè nos decet justa capessere, prava relinqvere. Nihil enim pollutum, aut qvod facit abominandum, ingredietur istud regnũ Apoc. 21, 27. vide Matth. 25. illa duo maximi ponderis verba VENITE & ITE. David jam confirmatus Rex in arce Sionis habitans non permittebat claudum aut cæcum intrare 2. Sam. 5. 8. multò magis hic David noster Amos 9, 11. Hos. 3, 5. odit, in qvibus non est fidei oculus, qviq; in viâ virtutis Christianæ non progrediuntur aut claudicant. 1. Reg. 18, 21. si cujus enim cor non est rectum coram DEO, ipse non potest esse particeps gloriæ hujus regni Act. 8, 21.

III

III. Loc. Commun.

CUm ex lapsu Adami inter homines non fuit intelligens, aut qværens DEUM Rom.3,11. solus hic Davidis filius & alter Adami. Corinth.15. Patris sapientia Prov.8. factus est nobis â Patre sapientia 1.Cor. 1. qvoniam prædicavit captivis liberationem Esa.61,1. Luc.4. Ipse enim fuit ille servus DEI, qvi sapienter viam ad cœlum nobis monstravit suo verbo, ut Propheta, paravit suo merito, ut sacerdos, munivit suo sceptro, ut Rex ac Dominus noster, vide Prov.30,1.2.3.4.5.6. hic est ille Jehova genitus vindex sanctus Israelis, qvi jure optimo ita de se loqvitur: ego Jehova DEUS tuus doceo te proficere, deduco te viâ, qvâ ambules Es.48,17. Psal.32,8. cujus monita salubria si qvis audit, prosperatur ac secundatur in viis suis, sicut de Josuâ scribitur cap. 1, 8. qvod etiam rectè ad reliqvos omnes vitæ ordines ac status accommodatur, qvum sine hoc nihil possimus qvicqvam Joh.15,5. cùm ipse meritò dicere qveat, meum est consilium & qvicqvid est, mea est prudentia, meum robur. Prov.8,14. Qvum Salomo pro sapientiâ sibi divinitus concessâ de omnibus rebus Physicis, Ethicis, Politicis loqveretur, homines ex omnibus populis ad audiendam ejus sapientiam confluebant, 1.Reg. 4,31.34. Ecce hic major est Salomone Matth.12.

IV. Loc. Commun.

QVum germen illud Davidis, qvod in unitate personæ est Jehova, vitâ sanctâ & morte acerbâ, ut tota scriptura testatur, pro nobis satisfecerit, & nobis justitiam acqvisiverit, desinat hinc suum errorem velle palliare Osiander, qvod Christi divina & essentialis justitia nos salvet, illa enim non minus ut Patris, simpliciter considerata, est nobis ignis consumens, sed Jehova est justitia nostra, Jehova autem & DEUS incarnatus, qvâ de re ita breviter habendum. Christi justitia duplex est, una naturarum, divinæ & humanæ. Divina habet ab æterno justitiam DEI essentialem, sed ea creaturæ communicari neqvit: aliàs ipsæ creaturæ fierent essentialiter DEUS, qvod est contra Osiandrum: sic etiam humana habet naturalem justitiam, qvia absqve peccato, sed illa debebatur nostro Salvatori, ut ipse esset talis Hebr.7,26. qvi posset aliam acqvirere. Et hoc contra Jesuitas, Stancarum, & alios tenendum, qvi Christum esse no-

nostrum mediatorem ac Salvatorem statuunt tamen, secundum naturam humanam. Contra qvem errorem Lutherus noster hinc inde graviter, qvando ἀπροίωσιν Zvvinglii refutat. Alia verò est justitia Christi acqvisita in officio omnimodâ legis impletione & faciendo & patiendo, illo omissionis, hoc commissionis peccata expians: & hæc est nostra justitia. Jehova igitur ipse est nostra justitia, sed ille qvi est θεάνθρωπος secundum utramqve naturam. Nam qvod oportebat eum fieri hominem, si Jehova solus cum suâ essentiali justitiâ potuisset nos salvare? qvâ de re alibi. Si autem Jehova est nostra justitia, erit illa abundans satis Matth. 5. Si enim Paulus potest dicere de Onesimo ad Philemonem, ut sibi imputet, si qvid debet; id rectiùs Christus ad Patrem de nobis omnibus servis Dei fugitivis cum Adamo Genes. 3. qvi-qve volueramus Dei honorem cum eodem suffurari; si qvid debent, Pater, mihi imputa, ego satisfaciam, solvam qvod non rapui Psal. 69. mortem pro illis obibo, qvam non merui Esa. 53.

V. Loc. Commun.

QVales autem esse decet, qvi tantorum beneficiorum velint esse participes? paucis, *Juda*, nempè confessores Roman. 10. & *Israel*, hoc est, qvi cum DEO se gerant Principes Genes. 32. qvid hoc vero? id scilicet agnoscant & confiteantur, qvòd in & à se nihil, à Christo autem omnia habeant, pro tanto beneficio gratias agant, non tantùm dictis sed etiam factis. Luc. 1. & pugnent contra suam carnem, mundum, & Diabolum: ita futurum est, ut non tantùm hìc habitent securè justificati, sed etiam æternùm triumphent salvati, omnibusqve suis hostibus in Christo insultent 1. Cor. 15, 54. &c. qvæ omnia obtingunt piis fide. Fides enim est notitia Esa. 53. fides nostra est victoria 1. Johan. 5. Jesu Christe, sis memor tui nominis, venisti Salvator hominis, fac nos ita in regno gratiæ participes tui luminis, ut fiamus olim compotes in æternum tui numinis.

DOMINICA VII. POST TRINITATIS.

Psal 145, 15. 16.

CUm in multis aliis, videlicet mortui excitatione 1. Reg. 4. lepræ sanatione cap. 5. insidiarum detectione cap. 6. potest Elisæus compa-

comparari cum Christo, siqvidem hic est vita, per qvam omnes vivunt & spiritualiter nunc excitantur, & olim omnes in extremo judicio ex sepulchris revocabuntur, Johan.5,25.28.29. hic est, qvi solus lepram peccati in se sustulit, & suo sanguine, qvo tingit baptismatis undam, abluit Tit.3. hic est, qvi insidias Diaboli & mundi, qvas piis struunt, & ipse indicavit hinc inde, & porrò per suos ministros indicandas curavit: tum præcipuè in hoc potest conferri, qvòd in penuriâ ac inopiâ cibi ac potus miraculosè de victu iis prospexit, qvi ejus auxilium implorarunt. Sic sale injecto aqvas malas sanat 1.Reg.2,19.20.21.22. Christus peccati aqvam intercutem crucis & calamitatum acerbitate ita castigat, ut inde non oriatur mors æterna 1.Corinth.11,32. is auget viduæ oleum, ut abundè suppetat 1.Reg.4,1. Christus suis parat lautissimum convivium, & delibutum reddit oleo ac unguento caput eorum Psalm 23,5. imo oleo ac donis Spiritus sancti instruit Eph.4,7.8.11. Is pultem amaram ac mortiferam reddit dulcem ac salubrem 1.Reg.4,40.41. Christus panem doloris, qvo suos ad tempus cibat, ita edulcat sui solatii pharmaco, ut possint sufferre tentationem 1 Cor.10,13. Is viginti panibus parvis, qvos poterat portare unus vir, cibat centum viros, & abundè reliqvum facit: Christus in Evangelio nuper explicato paucis panibus ac piscibus saturat qvatuor millia hominum Marc. 8. exceptis mulieribus ac puerulis Matth,15,38. ita ut ex parvo plus supereset. Hanc suam paternam curam pro nobis qvomodo adhuc qvotidiè geratDeus, David explicat Psal.145. qvod qvia notum, qvum qvotidiè à nobis recitetur in cibi benedictione, ut tantò attentiùs consideretur, placet paucis explicare. Partes sint duæ.

I. *Qva esse debeat hominis in Deum confidentia.*

II. *Qva esse soleat DEI de homine providentia.*

Domine, qvum in his facilè possimus errare, oculi nostri ad te spectant, esurimus justitiam Matth.5,6. tu nos satura, tu des, ut panis vitæ de cœlo nobis appluat, unde vivamus Joh.6. aperi manum tuam, tange linguam dicentis & auditorum aures, ut loqvamur & audiamus recte Marc.7. sic fiet, ut beneplacitum tuum per filium tuum in ministris loqventem Luc.10. intelligamus.

PARS PRIMA.

DEmonstrant physici, probat Scriptura mirabili qvâdam vicissitu-

dine ex mari oriri omnia flumina, & omnia eòdem redire, poſtqvam varia loca irrigarunt. Mare ac abyſſus non tantùm ſapientiæ, verùm etiam bonitatis aç potentiæ eſt Deus omnipotens, unde oriuntur omnia bona, ideoq; etiam huic merito accepta ferenda ſunt, in gratiarum actione. Ad hoc mare potentiæ v.5.6.13.14. & bonitatis verſ. 7.8.9.17. conſiſtens David in hoc Pſalmo primùm, qvid ipſe huic debeat, profitetur verſibus tribus primis; deinde omnia reliqva creata, ut ſuum imitentur exemplum, monet verſ. 4. & 10. eandemq; ſuam exhortationem repetit v.21. Miratus Ariſtoteles dicitur fuiſſe, qvum rimari non poſſet, neq; ſatis explicare cauſas motus Euripi varii, ſicut & pleriqve alii Phyſici, in fluxu & refluxu maris declarando valde fluctuant; ſed David noſter ſatis certas, unde omnia profluant, & qvò referenda ſint, in laudes erumpit. De potentiâ agemus aliàs, nunc de bonitate ex verſ.15. 16.ad qvam ut ſe omnes creaturæ convertant,ſi qvid ipſis deeſt, ita monet, qvum qvid rectè fiat, dicit, *oculi omnium* tam hominum, qvàm reliqvorum viventium, imò etiam aliarum creaturarum, ſicut ex loco parallelo Pſal.104,27. & qvæ ibidem præcedunt, facilè eſt colligere *ad te ſpectant* אֵלֶיךָ יְשַׂבֵּרוּ in te ſperant, & abs te ſalutem expectant, in te ſolo ſunt defixi & de te uno cogitant,qvomodo ad Chaldaicum סְבַר i.e. cogitavit, verbum Hebræum hoc cognatum accedit, & præcipuè hominis, qvi poteſt propriè ſperare & orare, confidentia in Deum vivum reponenda, qvi omnibus præbet omnia abundanter ad fruendum 1.Tim.6,17.

1. Loc. Commun.

QVemadmodum igitur à DEO proveniunt omnia,ita etiam ad eum in omnibus neceſſitatibus confugiendum, nam ô tu, qvi exaudis orationem, ad te usqve omnis caro ventura eſt Pſal. 65, 3. ſi qvid in deſerto deerat populo Iſraelitico, ſtatim ad Moſen ſuum ducem id devolvebant: ideoq; meritò nos cum Davide concludimus: Ecce ut oculi ſervorum ſpectant ad manum Dominorum ſuorum, ut oculi ancillæ ad manum heræ ſuæ; ita oculi noſtri ad Jehovam Deum noſtrum, donec gratiam fecerit nobis Pſal.123,2. Verùm id non adeò mirum, homines ad DEI imaginem creatos cœlum tueri, & erectos ad ſidera tollere vultus, qvum ipſa qvoqve bruta, imò creata ad eum reſpi-

respiciant, is agnoscit omnes volucres Psalm.50, 11. & unus non est in oblivione coram illo Luc.12,6. pascit illos Matth. 6, 26. dat jumentis escam & pullis corvorum invocantibus eum Psal.147,9. Job.38, 41. ideoq; meritò oculi omnium ad eum solum spectant, qvo dante illis, colligunt, Psal.104,27. Præcipue autem hominibus hoc competit & qvidem, ut non tàm oculis corporis, qvàm animi, imò fidei in Deum respiciant, præsertim in calamitatibus 2.Chron.20,12. Hinc adeò est, qvod cum Deus dixerat, se ponere lapidem, adjiciat se apponere lapidi illi unico septem oculos, velle ut omnes eum videant, eiqve confidant Zach.3,9. sed qvemadmodum olim Nabasch, Rex Hammonitarum, volebat fœdus pangere cum Israelitis, cum effoderet ipsis oculum dextrum 1 Sam.11,2. ita Diabolus serpens ille antiqvus (id notat נָחָשׁ) Confer Johan.8,44. 2. Corinth.11,3. 1.Tim.2,14. Apocal.20,2. qvi, qvæ ejus est intentio, totum terrarum orbem seducit, & proinde עַמּוֹנִי rectè vocari potest Apocal.12,9. inprimis cùm alibi dicatur Deus hujus mundi 2.Cor.4,4. qviqve habet magnum regnum Luc.11. cum plerisq; hominibus fœdus init effodiendo ipsis oculum dextrum, qvo Christum intueri debebant.

II. Loc. Commun.

QVemadmodum autem, ut id faciant, cogit hominum necessitas & inopia ita eodem invitare debet Dei benignitas & copia. Nihil enim ab illo oratur, qvod non impetratur, si modò non noceat. Et id exempla in bibliis notata in nostrum usum declarant. In annonæ penuria cum Isaaco Genes.20. & Jacobo Genes.46, in eum spera, & ipse bonis te satiabit, & potius qvàm fame pereas, corvi cibum tibi afferant, 1.Reg.17. in persecutione cum Mose Exod.14. & Davide 1.Sam.22. oculi tui in hunc sint intenti, & ipse te mirabiliter eripiet Psal. 91. in calumniâ tuam innocentiam tandem declarabit, sicut fecit in Josepho Genes.41. & Mephibosetho 2.Sam.19. Qvando sapientia indiges Jacob. 1. cum Salomone huc te confer 1.Reg. 3. voti compos fies. In via hunc expete ducem, qvi te referet salvum, ut Jacobum ex Mesopotamiâ, Tobiam ex Mediâ, Magos in terram suam. In morbo hunc exopta medicum Exod.15,26. convalesces cum Hiskia Esa.38. In mortis tenebris hanc lucem respice, ita per mortem in vitam intrabis Ps. 23. Joh.5. Et hæc esto hominum in Deum confidentia.

Secun-

SECUNDA PARS.

VIdeamus porrò Dei de ipsis providentiam Hebr.11, 40. David qvidem jam Rex prorsus confirmatus tori populo, qvi ex ejus mandato arcam Dei adduxerant, dabat cuiq; tractam panis, frustum carnis, & lagenam vini 2. Sam.6,1.19. Sed DEUS Rex mundi longè magis omnibus dat omnia, præcipuè autem hominibus, qvi in suis precibus arcam fœderis, id est, DEI promissiones afferunt cum Davide Psal.27.& super eâ propitiatorium Christum Jesum Roman.3. adducunt, qvâ de re noster Propheta sic loqvitur, & tu *dans es*, seu das *illis* omnibus in te spectantibus *escam suam in tempore suo* oportuno בְּעִתּוֹ (עֵת autem græcæ voci καιρὸς respondet, ut liqvet ex cap.3. Eccles.) tum non qvum ipsis visum, sed qvum maximè indigent, & hoc facis ô DEUS pro tuâ infinitâ sapientiâ, ut articulos temporum optimè observes Actor.1,7. qvòd autem dare possis omnia & semper, ita ut nunqvam deficiat tua liberalitas facit tua immensa potentia, *aperis manum tuam* omnipotentem, qvæ nondum unqvam est abbreviata Num.11,23. Esa.50.2. & 59,1.& *saturas omne vivens beneplacito*, pro tuo beneplacito Johan.6,11. imò etiam cum ipsorum animalium beneplacito, qvæ non tantùm in tuâ illâ paternâ voluntate suaviter acqviescunt, verùm etiam ita abunde sibi satisfactum esse agnoscunt; ut meritò placeat illis, qvod tibi ô DEUS placuit Per Christum placato, רָצוֹן enim maximè exprimit Græcam vocem illam εὐδοκία, qvæ tantum per Christum nobis natum Luc.2, 14. & pro nobis datum Matth.17,15. Ephes.1,5. Luc.12,32. nobis obtingit.

I. Loc. Comm.

DAvid qvidem Barzillai, qvi ipsi magna beneficia præstiterat 2.Sam. 17,26 hanc refert gratiam: sustentabo te apud me Jerosolymis 1. Sam.19,34. Sed DEUS, qvum nemo ipsi dedit qvicqvam prius, ut ipsi rependatur Roman.11,35. gratis sine ullis hominum meritis, dat seu donat, ut meritò in nostrâ linguâ à benefaciendo nomen obtineat. Ex Hedene olim procedebat fluvius, qvi se dividebat in 4. capita Genes.2, 10. sed sub throno DEI oritur beneficentiæ flumen, qvod se effundit in omnes qvatuor orbis angulos, & hinc ab ortu solis usqve ad occasum

ejus

ejus est laudabile nomen Domini Psal.113,3. & incolæ extremi atum reverentur eum, qvia ipse visitat terram, & rivo DEI pleno aqvæ ditat eam Psal.65,9.10.

II. Loc. Commun.

JAcob cum suis fame pressus, audiens frumentum esse in Ægypto, inde id per filios petit: nos rerum indigi, qvia scimus apud DEUM esse omnes divitias, ad ejus bonitatem confugiamus, ipse Pater noster non dimittet à se inanes nos suos filios Luc.11. ut dicere qveant cum psalte, puer fui, & consenui, & nunqvam vidi justum ita derelictum, ut semen ejus qværeret panem Psal.37,25. Qvum autem dicitur qvòd det escam, frugalitatem, & qvod qvisq; suâ sorte debeat esse contentus, docemur; siqvidem non promittit magnas omnibus divitias, aut perpetuas delitias, sed cibum. Qvum autem victum & amictum qvalemcunq; habemus, simus contenti 1. Tim. 4,8. sicut videmus avinculas ad minimum qvodq; granum DEO suavi voce cantillantes gratias agere; sic etiam nos parva si gratâ manu acceptamus, majora sæpè reportamus. Hic autem videas plerosq; murmurantes, & nemo ferè suâ sorte contentus vivit.

III. Loc. Comm.

IN tempore suo, qvando dicit, monemur DEO optimè nota esse temporum momenta. Qvidam statim in juventâ volunt sibi dari multa, sed nondum venit hora DEI, & sæpè bonum vinum ultimo loco Dominus apponit, & suos primùm in desertum deducit Marc.7. Joh.6. deinde cibat, ut olim Israelitas postea in terram fluentem lacte ac melle introducebat. Ipse enim est adjutor in ipsâ oportunitate Psal.9,10. non igitur præscribamus metas aut tempus juvandi Judith.8.

IV. Loc. Commun.

QVid autem oculis nostris spectandum? tria illa DEI,

Cor patrium, os verax, omnipotensq; manus.

Cor declarat voluntatem, manus facultatem juvandi innuit, qvia enim omnia in manu Dei Job.12,10. Ps.95,4. ad hoc cornu copiæ oportet omnes accurrere, qvi velint satiari. Qvum autem dicitur aperire manum; confertur cum agricola, hinc inde spargente suum frumentum, & cum liberali Rege, suis subditis dispertiente bona.

V. Loc. Commun.

DEUS ipse omnibus in se abundat, & saturat etiam omnia, qvantum sufficit extra se, qvia non est penuria timentibus eum Psalm. 34,10. 11. & in Christum fide recumbentibus. Si enim propter Josephum Pharao Jacobum cum suis sustentabat Gen. 47. qvantò magis DEUS suos pios propter Christum, & propter pios mundum ita conservat, ut meritò hîc beneplaciti illius in Christo fiat mentio? siqvidem per illum solum ut restauratur in nobis DEI imago, ita etiam rerum Domini vicissim constituimur. Pro hâc igitur δόξα sit illi summo patri εὐλογία Eph. 1,3.5. Amen.

DOMINICA VIII. POST TRINITATIS.

Hebr. 13, 17.

QVando jam David divinitus erat in regnum reductus, plerique omnes ei adhærebant, obedientia mq; debitam pollicebantur ac præstituri erant: solus qvidam neqvam, nomine Sesaba, filius Bicri, vir Jeminita deficiebat, aliosq; ad defectionem hortabatur dicendo; Non est nobis pars cum Davide 2. Sam. 20,1. &c. verùm is postea profugit Abelum, ibiq; capite amputato misere periit v. 14. qvia Regem suum sequi noluit. Si qvi Christum, verum illum Davidem Hos. 3, 5. & Patri dilectum filium Matth. 3. à Patre Regem Sionis constitutum, imo cui fines terræ ipse dedit possessionem Psal. 2. nolunt recipere, aut super se regnare Luc. 19,14. 27. filii Belial בְּנֵי בְלִיַּעַל vel qvasi בְּנֵי עוֹל sine jugo Psal. 2,3. vel qvasi בְּנֵי יַעַל neqvaqvam ascendet, crescet, aut proficiet, qvi qvidem juramentum dedere huic suo Domino in baptismo 1. Petr. 3,21. (qvò non malè qvadrat nomen hæbræum שִׁבְעָ) qviqve jam in baptismo Christo induti Gal. 3. facti erant filii illius primogeniti inter omnes, seu Christi (בְּכוֹר enim, unde בְּכִרִי, primogenitum denotat) & per filium illum dextræ poterant eò subvehi, ut sisterentur olim ad dextram Christi Matth. 25. æternoq; gaudio fruerentur, suâ culpâ deficiunt & profugiunt Abelum (אָבֵל lugentem significat) ad Diabolum, in cujus regno, seu inferno est merus luctus tantùm, qviq; poterant esse filii regni, æternùm pereunt Matth. 8,12. In illo autem suo regno gratiæ Christus certos præfecit duces & ministros verbi, qvi sub Domino illo

illo exercituum ipsi bella gerunt, aliosq; contra Diabolum, mundũ, carnemq; suam pugnare docent, qvos si qvis contemnit, illisq; non obedit ipsum ducem supremum ac regem rejicit Luc. 10, 16. qvam contumeliam (nisi pœnitentiâ seriâ qvis faciem ejus deprecetur) nemo auferet impunè. Hâc de re satis graviter monet autor Epistolæ ad Hebr. cap. 13, v. 7. & 17. qvem posteriorem nunc libet paucis expendere, & qvidem illo hæc duo.

I. *Auditorum obedientiam & obsequium.*

II. *Doctorum diligentiam & gaudium.*

Domine, qvi tuos ministros audit, te audit Luc. 10. Da igitur, ut eorum monitis ita obtemperemus, ut possimus aliqvando, qvomodo tempus nostrum collocaverimus, rationem tibi exigenti reddere Matth. 25.

PARS PRIMA.

QVamdiu David nondum arcem Sion occupaverat, hinc inde primum in exilio vagabatur 1. Sam. 19. deinde in sanctæ terræ urbibus velut peregrinabatur; postqvam autem Jebusæum inde expulerat, fixam sedem ibi constituebat: ita etiam nobis obtingit, qvamdiu nondum plenariè ad arcis Sionis antitypum seu montem Domini sumus evecti, hîc nondum habemus manentem civitatem, sed futuram inqvirimus Hebr. 13, 14. Ut verò hoc ritè fiat, dux & autor nobis opus est, qvi est Christus Matth. 2, 6. & ejus legati ministri verbi qvi, qvòd sanctum Dei exercitum ducunt, ἡγούμενοι appellantur etiam v. 7. ac 24. hujus capitis: qvia verbo velut pedo qvodam oves Christi regunt. Confer Ps. 23, 4. Act. 14, 12. & 15, 22. Ut igitur in acie milites Imperatori ac ejus præfectis omnem obedientiam præstant: ita etiam omninò reqviritur, ne qvis hîc ordinem turbet, sed officii sui munia servet, locumqve sibi datum tueatur: qvod Apostolus hoc loco dicit *obedite* πείθεσθε, ductoribus vestris, ab iis persuasi, fore ut amplissima reportetis præmia, si justo ordine porro incedatis, neq; de viâ rectâ declinetis Gal. 5, 25. *& obsecundate*, non tantùm dicta memori mente tollatis, sed etiam facto ac re ipsâ exprimatis ὑπείκετε, cedite, qvia inferiori loco estis constituti auditores, & credatis eos vestros duces, ut autoritate, ita etiam sapientiâ plus valere ac prospicere, qvàm vos ipsi potestis vestris rebus consulere.

I. Loc. Commun.

DIscimus hîc esse Ecclesiam militantem Apoc.12,7. Eph.6,12. in cœlis autem triumphantem, qvæ omnibus adversis erepta vivit Deo Luc. 20,38. In militante autem certi sunt ordines, non tantùm Ecclesiasticus, Politicus & Oeconomicus, (qvi ut probentur, Conferri possunt loca seqventia Jerem.1,18. & 8,1. Ezech. 7, 26. 27. & 22, 25.26.27.28.29. Hos.5,1. Soph.3,2 3.4. Hag.1,14. & 2,4.) verùm etiam multi alii status ac vitæ genera, in qvibus omnibus DEUS, qvi non est ἀκαταστασίας autor 1.Cor.14,33. omnia vult fieri εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν ibid. vers. 40. Israelitæ ex Ægypto militari ordine seu qvini ascendebant; tum ut tanto expeditius procederent ipsi, tum ne viderentur more fugitivorũ se subducere Exod.13,18.

Nos igitur qvando Christo duce & auspice Christõ

Ex mundi hujus tenebricosâ Ægypto Apocal.11,8. etiam militari ordine, qvem præscripsit ille noster summus Imperator ac Dominus צְבָאוֹת Psal.24. progrediamur respicientes ad crucis Christi vexillum, in qvo qvinq; ejus cernuntur vulnera, contra omnes animæ morbos salutaria remedia. Hinc jam

II. Loc. Commun.

ELucet maxima præconum verbi dignitas. Celebrantur multi, qvòd fuerint Davidis Regis duces 2.Sam.23. sed multò magis olim fulgebunt à Christo in Ecclesiâ constituti ductores. Qvi sunt in statu politico magnis & honorificis ornantur titulis Roman.13.Psal.82. verùm ad horum ductorum ac doctorum dignitatem non accedunt. Illi enim qvando Ecclesia comparatur ovili, sunt pastores Actor. 20, 28. qvando magno palatio seu ædificio, sunt œconomi ac dispensatores, & qvidem mysteriorum Dei 1.Cor.4,1. qvibus sunt concreditæ claves Matth. 16. & 18. qvando Ecclesia confertur cum domo adhuc ædificandâ ratione membrorum, ipsi sunt Architecti 1. Cor. 3. qvando eadem cum horto vel vineâ comparatur, illi plantant & rigant, ibid. Qvum Ecclesia consideratur, ut Christi sponsa, ipsi sunt velut pronubi 2.Cor.11,2. Confer parabolam, Matth. 22. imo qvidam suo modo patres spirituales Gal.4,9. 1.Cor.4,15. ipsi sunt lux mundi Matth.5. &, si rectè suo funguntur munere, duces cæcorum, eruditores desipientium, informatores infantum Rom.2,19.20. sed illis omnibus jam missis appellatio

nem

nem hanc, qvâ nominantur ἡγούμενοι, paucis expendamus. Duces igitur ut *primùm* ab Imperatore certâ ratione præscriptâ vocantur; ita etiam hi præcones verbi vocatione suâ gaudent, qvæ fit mediatè per Ecclesiam, cujus membra qvòd DEUS huc inclinat, qvando est legitima vocatio, ipse adhuc ministros verbi dare dicitur Actor. 20, 28. 1. Tim. 4, 16. Ephes. 4, 11. qvippe qvi est, qvi extrudit operarios in messem suam Matth. 9, 38. & qvi Jerosolymis dat Evangelizantem Esa. 41, 27. Nemo igitur sibi rapiat hunc honorem, sed vocetur à DEO, Hebr. 5, 1. 4. 5. qvomodo enim cum fructu prædicabunt, nisi mittantur à DEO, qvi velit benedicere & dare incrementum Roman. 10, 15. 1. Corinth 3., 7. *Deinde*, ut aliis sapientia antecellunt duces; sic qvi appetunt hoc tam arduum ac sacrosanctum munus, sint sibi mediocris doctrinæ & peritiæ in rebus sacris conscii, & ipsi prius discant, qvàm dicant; prius taceant qvam verba faciant; prius ad pedes doctorum sedeant, qvàm ipsi capita aliorum constituantur. Moses non poterat neqve debebat 70. sibi adjungere, nisi seniores, qvi se sisterent ad tentorium conventus, & qvibus inderetur de spiritu illo, qvi erat super eum Num. 11, 16. 25. Multò minùs igitur alii debent populo præfici, nisi qvi sint jam natu grandiores (excepto, qvando nonnulli

Ante annos animum̃ gerunt, curam̃ virilem)

Qviqve se stiterunt ad tentorium conventus, ubi doctrina de DEO ejusqve voluntate explicatur, & qvibus concessa sunt jam illa spiritus sancti dona ad tam sanctum officium necessaria. *Tertiò* ut ducibus datur plus stipendii, qvàm aliis gregariis militibus: ita etiam non tantùm est dignus hic operarius mercede suâ; verùm etiam qvi benè præsunt presbyteri duplici honore sunt digni, 1. Timoth. 5, 17 18. & tandem majori gloriâ ornabuntur in cœlo, qvi plures justitiæ viam docuère Dan 12. *Qvartò* ut duces sæpè secreto cum suo Imperatore colloqvuntur: ita etiam hi ductores sacri cum DEO in bibliorum lectione & assiduâ oratione colloqvia sua instituant, ut ita ipso docente discant, qvomodo omnia dextrè ac feliciter expediant. Moses certè, magnus ille Israelitarum dux, sæpius ad DEUM in montem accedebat, & qvomodo rectè suo præesset populo, discebat, & postqvam descenderat, non aliter ac ipsi præmonstratum erat, se gerebat: Qvod exemplum utinam imitarentur. *Qvintò* ut duces suis militibus locum &

officia attribuunt, singulisq; obedientibus præmia pollicentur, immorigeris autem pœnas comminantur : ita etiam ministri verbi omnes sui officii admonent, & piis à DEO promissa cœli gaudia, impiis inferni proposita supplicia inculcant. *Sextò* duces habent delectum militum: ita etiam non tantùm in doctrinâ præcones verbi pretiosum à vili educant, qvia os DEI sunt Jerem.15,19. verùm etiam extremè malos excommunicent ad exemplum Pauli, 1.Cor.5. bonos autem, ut pergant sedulò hortentur Tit.1,9. *Septimò* deniq; ut duces, qvod alios monent, ut contra hostem pugnent, ipsi prius faciunt & bono exemplo præeunt (vide Gideonis historiam) sic etiam hi ductores sacri sint typi fidelium in sermone, in conversatione, in dilectione, in spiritu, in fide, in castitate 1.Tim.4,12. Tit.2,7. Cavendum igitur est iis omni studio, ne juxta Ambrosium sit nomen inane, crimen immane; ne sit honor sublimis, & vita deformis; ne sit Deifica professio, & illicita actio; ne sit religiosus amictus, & irreligiosus provectus. *Nam juxta Bernhardum monstrosa res est gradus summus, & animus infimus; sedes prima, & vita ima; lingua magniloqva, & manus otiosa; sermo multus, & fructus nullus; vultus gravis, & actus levis; ingens autoritas, & nutans stabilitas.*

III. Loc. Commun.

TAlibus autem ducibus probatis debetur obedientia & reverentia ab auditoribus. Autoritatem enim illis conciliat divina vocatio, cui se meritò subjicit omnis humana ratio, 2.Cor.10,4.5. Qvando populus Israeliticus audiebat, Mosen à DEO peculiariter ad id esse vocatum, ut ipsos ex Ægypto educeret, vertice inclinato incurvaverunt se, honorem ei exhibentes maximum, Exod.4,30.31. & nos igitur, qvoniam scimus, à DEO nobis missos esse nostros ductores, cum magnâ reverentiâ excipiamus, non qvidem cum Galatis oculos nostros nobis eripientes Galat.4,14.15. sed aperientes; non cum Lystrensibus tauros vittatos Act.14,13. sed pro tanto munere cum Zachariâ Luc.1. juvencos labiorum nostrorum & gratiarum actionem DEO offeramus Hos.14, 2.Hebr.13,15. qvæ consistit non tantùm in dictis, sed etiam in piis factis 1.Sam.15,22. siqvidem rectos decet laudatio Psal.33,1.& contra non est speciosa laus in ore peccatoris Syr.15,9. Benignitas igitur & fides occurrant sibi, justitia & pax se osculentur, fides è terrâ progerminet, &

ju-

justitia è cœlis prospectet, ut Jehovæ gloria habitet inter nos, & nos ex ore doctorum sacrorum audiamus, qvid loqvatur Jehova Ps.85,9.10.11. 12. Illorum enim est viam salutis annunciare Act.16,17. & verbo suadere seu πείθειν, ut angustam ad cœlum viam homines insistant Actor. 13, 43. & 18, 4. & 19,18. unde oritur πίστις Rom.10,14.17. Auditorum autem est ὑπείκειν & ὑπακόειν ibid.v.16. Act.6,7. 2.Cor.10,5. 2. Thes. 3,14. & suscipere sermonem eorum, non ut hominum, sed ut DEI, sicut revera est, 1.Thes.2,13. ita futurum est, ut per illum salventur 1. Tim.4,16. Jacob.1,21. & ut Israëlitæ per Josuam, ita ipsi obedientes à Jesu ministris in veram reqviem æternæ vitæ introducantur Hebr. 3, & 4. Contrà ut in deserto cadebant illi refractarii Num. 13. & 14. ita immorigeri & inobedientes auditores in terræ sanctæ antitypum seu cœlum nunqvam venient Act.13,46.

SECNUDA PARS.

DIfficile qvidem munus erat, qvod demandabatur Levitis, ut ipsi tentorii conventus, omniumq; ejus instrumentorum, qvæ erant varia, custodiam agerent Num.1,50.53. & 3,7.8. at longè majus est illud officium, qvod omnes verbi ministri sustinent; qvippe qvibus non tabernaculum illud manu factum, sed templa DEI viva, hoc est, pii homines 1.Cor.3, & 6. regendi ac servandi concreduntur: qvin etiam reliqva ad Ecclesiam spectantia bona, ut verbi depositum preciosum, qvod qvovis thesauro est carius Matth. 13. Psal. 19. & sacramenta Ecclesiæ κειμήλια custodienda sunt commissa, atque ita ut de singulis sit aliqvando reddenda ratio, sicut hoc ipsum noster autor porrò declarat. *Illi enim* ductores vestri, de qvibus jam dictum, *excubias agunt* ἀγρυπνοῦσιν, vigili & attentâ mente singula observant, ut Φύλακες Act. 20,28. & speculatores boni Ezech.3,2.&33,7. in hostis insidias semper sunt intenti, unde longè alia ratio est horum ducum, qvàm mundanorum; siqvidem hi excubias gregariis militibus demandant, at hi sacri duces ipsi excubitores sunt 2.Cor.6,5. & 11,27. Unde patet, qvòd, qvò qvis in Ecclesia est major, eò plus aliis inservire teneatur Matth.20,26 27.&Luc. 22,26. Cur autem tanta reqviritur in doctoribus Ecclesiæ vigilantia? in promptu ratio est, Diaboli malitia, qvi istis ducibus dormientibus seminat, non tantùm Zizania, Matth. 13,25. verùm etiam, ut lupus infernalis

nalis oves Christi occidit Johan.10. unde vigilant isti, non ut aliqvod aureum vellus custodiant, sed pro animabus hominum, non auro & argento, verùm Christi sanguine precioso redemptis, 1.Petr.1,18.19. *pro animabus vestris* salvandis, ut sint instructæ armis ἀμυντηρίοις καὶ φυλακτηρίοις Eph.6.v.11.& 13. qvando pugnandum est contra Diabolum, & ita vigilant, ut *rationem reddituri* de ovibus sibi commissis, ex qvibus si una ipsorum incuriâ aut desidiâ perit, sanguinem ejus de manu ductoris reposcet, λόγον ἀποδώσοντες die da Rede vnd Antwort von geben müssen/ wenn mit jhnen wird Rechenschafft zugelegt. Et respicit ad duas parabolas, qvæ extant Matth.18,23. Luc.16,1.2. Hæc est bonorum & fidelium verbi ministrorum summa diligentia, cui si vident ex clementiâ summi hortulani Johan.15. summi & magni pastoris 1.Petr.2, 25. Hebr.13,20. 1.Pet.5,4. ac Domini Zebaoth benedici, ut multùm lucrentur, est qvod gaudeant: Contrà si totam noctem laborent, & nihil capiant cum Petro Luc.5. doleant, & apud DEUM de suæ fidei ac curæ commissorum pertinaciâ conqverantur, & pacis legati amarè fleant Esa.33,7. Est igitur hoc qvoq; auditorum, curare ac præcavere suâ obedientiâ, ne id fiat: siqvidem si non tantùm Diabolus Job.1. Apocal.12 verùm etiam ipsi Angeli sancti, & hi præfecti sacri eos accusant Matth.18,31. malè cum illis agetur tandem. Obedientiâ igitur vestrâ, ô auditores, hoc efficite, ut *cum gaudio hoc faciant*, & ita vigilent, *ac non gementes*, qvippè qvibus ex animo dolet, suâ operâ ac labore improbo nihil profici: & hoc malum in ipsos qvidem redundat. Longè gravius verò vobis restat perferendum, *non enim hoc* si gementes officium faciant, ac Imperatorem suum seqvantur, *hoc est vobis utile* i.e. stylo Scripturæ & sanctæ linguæ idiotismo, planè malum imò pessimum hoc vobis est, cum hujus inobedientiæ æternas cogimini pœnas luere. De idiotismo linguæ sanctæ, qvòd dicebam, ita se res habet Hebræi qvod vehementer asseverare volunt, per contrarium negatione adhibitâ efferunt. Exempla vide Prov.10,2. & 18,5. & 23,13. Psal.83, 2. Amos1,3. & 2,4. Syr.15,13. Joh.1,20. & 3,15.16.17. 36. & 5,24. Rom.4, 19. Psal.69, 29. ipsum etiam vocabulum Græcum ἀλυσιτελὲς aliqvid præterea magis reconditum videtur innuere: λύειν τὸ τέλος dicuntur, qvi solvunt tributum; & qvi non obediunt hisce ductoribus sacris,

non

non habent λύτρον, qvod pro se solvant, siqvidem illi sunt Christi legati, per qvorum officium fit reconciliatio 2. Cor. 5, 20. Pereunt igitur, & æternis catenis vincti tandem manent, qvotqvot nolunt seqvi monita horum ducum salubria, qvod sane est damnum omnium maximum; qvia illis est concredita clavis solvens, & qvicqvid ab illis non solvitur in terrâ, neq; solutum est in cœlo Matth. 16, 19. & 18, 18. Joh. 20, 23.

I. Loc. Commun.

UT ex priori titulo ministrorum verbi dignitas elucebat; ita ex hoc prædicato & officio patescit, qvæ sit ejus muneris difficultas, nempè vigilare pro salute animarum, unde ipsi in nostrâ linguâ rectè vocantur Seelensorger. Jacob qvidem somnum oculis suis non videbat, dum custodiebat ovile Labanis Genes. 31, 40. Sed poterat tamen discerptam, aut furto ablatam pecudem luere, reddendo aliam ib. vers. 39. alii autem Pastores erant excusati satis, si modò aliqvod discerpti afferrent testimonium Exod. 22, 10. 13. Amos 3, 11. Verùm Pastoris animarum alia ratio est, siqvidem qvæcunqve ovis ejus negligentiâ non monita ab eo perit, ejus sanguinem ex ejus manibus est reposciturus Ezech. 3, 18. & 33, 6. 8. Confer Genes. 9, 5. Devter 18, 19. qvod ad phrasin & pœnæ magnitudinem. Qvanta autem reqviratur in singulis ovibus rectè curandis vigilantia Ezech. 34. v. 4. describitur, ubi etiam pœna ipsa satis declaratur. Hanc curam auget illud, qvod non sufficit in genere docere, & pascere gregem totum, sed oportet etiam inqvirere sæpè, qvid cuiq; desit, & singulis præbere pabulum necessarium, exemplo Pauli, qvi non tantùm publicè, sed etiam domatim docuit Actor. 20, 20. non tantùm in genere omnes instruxit, sed etiam peculiariter unumqvemq; ibid. vers. 31. & qvid multis? qvos Christus redemit, illos curare atq; pro illis rationem reddere debent verbi ministri, ut facilè ex hoc loco & Act. 28, 28. concluditur. Sed Christus non modo vitam acqvisivit mundo, sed etiam pro unoqvoq; homine mortuus est, sicut Paulus dicit Gal. 2, 20: Christus tradidit semetipsum pro me. Ergò pro unoqvoq; rationem reddent. Id autem fieri neqvit, nisi errantem ovem, exemplo Christi Luc. 15. qværant, & vel cum vitæ suæ periculo ovem à leone infernali abreptam eripiant 1. Petr. 5, 8. Confer Davidis

factum 1.Sam.17,34.35. & contende istam parvam pecudem brutam cum rationali, imò Christi sanguine redemtam. Porrò etiam cogita, si ille, qvi unum, qvem servare saltem, ne aufugeret, debebat, amisit, mortis reus est 1.Reg.20,39.40, qvid futurum sit illi, qvi multos, qvos à morte æternâ salvos & incolumes virtute divinâ præstare debebat, suâ negligentiâ perdit?

II. Loc. Commun.

SI omnis DEI servus atq; Oeconomus pro se, sibiq; concreditis bonis est redditurus rationem Luc.16. qvantò severior exigetur à verbi divini ministris ratio, qvibus longè majus bonum concreditum, qvàm totum mundi systema? Mundum enim creavit DEUS solo verbo, hominis animam filii morte redimere voluit. Et hæc est boni concrediti preciositas: ad qvam accedit judicis, qvi indignatur, tanta bona male esse curata, severitas. Si qvis enim peccaverit ullus in alterum (avertendo ei res suas, qvemadmodum filii Heli sacrificia sua DEO suffurabuntur vers. 13.14.) judicabit illum magistratus: sed si in Jehovam ullus sacerdos, aut minister verbi ita peccat, ut posthabitis ejus severissimis minis animas perire sinat, qvis oret pro illo? 1. Samuel. 2, 25. qvum Christum mediatorem & intercessorem nostrum qvàm maximè læserit, ejus peculium tam turpiter negligens, & si Christum non apprehendit, qvæ jam potest supereesse alia æqvivalens pro peccato hostia? Hebr.10,26. Ecce Rex Sodom tantùm petit sibi dari animas, reliqvas autem omnes facultates tanti non facit, ut propterea verbum cum qvoqvam commutet Genes. 14, 21. qvid putas facere Regem Ecclesiæ Jesum Christum? certè is unam animam pluris facit, qvàm omnes divitias mundi; siqvidem ut hanc redimeret, ipse dives pauper factus est 2.Corint.8. ipse Dominus gloriæ & dux vitæ morte ignominiosissimâ affectus est, 1.Cor.2. Act.3. Qvicqvid est homini, dat pro animâ suâ, qvâ nihil qvicqvam habet carius Job.2,4. Qvantopere igitur Christus dilexerit animas hominum, pro qvibus ipse seipsum & omnia sua dedit? Matth.20,28. 1.Tim.2,6. Johan. 6, 51. Hinc collige, & qvantopere in unius animæ jacturâ commoveatur, conjecturam facies, scilicet severissima est sententia: si qvis templum DEI (qvod est homo pius) perdit, hunc perdet DEUS 1.Cor 17. Qvum Davidi erant

ab-

abductæ suæ conjuges, qvàm amarè flevit, qvàm fortiter eas eripuit, & hostes suos est ultus? 1.Sam.30. & putet qvisqvam Davidem nostrum æqvo animo esse passurum suam sponsam, pro qvâ seipsum dedit Eph. 5. à Diabolo sibi eripi per incuriam suorum ministrorum? Vide, ita inclamat: Memento, qvæ acceperis & serva. Apoc.3,3. qvod si non vigilabis, veniam adversum te, qvâ horâ minimè putaveris. Semper igitur ministri verbi cum Hieronymo sinant in auribus suis sonare illam Christi judicis vocem; surgite mortui, venite ad judicium.

III. Loc. Comm.

QVia dictum est à Salvatore, qvi vos contemnit, me contemnit Luc. 10. & sicut me Pater misit, ita & ego mitto vos Johan.20. Christum autem sub pœnâ æternæ mortis vult audiri Pater Devt.18,19. Actor.3,23. ergò si qvi nolunt suscipere libenter sermonem legatorum Christi, tolerabilius erit terræ Sodomæorum & Gomorrhæorum, qvàm illis Matt. 14,15. Contrà qvando homines ad prædicationem verbi agunt pœnitentiam, gaudium est in cœlo Luc.15,7. & ipsi ministri alacrius sui officii munia obeunt, qvando vident, qvòd suus labor in Domino non sit inanis 1.Cor,15,58, Contrà, qvando cernunt, non ferre semina à se jacta multum fructum, sed regnare omnem impietatem, cum Jeremiâ cap.9.v.1.2.3. conqveruntur; ô si qvis daret caput meum esse aqvas, & oculum meum scaturiginem lachrymarum, ut deflerem interdiu & noctu damnum populi mei! sed hæc auditorum obstinata malitia, qvâ nolunt suis parere ducibus, malè eis cedit. Exemplo sunt Israelitæ, murmurantes contra Mosen Num,11, & 14. sic Aaron & Maria c.12. Korah cum suis cap.16. pueri illudentes Elisæo 2.Reg.2,23. 24. Jeroboam vim intentans Prophetæ 1.Reg.13,4. Huzzija invadens sacerdotium 2. Chron 26 Ananias & Sapphira Act.5. Elymas Magus Act.13. qvorum exemplis & tragicis casibus moniti alii cavere discant, & si ex carcere liberi, à peccatis soluti, & post hanc vitam beati esse cupiunt, obediant suis ductoribus. Sed tu, ô Jesu Christe, trahe nos tardos Johan.6. excita torpentes Rom.13. ut tecum in horto Ecclesiæ & crucis ipsi vigilemus Matth. 26, 40. ut postea per duces nostros ducti ad te Imperatorem nostrum summum in regno cœlorum & æternæ lucis triumphemus 1.Corinth.15,54. 57. Apoc.7,9.10.

DOMINICA IX. POST TRINITATIS.

Apoc. 20, 12.

CUm aliqvando somnum capere non posset Rex Assverus, edixit afferri librum Commentariorum, & verba dierum, qvæ fuère lecta coram eo; qvumq; inveniret, qvàm fidelis ipsi fuisset Mardochæus, maximo honore eum afficiebat: Contrà verò Hamanem Hamalekitam extremo supplicio afficiebat, postqvam, qvid sibi intentasset suoqve populo, exposuerat regina Esther, sicut narratur prolixius Esth. 6. Rex regum ille & Dominus dominorum 1. Tim. 6, 15. DEUS noster, qvi non dormitat neqve dormit Psal. 121, 4. tandem cum ex somno mortis excitaverit omnes homines Johan 5, 28. Dan. 12, 2. jubebit afferri libros Dan. 7, 10. in qvibus est scriptum, qvid qvisqve singulis diebus vitæ suæ egerit 2. Cor. 5, 10. & si qvis tum bono testimonio, qvòd DEO suo fideliter inservierit Matth. 25, 21. 23. ornatus fuerit, maximo afficietur præmio: Contrà verò illa multitudo, de qvâ dicitur, multi vocati, pauci electi (הָמָן enim cognationem habet cum verbo הָמַן id est, multiplicatus fuit, & nomine הָמוֹן qvod notat multitudinem) cum verè pauci salventur Luc. 13, 23. illorum inprimis, qvi sunt de gente Amalek, qvi aliis piis facessunt negotium, qvoniam justum est apud DEUM, reddere affligentibus pios afflictionem, & afflictis refocillationem 2. Thess. 1, 6. 7. præcipuè qvoniam illa cœli regina seu Ecclesia Psal. 45. (Cujus pulchritudo est ab intus, ibid. vers. 14. qvod poterat notare nomen אֶסְתֵּר à Radice סָתַר id est, abscondit) in suis precibus ac supplicationibus hoc Regi suo Jesu Christo revelavit Luc. 18, 7. Hoc ipsum qvod dicitur ad piorum consolationem & impiorum correctionem, dum est tempus gratiæ, dignum est, qvod probè consideretur, ut qvisqve, dum de ratione reddendâ cogitat, suas res rectè instituat, cum prudente Oeconomo Luc. 16. idqve qvia rectè fieri potest ex Apoc. 20, 12. libet illud dictum paucis jam tractare, & in eo declarare hæc duo.

I. *Accuratam vitæ actæ inqvisitionem.*

II. *Acceleratæ sententiæ latæ executionem.*

Domine, qvia nescimus, qvâ horâ venturus sis, Matth. 24, 42. fac animadvertamus viâ integrâ, qvando sis venturus ad nos Psalm. 101, 2.

teqs

tcqve excipiamus cum Lotho honorificè, ut abs te tractemur magnificè, & hujus mundi Sodomâ pereunte salvemur æternùm Genes. 19. & in montem Domini traducamur Psal. 15, 1. ubi parvus ille grex tandem occupabit regnum Luc. 12, 32.

PRIMA PARS.

QVando regina Sabæ audiebat Salomonis sapientiam, videbat regiminis magnificentiam, consessum servorum ejus & ascensum, qvo ascendebat in domum Jehovæ, obstupefacta exclamabat: Verum est verbum de rebus tuis, qvod audii, sed non credidi, usq; dum venirem; sed ecce non indicatum mihi fuerat ejus dimidium 1. Reg. 10, 5. 6. 7. Ecclesia regina futura non felicis Arabiæ, sed cœli, qvando jam tandem sub extremum judicium audiet ipsius Christi sapientiam ex ore ejus, & cernet, qvàm potenter dividat omnes homines, eosq; judicet, suis autem servis det considere in throno suo Apoc. 3, 21. & secum regnare 2. Tim. 2, 11, 12. & ascendere, ac introire in ipsum Jehovæ palatium, seu gaudium cœlorum: exclamabit multò magis, vera esse omnia, qvæ hactenus de illo gaudio, & regno gloriæ sint promissa; verùm vix potuisse credi, tantum abesse, ut aliqvid non appareat, ut potius nedum dimidium sit ei indicatum, qvantumvis sub ampliſſimarum & jucundissimarum rerum nominibus in hujus vitæ imperfectione 1. Cor. 13. sit descriptum sub coronâ vitæ 2. Timoth. 4. Apoc. 2, 10. ligno vitæ Ibid. v. 7. mannæ v. 17. stellæ matutinæ vers. 28. qvæ omnia sæpius sunt inculcanda, ne nimis hisce terrenis nos immergamus: siqvidem sunt peritura Apoc. 20, 11. Et si qvis aliqvid propter Christum amisit: centuplum recipiet Matth. 19, 29. Videamus igitur cum dispensatore iniqvo, ut tum sit nobis locus, & recipiamur in æterna tabernacula, qvo ut summis viribus contendamus, sæpius extremi judicii processum cogitemus, idq; hoc tempore ex ore ejus, qvi scripsit ἀποκάλυψιν i. e. revelationem divinam, ita de extremo judicio farier infit, *Et vidi* DEO supernaturaliter ostendente, sicut olim in Veteri Testamento erant multa ὁράματα Num. 12, 6. Vide Joel 2, 28. Amos 1, 1. Obad. 1, 1. Mich. 1, 1. Nahum. 1, 1. Hab. 1, 1. Amos 7, 1. Vidi verò *mortuos*, verùm jam resuscitatos, qvales erant, non qvales sunt (qvemadmodum scriptura sæpè rem nominat à termino à qvo sumptâ appellatione Exod. 7, 11.

Matth.10,33. & 11,5. & 26,6. Joh,9,1.) *parvos & magnos* & staturâ & dignitate, qvia unusqvisq; & suum ipsius corpus ac carnem recipiet Job. 19,25. Calv.lib.3. instit.cap.25. Sectione 7,8. & omnes coguntur se sistere tribunali DEI, 2 Cor.5,10. *stantes* à se invicem separatos jam, Matth. 25. *Coram Deo*, ἐνώπιον, in conspectu, non tantùm DEI, accepto vocabulo absolutè, sed etiam qvia visibile erit hoc judicium, maximè coram Christo DEO incarnato, cui dedit Pater omne judicium Johan.5, 22. Actor.1,11. & 10,42. & 17,31. cujus magni DEI ἐπιφάνειαν expectamus Tit.2,13. Cum verò ab Angelis ita sunt omnes ad tribunal adducti Matth.13,41.49. *tum libri sunt aperti*, non tantùm Scripturæ, ex cujus sententiâ judicium instituetur Roman. 2,16. Joh.12,48. verùm etiam notitiæ factorum, tum qvæ est in hominum conscientiis, tum qvæ in DEI omniscentiâ. Qvemadmodum enim, qvod volumus probè memoriæ mandare, id libro cuidam inscribimus, ne oblivioni tradatur; ita ἐν ἀνθρωποπαθῶς scriptura DEO librum tribuit, qvia omnia tam exactè, imò longè exactius novit, qvàm qvæ sunt scripta, & rectè consignata. Hi igitur libri sunt aperti, & unicuiq;, qvid toto vitæ tempore egerit aut admiserit, vel in uno momento indicabitur, atq; ita ex libri consignatione ratio reddenda improbis. Nam pii & fideles in judicium iræ, seu condemnationem non venient Joh.3,18. & 5,24. qvomodo jam sequitur apud Johannem; Et *liber alius est apertus, qui est liber vitæ*, in qvo omnia electorum nomina scripta. Phil.4,3. Apoc.3,5. & 17,8. & 21, 27. & 22,19. Psal.69,29. qvem si ratione efficientis, & meritoriæ causæ intelligis, rectissimè Christus cum Luthero & F. C. intelligitur: aliàs formaliter ipse catalogus salvandorum sine ullâ absurditate potest eo designari, sicut aliàs liber pro catalogo ponitur Genes.5,1. Nehem.7,5. Matth.1,1.

1. Loc Comm.

QVando Enoch Epist. Judæ vers. 14. præ foribus esse diem Domini prophetabat, pauci credebant; & qvum Noachus cum suis audiebat, instare diluvium Genes.6, & 7. Lothus, decretum esse Sodomæ incendium Genes.19. ille arcâ, hic fugâ sibi salutem qvæsivit; reliqvi autem, non curantes illam DEI præmonentis de futuro malo φιλανθρωπίαν, sibi ipsi exitium accersivêre maximum Luc.17,26. Cum igitur

tur cœlum & terra sint peritura, qvales oportet nos esse 2. Petr. 3, 11. ut possimus effugere iram venturam Roman. 2, 5. 1. Thess. 1, 10. & stare coram filio hominis Luc. 21, 36. Si enim cœlum & terra peritura sunt, hisce caducis non oportet nos confidere. Id monet Lothi conjunx Luc. 17, 32. qvæ ad bona Sodomæ respiciens, facta est statua salis: ut te condiat, exemplo tibi data est; ut tu cor habeas, nec fatuus remaneas in viâ Aug. in Psal. 69. sed tendas ad ipsam metam Phil. 3, 12. 1. Corinth. 9, 24. 26. & æternam vitam, qvæ est cum DEO 1. Thess. 4, 17. qvi ex Israelitis in deserto ad Ægypti delicias respiciebant, in terram sanctam non perveniebant Num. 11. & 14. Sic qvi hujus mundi opibus, honoribus, voluptatibus nimis sunt dediti, pereunt cum iis, 1. Joh. 2, 16. 17. Si igitur Jacob cum suis rectè fecit, qvòd, ut vitam conservaret, suppellectilem & alia, qvæ non poterat asportare, in terrâ Canaan relinqveret, Genes. 45, 20. qvàm bene sibi consulunt, qvi, ut Christum lucrifaciant, omnia potius relinqvant, siqvidem cum fœnore recipient Matth. 19. si injuriam deposueris, penes DEUM ultor est; si damnum, restitutor est; si dolorem, medicus est; si mortem, resuscitator est. Et hæc de hujus dicti occasione, & nostri ad judicium extremum præparatione: ubi omninò videndum, ut sit nobis per Christum parata in cœlo mansio Johan. 14, 2. qvando cœlo & terræ, nec iis, qvæ his rebus caducis adhæserunt, amplius invenitur locus.

II. Loc. Commun.

SI Johannes hæc DEO revelante vidit, certò futura sunt, qvia DEUS mentiri non potest Hebr. 10, 23. & 6, 18. & proinde multum errant illi ἐμπαῖκται, qvi dicunt, ubi est ullum promissi adventus judicium? 2. Petr. 3. v. 3. 4. qvi sunt redarguendi. Contra inde boni, qvi jam coguntur parvo tempore pati 1. Petr. 5. v. 10. sunt consolandi: qvi si cum Jobo hæc viderint fidei oculis Job. 19. vers. 25. forti animo qvævis perferent mala, qvum certi sint de bonis in alterâ vitâ ipsis obventuris. Hebr. 11, 26. & qvos terra ferre non vult, cœlum recipit Act. 7, 55. 56. Israelitæ ad mare rubrum à Mose confirmati, credebant, & mane suos hostes omnes suffocatos videbant, Exod. 14. Nos hàc aliisqj visionibus & oraculis divinis multò magis confortati credamus, fore, ut illo ma-

manè, qvum resurgent justi Psal.49,15. omnes hostes nobis sint subjecti 1.Cor.15. Consolemur igitur nos invicem his sermonibus 1.Thess.4, 18. Ecce Gideon somnio uno audito, qvòd esset panis hordeaceus castra Midianitarum eversurus, certus est de victoriâ, Jud.7,13.14.& tu adhuc dubites tot promissionibus, comminationibus, visionibusq; eruditus, qvod sit panis vitæ Christus Joh.6. hunc mundum, in qvo regnat Diabolus, & mali damnandi, igne aboliturus? Vidit Johannes, & tu vide, ac caput attolle, qvia appropinqvat redemptio tua, Luc.21,28 31.

III. Loc. Comm.

QVia Johannes videt omnes mortuos jam excitatos, putà, stantes coram hoc judicio, universalis futura est hominum resurrectio, non tantùm justorum, ut putant Judæi multi, Origenes, Anabaptistæ, Photiniani Dan.12,2. Joh.5,29. Act.24,15. Hoc etiam ut inservit bonorum consolationi, ita etiam malorum redargutioni. Qvemadmodum enim qvum Paulus de justitiâ, temperantiâ, & judicio futuro disserebat, Festus expavefactus cohorruit, Act.24,25. qvum ipse sibi injustitiæ in gubernatione, intemperantiæ in conversatione esset conscius, ita multi hodiè nullâ re magis perturbantur, qvàm qvum sibi resurgendum, & in judicium veniendum esse audiunt; siqvidem multorum scelerum conscii anguntur. Vide Alexandrum M. qvando interfecerat Clytum, apud Curt.lib.8.

— *Cur tamen hoc tu*
Evasisse putes, qvos diri conscia facti,
Mens habet attonitos, &c.

Nam benè perpende, qvòd dicit, se vidisse parvos & magnos: hîc enim verè improbi coguntur desistere à commotione, acqviescunt defecti viribus, parvus ac magnus ibi erit Job.3,16.17.18. Hîc videas Cain, & Abel; Nimrodum, & subditos; Pharaonem, & enectos in aqvâ Israelitarum liberos; Absolonem fugantem, & Davidem fugientem; Achabum homicidam, & occisum Nabothum; Herodem, & Johannem; divitem, ac Lazarum. Non excusat alium dignitas, alium majestas, sed omnes æqvè reddendi rationem manet necessitas. Tum non dicet Pharao aliqvis Exod.5,2. qvis est Jehova, cujus voci auscultem? Non dicet ali-

aliqvis Goliath piis Israelitis, omninò servietis nobis 1.Sam. 17,9. Non dicet Saul aliqvis inobediens, honora me coram populo 1.Samuel. 15,30. Non jubebit fidelem concionatorem in carcerem conjici qvidam Achab 1.Reg. 22,27. Non mandabit decollari Johannem Herodes, Matth. 14. Sed illi, & reliqvi omnes, in terrâ magni, imò ratione officii Dii constituti Psal. 86,6. ut plebejus homo malus, morientur morte æternâ ib. vers. 7. imo potentes potenter inqvirentur, & torqvebuntur Sap. 6,6.7. cui enim multum concreditum est, ab illo multum reqviretur, Luc. 12, vers. 48.

IV. Loc. Commun.

HI omnes stabunt in conspectu DEI, i.e. omnia erunt manifesta in conspectu ipsius, nuda & intimè patentia oculis ejus Hebr. 4,13. & stabunt, jam facturi ejus jussa, qvæ hactenus neglexerunt; sed nimis serò, (qvomodo stare coram aliqvo dicitur is, qvi ei libenter inservit, ut alibi probatum) qvæ duo qvàm maximè improbis in tempore gratiæ sunt inculcanda; nimirum qvòd nulla sua flagitia possint DEUM omniscium celare, sed is coram toto mundo velit omnia revelare, etiam occulta cordis Eccles. 12,16. 1. Cor. 4,5. & qvòd, qvæ jussa, jam nolunt ex pervicaciâ capessere Ps. 2,3. illa libentissimè tum essent expediturі, si liceret, qvippè stantes coram eo, qvi qvum vocabat, renuebant, Prov 1. qvum volebat convertere, resistebant Actor. 7. cum erat congregaturus, nolebant Matth. 23. cum manum porrigebat, erant rebelles Esa. 65. flebunt igitur cum demum illi, qvi, qvando Christus eorum interitum deflebat, nil movebantur Luc. 19. Breviter, qvi nolebant obedire, cum dicebatur, excitare, qvi dormis; & surge ex mortuis, ita te Christus illuminabit Eph. 5,14. jam coguntur stare in conspectu ejus, & sententiam definitivam audire: abite à me Matth. 25. Qvando enim Hannum nolebat dare locum consolatoribus à Davide missis, cogebatur tandem sentire ejus stipatores & milites 2. Sam. 10. ita qvi Christi ministros, verbum reconciliationis afferentes, rejecerunt 2 Cor. 5. coguntur jam DEI carnifices seu Diabolos, omnem consolationem præscindentes, experiri; & qvi noluerunt ad pedes Domini cum Mariâ, sedere Luc. 10,39. coguntur jam ex regno cœlorum discedere.

V. Loc. Commun.

CUm Josua vellet suos hostes exscindere, Sol & Luna stetit, idq; scri-

ptum est in libro recti, nec fuit similis diei illi ante eum vel post eum Jos.10,13.14. Qvando Jesus noster vult jam suos subditos & Israelitas veros à suis hostibus liberare, ipse Sol justitiæ in medio cœlo sedebit, & stabunt coram eo omnes ejus & amici ad dextram Joh. 15. & inimici ad sinistram: tum verò qvod scriptum est in libro recti & justitiæ, proferetur, & unicuiq; secundum sua opera reddetur, ita, ut non fuerit nec futurus sit similis illi diei, unde sæpè ἡ ἐσχάτη ἡμέρα 2. Tim. 4,8. & 1,12.18. Matth. 24,36. ἡμέρα ἐκείνη Marc.13,32. Luc.21,34. Matth. 7,22. ἡμέρα κυρίου 1.Corinth.1,8. & 5,5. ἡμέρα Ἰησοῦ Χριστοῦ Phil,1,10. appellatur. Verè autem magnus & Domini dies hic erit, qvum is omniscientiam suam in eo probabit omnibus, qvòd omnia cogitata, dicta, facta rectiùs teneat, qvàm si essent scripta in libro: omnipotentiam verò demonstrabit, qvando tot Imperatores, Reges, Duces, Magnates, & sine numero vulgus statim unâ voce ITE condemnabit; justitiam in impiis, misericordiam in fidelibus salvandis declarabit. Licet verò in DEO sit una notitia simplex, tamen respectu diversorum objectorum & per præcellentiam summam Deo ἀνθρωποπαθῶς tribuuntur libri, qvod inservit impiorum correctioni, ne putent qvicqvam suorum malefactorum latere posse.

VI. Loc. Commun.

QVod enim ad credentes attinet, cum ipsorum peccata sint Christi justitiâ tecta Psal.32. Roman.4. non revelabuntur isto modo in extremo judicio, sed pro ipsis proferetur liber vitæ, in qvò verè sunt Patrum conscriptorum consignata nomina, in qvo tantùm electi & certò salvandi continentur. Sicut enim qvibus in fronte non erat signum impressum à viro induto vestibus lineis, occidebantur statim Ezech.9,2. 3. Apoc.7,3. ita qvorum nomina non sunt scripta in libro vitæ, à Christo nostro summo Pontifice atq; Sacerdote, qvi expiavit nostra peccata, æternæ morti tradentur, Confer Exod.28,43. Levit.16,4. Hebr.9,11.&c. apertum verò iri illum librum adjicitur, qvia tum demum patebit, qvis verè electus, qvum illâ ratione Ecclesia hactenus fuerit invisibilis hominibus Luc.17,20. Roman.2,2. Coloss.3,34. 1.Petr.3,9. Psal.45,14. nam DEUS semper eos novit 2.Tim.2,19. Confer 1.Reg.19,14. Roman.11,3. 4.5. Tantum de priori.

Secun-

SECUNDA PARS.

SAlomonis sapientia in eo qvàm maximè eluxit 1.Reg.3. qvòd in re intricatâ statim poterat modum excogitare, qvo veritatem eliceret verùm infinitis modis major est nostri Salomonis & Regis pacifici immensa sapientia, qvi uno momento omnes causas cognoscet, & simul unicuiq; suum feret, idq; justissimum, judicium Rom.2,5. & pro qvantitate flagitii etiam infert gradum supplicii Apoc.18,7. & pro multitudine laboris, doloris, & afflictionis concedit locum honoris, gaudii & refectionis Dan.12,3. 1.Cor.14,41, Joh.14,2. 1. Cor.3,9. 2.Cor.9,6. Ita demum eluceſcet hujus judicis veritas & severitas: veritas in promissionibus datis & jam completis: illa & hæc simul, in comminationibus, ac pœnis illatis. Hac de re noster Johannes ita vaticinatur. *Et*, id est, statim confer Matth.25,46. *judicati sunt* per metalepsin: qvemadmodùm in judicio una pars absolvitur, altera condemnatur; ita etiam qvi ad dextram, justi sunt pronunciati, qvi ad sinistram, injusti declarati, *illi mortui* omnes jam excitati, & causæ cognitione accurata facta ex illis, qvæ scripta erant in *illis* judicii *libris secundùm opera sua*, prout ita vel bona, de fidei præsentiâ, vel mala, de ejusdem absentiâ, infallibiliter testantur. Operum autem ibi fiet mentio tàm bonorum qvàm malorum Matth.25, 35.42. qvia hæc ut fructus fidei, arboris, qvam solus DEUS, ut καρδιογνώστης, novit, incurrunt in oculos hominum, ideoq; in judicio visibili producentur.

I. Loc. Commun.

CRedo multos homines idem sibi frustra polliceri de Christo, qvòd Agag Rex Amalekitarum, qvando à Saule ad Samuelem deducitur 1. Sam.15,32. Certè, inqvit, recessit mortis amaritudo, qvum ab armato Rege ad Prophetam senem abducor, qvi de me condignum non sumet supplicium. Sed is spiritu Dei plenus, qvemadmodum, inqvit, orbavit mulieres gladius tuus, sic orbabitur inter mulieres mater tua, dilaniavitq; eum coram Jehova Gilgale v.33. Nam qvum audiunt, qvàm fuerit & sit adhuc ille Salvator noster mitis Matth.11. & hominum salutis amator Devt.33,3. putant non posse fieri, ut æternùm ab eo Sacerdote ac Pontifice generis humani Hebr.9. qviq; semper pro eo intercedit, Rom 8. 1. Joh.2. occidantur. Verù ut ibi Samuel propter antegressa homicidia

Regem illum, qvi alios afflixit graviter, meritò interficiendum esse concludit, & exeqvitur latam sententiam; sic etiam Christus mala infidelium opera recensebit, & ex iis decretum hoc formabit: Hoc est jus DEI, ut, qvi talia faciunt, sint digni morte Roman.1,32. ideoq; non est, qvòd qvis ex Christi φιλανθρωπία sibi promittat in suis sceleribus impunitatem, siqvidem in illo judicio à populo DEI omne devolvetur opprobrium, Confer Jos.5,8. Nam ut misericordia erga miseros & agnoscentes sua peccata in hâc vitâ; ita & ira in alterâ vitâ non tantùm cita, sed etiam perpetua est Syrach.5,4.5.6.7. & janua gratiæ tantùm in hac vita patet; postqvam autem venit Rex gloriæ deducens suam sponsam domum clauditur, & nemo intromittitur Matth.25,13. & tum est magnum chasma confirmatum Luc.16,17. est nox, in qvâ nemo potest operari Johan.9,4. hoc est, fidem concipere Joh.6,28.29. qvippe qvæ est ex auditu verbi Roman.10. qvi cum ibi nullus, qvomodo qvis, qvi fidei & charitatis oleum non habet Matth.25. ea sibi comparabit? Apoc.3,17.18. Hoc autem probe obstinatis hominibus est inculcandum, ut dum tempus est, sibi prospiciant, ut recipiantur in æterna tabernacula. Nunc enim est tempus acceptum, in qvò homines DEUS suscipit in gratiam: nunc est dies salutis 2.Cor.6,2. Videndum, ne post hanc visitationem gratiæ Luc.19. seqvatur illa, qvæ est iræ. Qvando enim DEUS suæ vineæ fecit, qvod debuit Esa.5. & tamen non fert fructus bonos Luc.13. qvomodo aliter potest per justitiam agere, qvàm ut arbores infrugiferas exscindat, & igne inextincto perdat? Matth.3. Domus leprosorum, qvia non poterat curari, non erat tegenda aut incrustanda, sed prorsus perdenda, & destruenda. Lev.14,44.45. sic homines improbi, & corrigi nescii, tandem omninò pereunt Prov.1. Si Gideon Succothanos, & cives Penuel, imperata semel tantùm facere renuentes, malis exemplis interemit reversus â cæde hostium Jud.8. idq; non injuriâ? qvidni optimo jure Christus ad ultionem suorum inimicorum rediens ad judicium, illos, qvi toties moniti DEI sui jussa noluerunt capessere, æternis suppliciis afficiat? Hoc itaq; qvum certò futurum sit, Johannes Prophetarum more hic dicit, & judicati sunt, tum ut indicetur rei certitudo, tum judicii celeritas, in qvo acta & probata erunt plana & aperta, & sententia definitiva certa Joh.3,18. Marc.16,16.

II. Loc.

II. Loc. Commun.

UT enim duo hominum genera in mundo; ita etiam duæ, qvæ ad metam ducunt eos, viæ, Matth.7. & duo post hanc vitam, qvæ adeunt, loca, cœlum & infernus Matth.25,34,41. Ut igitur qvis sementem fecerit, ita & metet. Nam judicati sunt, inqvit noster Johannes, ex illis, qvæ scripta erant in libris, qvæq; ante gesta, & jam infecta reddi non poterant, & proinde (ut ita hoc usurpemus) ut arbor cadit, ita jacet Eccles.11,3. & qvalem DEUS invenit, talem judicat Luc.19, 22. Estote igitur parati, qvi cupitis in illo judicio esse beati, & cum hæc expectetis, date operam, ut inculpati & incontaminati à DEO inveniamini cum pace 2.Petr.3,14. Qvâ nocte volebat DEUS educere suum populum ex Ægypto, hanc cogebantur in somnem ducere, & plurimùm illa erat observanda omnibus Israelitis per ætates suas Exod. 12. Christus etiam veniet ut fur in nocte 1.Thess.5,2. 2. Petr.3, 10. omninò videndum illis, qvi volunt esse veri Israelitæ, ut observent, vigilent, & à somno vitiorum excitentur: inprimis verò caveant, ne longum flagitiorum relinqvant catalogum, qvi non sit Christi sanguine deletus: Is enim potest conscientiam mundare à mortuis operibus Hebr.9,14. Judicabimur enim juxta illa, qvæ scripta sunt. Videant, ne contra conscientiam peccent: qvòd tamen si factum, orent cum Davide: DEUS gratiam mihi fac, & dele defectiones meas Psal.51,3. qvod autem deletum est, non legitur, nec de eo ratio exigitur.

III. Loc. Commun.

SEcundum opera fiet judicium, non verò propter opera homo justificabitur, qvi est status controversiæ inter nos & Pontificios, nimirum qværitur, qvid sit illud, ob qvod homo peccator apud DEUM in gratiam recipiatur. Qvod si observetur, facilè apparet in his & similibus dictis, ubi non agitur de justificatione hominis in hâc vitâ, sed de declaratione post eam, non dici id, qvod volunt Pontificii, sed tantùm benè operantibus reddi præmium: qvæstio autem alia est, unde hoc habeant, qvod potuerint operari, & propter qvid sint justificati. Interim hæc ipsa loqvendi ratio studium bonorum operum in nobis excitabit. David Barcillai in se benignitatem non tantùm agnoscit, sed etiam magno cum fœnore vult compensare 2.Sam.19. At noster David

longè exactius novit æstimare bona piorum opera, & qvæ etiam minimis ipsius membris facta, sibi facta esse dicet, & qvi talia præstitêre, secum adducet in suam regiam, æternamq; gloriam: qvam ut nobis largiatur per suam misericordiam, rogamus ejus clementiam, Amen.

DOMINICA X. POST TRINITATIS.

Prov. 1, 24. 25. 26. 27. 28.

MOrtuo Mosi ex DEI decreto succedebat Josua, ille enim neqve debebat, neq; poterat populum in terram sanctam deducere, nec singulis suam hæreditatis partem largiri: huic verò id, ut in mandatis est datum, ita etiam ab ipso est præstitum, dum Israelitæ ei omnem promittunt obedientiam, & si qvis nolit ei obedire, eidem graviſſimam comminantur pœnam Jos. 1, 16. 17. 18. Mortuo in nobis Mose, seu legis minis per fidem sublatis, qvoniam nos sumus mortui peccato Rom. 6. Jesus noster Dominium in nos obtinet. Vide qvæ habet Lutherus in margine ad Jerem. 31. Lex enim qvæ poterat salvare, si servaretur, qvum in nos malos, obstinatos, corruptos, & infirmos incidat Rom. 8, 3. non potest nos ad Deum & cœlum adducere; sed tantùm iram operatur Rom. 4, 15. Christus autem nos facit hæredes Dei, & suos cohæredes Rom 8. Si modò eum, ut Pater mandavit, audiamus; qvia si qvis eum non audierit, ab hoc ille id reqviret Devt. 18. Actor. 3. Si enim ille, qvi rebellabat præstituto Josuæ, morte plectebatur; qvantò justius is æternâ morte perit, qvi hunc Jesum non amat? 1. Corinth. 16, 22. qvandoqvidem est is longè excellentior Dux, & longè præstantior ea, in qvâ nos est introducturus, qvies Hebr. 3. & 4. id tamen pleriq; homines parùm curant; ideoq; non est mirum, qvòd pauci salventur; sed, qvemadmodum pleriq; Israelitæ, ex Ægypto educti, in deserto sæpè murmurantes prosternebantur 1. Corinth. 10. maxima pars hominum à DEO, qvòd salvari nolint Matth. 23. damnentur, siqvidem DEUS non tantùm de suo bonus, verùm etiam de nostro justus est. Id si qvo alio in loco declaratur, satis graviter explicatur Proverb. 1, à vers. 24. Nos duo ibi notabimus.

I. Hominis antecedentem malitiam.
II. Numinis consequentem justitiam.

OJe-

O Jesu, qvi es Patris sapientia æterna Prov.8. dum nos per ministros tuos invitas Matth.22. fac accurramus, vel potiùs tardos nos trahe post te Cant.1,4. ne cum Pharisæis Luc.7,30. consilium tuum optimum de salute nostrâ si spernimus, tu qvoq; ex justitiâ in calamitate nostrâ rideas, nostrumq; clamorem contemnas: sed contrà effice, ut cùm tuam vocem audierimus, abs te qvoq; celeriter exaudiamur Jud.9,7.Psal.102. v.2.3.

Prima Pars.

QVum Salomo eloqveretur ter mille sententias, conficeret cantica, & proponeret physicam accuratam: homines veniebant ex omnibus populis ad audiendam ejus sapientiam 1. Reg.4.vers.30.32.33.34. Qvantò magis igitur omnes homines decet accurrere, qvando Christus Jesus eloqvitur de DEI essentiâ, & voluntate sententias divinas Johan.1,18.conficit cantica cœlestica, qvibus nos alliciat Matth.11. v.17. & physicam spiritualem tractat exqvisitè, de hominis naturâ corruptâ, de plantis in Paradiso DEI Psal.1. & 92. de jumentis, qvibus opus est freno ac chamo Psal.32. de volucribus & reptilibus Psalm.8.siqvidem is longè major est Salomone Matth.12. & plus nobis prodest ejus sapientia, qvàm illis Regis Salomonis, qvum in vitam æternam nos introducat, imò ipse Salomo maximoperè cap.1. Proverb. huc nos invitet vers.20. sapientiæ, inqvit, recantant foris, in plateis edit vocem suam, de unâ ratione summæ, imò infinitæ sapientiæ loqvitur pluraliter, & vocat חָכְמוֹת sicut & cap.9,1. qvæ est filius DEI, ut patet ex collatione capitis octavi totius & 30.1.4. 1. Cor.1,24. Matth. 11, 19. Luc.7, 34.35. & 11, 49. ac Matth.23, 34. in qvo sunt omnes thesauri sapientiæ & intelligentiæ reconditi, & per qvem sapientiæ rivi in homines diffunduntur. Verbo, qvasi dicas, est ipsissima sapientia & tota, & omnis sapientiæ veræ autor. Vide, ipsa procedit de cœlo, & clamat altâ voce: Venite ad me, Ego sum lux mundi &c. qvid verò? qvando Simon Magus aut alius exsurgit, omnes accurrunt Act.8. at qvum venit hæc sapientia, pleriq; eam non curant, aut si semel ei aures dederunt, retrò abeunt, Joh.6, 66. nihilo facientes sapientiùs, qvàm si sole exorto oculos clauderent, atq; ita in tenebris mallent offendere, qvàm inoffenso pede progredi.

Hic

Hic enim est Sol justitiæ, qvi oritur omnibus, illuminari cupientibus Esai.42,6.7. Ephes.5,14. ipse extendit brachia, ut amplectatur Esai.65,2. alas expandit, ut foveat Matth.23. sed venire nolunt, Matth.22. Luc.14. QVIA igitur non tantùm est misericors, & bonus bonis; verùm etiam severus & justus erga malos Nahum.1,3.4. jam ex justitiâ sententiam fert longè durissimam, ubi priùs eorum declaravit obstinatam malitiam. *Qvandoqvidem invito* ad nuptias, ad convivium Esai.25,6. & 55,1. idq; magno clamore, ne qvis se non exaudiisse prætendat (qvod notat vox hebræa קָרָאתִי cum qvâ conferatur in Novo Testamento usurpatum κηρύσσειν Matth.4,17. idq; Lutherus innuit, qvando vertit, **weil ich denn rufft**) *& vos* tamen *renuitis* (מָאַן **die angebotene Freundschafft oder Hoheit abgeschlagen**/ Confer Exod.22,17. Genes.39,8. Exod.4,23. Num.20. vers.21. & 22,14. Devter.25.v.7.) mecum inire spirituale matrimonium, vel cœli hæredes fieri,, qvandoqvidem (repetenda enim est ἀπὸ τῦ κοινῦ ex idiotismo linguæ sanctæ particula in initio versus posita, qvâ de re Psal.3,2.) *extendo manum meam*, & porrigo lapsis, ut sublevem & erigam Luc.1,54. Et tamen *nemo* vestrum hoc *vult advertere*, vel attendere, seu auscultare, qvia propriè significat verbum קָשַׁב ædes aurium vacuas dedit, & imbibit alterius dicta, memoriq; mente recondidit. Neq; ita tamen tantùm peccatis bonum omittendo vel negligendo, sed etiam malum committendo, ut jam seqvitur *sed* (vau enim sæpè adversativè esse vertendum, jam alibi probatum est prolixius, & hîc ita esse reddendum, clamat ipsa rerum diversarum oppositio) *abstrahitis omne consilium meum* de salute æternâ acqvirendâ Actor. 20, 27. *âvobis*, hoc est, per Hypallagen Salomoni non inusitatam Proverb.4,15. abstrahitis vos ab omni meo consilio Luth. **Und ihr lasset fahren allen meinen Rath**/ *& correctioni meæ non acqviescitis*, nec vultis moneri meliora Sophon 3,5. audietis etiam, qvid porrò de vobis pessimis decreverim. In priori commate est verbum Hebræum פָּרַע i.e. nudavit, liberum fecit ad malum, qvod ut rectiùs intelligas confer Exod. 32, 25. & consule marginalem glossam Lutheri b. m. id enim indicatur, qværere hos homines libertatem carnalem faciendi, qvod libet, & ne teneantur legum divinarum repagulis Psalm.2,3. qvomodo tamen ipsam libertatem Christianam prorsus amittunt, æternæq; servituti addicuntur.

I. Loc.

I. Loc. Commun.

QVæ verò vobis frons, ô Calviniani, qvi asseritis, à DEO hominum maximam partem, absoluto qvodam decreto, & libero ejus beneplacito, sine ullâ aliâ causâ damnari? Salomo, cujus tamen seqventia verba truncata, ut Diabolus Psal. 91. Matth. 4. allegat, pro vestro illo horribili dogmate (sicut ipse Calvinus id nominat l. 3. instit. cap. 23. sect. 7.) ac horrendo decreto (ut Beza id appellat part. alt. resp. ad Colloq. Mompelg. pag. 18.) soletis citare; vobis primâ illâ particulâ & qvatuor seqventibus commatibus in faciem contradicit, יַעַן eò qvòd, & habet cognationem cum Radice עָנָה, unde etiam satis benè potest deduci, notatq; juxta Buxtorfium, vestrum gregalem, redditionem, & qvasi responsionem causæ, qvæ si hîc abesset, nunqvam seqveretur seqvens effectus, videlicet desertio & damnatio. Vultis autem scire, qvid mysterii contineat? aperiet vobis ipse sapiens, qvi hoc scripsit infrà cap. 16. v. 4. Omnia, & potissimùm hominem, reliqvarum rerum dominum, operatus est Jehova ad nutum suum; verùm si ex propriâ malitiâ persistat in improbitate & rebellione contra DEUM, etiam eum justo judicio trahit ad diem mali & pœnam justam. Jam qvære, cur Cain fuit condemnatus & reprobatus à DEO? non ob absolutum decretum, sed qvod DEI monitioni de irâ cohibendâ non modò non pareret, verùm etiam Deo suo superbè resisteret Genes. 4. id est, יַעַן, factum ipsum malum Caini, qvod respondere debetis, si qværatur damnationis causa. Qvî factum, ut Core, Dathan, Abiram ita miserè & properè perierint? responde ex textu, qvòd contra magistratum suum insurrexerint. Num. 16. Deiq; ordinationi restiterint Rom. 13. Cur Pharao non tantùm in aqvâ fuit submersus, verùm etiam in infernum detrusus? hoc responde, qvia nolebat DEO cedere tot verbis monitus, tot miraculis eruditus: & sic de cæteris, ubi semper si mali illati causa qværitur, scias ex hâc particulâ & seqventibus prædicatis, eam in hominibus esse qværendam. Qvî enim is eos, qvi cupiunt salvari, rejiceret; qvi omnibus, cum essent inimici ejus, dedit filium Rom. 5. & 8. qvomodo qvi vult omnes salvari 1. Tim. 2. & nullum perire 2. Petr. 3. ita æterno multorum exitio delectaretur? Sed de his satis. Nam

II. Loc. Commun.

VUltis nosse, qvid DEUS antecedente suâ voluntate (ut ita docendi gratia appellemus, & respectu nostri) de hominibus statuerit, agite, non longe abibimus, inqviremus ipsam DEI sapientiam: invito, inqvit, clamore magno voco, manumq; extendo. Ad qvid vero vocat? ad gaudia, convivia, nuptias. Qvos autem? omnes homines, ut docent parabolæ, dicta & facta in sacris literis consignata, qvod iterum tam clarum est ex scripturâ, ut qvantumvis velitis negare, neqveatis, ne alia jam adducamus, qvæ magno numero poteramus: considerate, qvinam hinc invitari dicantur, illi scilicet, qvos vos ipsi damnari agnoscitis: at non seriò (horteſco referens) reponitis. Utinam vobis adesset Samuel, ille vobis larvam pietatis, ut Sauli, facilè detraheret 1. Sam. 15, 29. qvi est æternitas Israelis, non committet *aliqvid*, mendaciter aliqvid simulando, neq; pœnitebit eum promissorum suorum generalium omnibus factorum, imo juramento confirmatorum Ezech. 3, & 33. non enim homo est, ut pœniteat eum. David erat vir secundum cor DEI Actor. 13. is in suâ aulâ mendaces non fert ullo modo Psal. 101. & vos dicere non erubescitis, DEUM ipsum minus candidè agere! ô sermo *Cui meritò possis nigrum præfigere betâ.*

III. Loc. Commun.

QVi autem fiat, qvòd homines non salventur, cùm DEUS velit eos salvare, in causâ est, qvia vocanti non obediunt Rom. 10, 16. invitati non comparent Matth. 22. Luc. 14. David cum Abigaelem sibi uxorem poscebat, statim ipsa accurrit, mortuo Nabale 1. Sam. 25. sed qvando Christus, verus ille David, genus humanum spirituali matrimonio Hos. 2. Eph. 5. sibi vult copulare, malunt pleriq; supervivere suum Nabalem, & cum eo manere, hoc est, in stultitiâ suâ perire 1. Cor. 2. neq; hanc DEI sapientiam adire, eam audire, & cum illâ fœdus inire. Ahasverus Estheræ ubi modo significabat, fore eam reginam, qvàm libenter ambabo manibus tantam dignitatem est amplexa? at qvum Deus nobis offert illam dignitatem, ut cœlorum regnum occupemus, renuimus multi: vide hominum insaniam. Rebecca Isaaci servum statim seqvebatur, & pleriq; homines Christi ministros, adducturos eos & copulaturos Christo 2. Corinth. 11, 2. rejiciunt. Qvando David Mephiboſetho offerebat suam gratiam, reumq; ad regiam mensam erat adhibiturus, is cum maximâ

ximâ gratiarum actione tantam beneficentiam acceptat; pleriq; autem homines nolunt hîc in regno gratiæ panem vitæ in verbo & sacramentis oblatum comedere. Qvid igitur mirum est, si postea ex regno rejiciantur, nec eò admittantur, ubi credentes, sicut Abraham, Isaac & Jacob, cum DEO discumbunt Matth. 8. præcipuè qvum, qvando DEUS manum suam extendit, ut eos è terrâ in cœlum elevet, ne advertunt quidem. Cum Cyrus manu largâ depromebat iterum vasa templi, & alia necessaria ad iter, & ædificationem Israelitis offerebat, gratâ manu ipsi oblata dona sumebant: at homines multi, qvando Deus vult suppeditare omnia, qvæ sunt necessaria ad iter cœli, & ut hîc Deo templum in corpore nostro exædificemus, multi ne attendunt qvidem, & summam libertatem supremi Regis nefariè contemnunt. Filii Heli qvando nolebant Patris sui monitis auscultare, tandem à Deo miseris modis occidebantur; etiam ii, qvi ratione creationis & regenerationis sunt filii excelsi, qvando Patris sui præcepta non observant, internecioni tandem devoventur. Jam igitur causam damnationis multorum hominum satis diserte à Deo explicari audivimus, qvòd oblatam gratiam contemnant Matth. 22, 5. Porrò

V. Loc. Commun.

ΕΜΦΑΝΙΚΩΤΕΡΟΝ id in aliis declaratur. Sunt enim in Ecclesiâ vel hypocritæ, qvi exteriùs multa faciunt, intus autem fidem veram non habent, qvâ sapientiæ thesauros acceptent Matth. 6. & 23. vel socordes & somnolenti, & altis rebus intenti, qvi cœlestia non curant ut Nazarethani Luc. 4. vel sunt rebelles, qvi Deo ejusq; ministris bellum indicunt, & non tantùm non recipiunt bona spiritualia; verùm etiam jugum sacrarum legum planè conantur excutere, ut omninò improbi Psal. 2. hi sunt illi, qvi se Dei consilio planè subtrahunt, vel suâ vafritiâ meliora (uti putant) invenientes 1. Cor. 1. & 2. ut hæretici & philosophi gentiles, Act. 17, 18. vel suâ potentiâ resistunt, ut Tyranni, Sannacherib, Nicanor, Herodes, Saul. Qvando qvis contra suum Dominum terrenum seu magistratum insurgit, crimen læsæ majestatis commisisse judicatur, & morte afficitur Rom. 13. & Deus pateretur, ut inultum auferrent, qvi ejus imperio & jurisdictioni se subtrahunt? Qvando qvidã contra Mosen, virum Dei, seditionem excitabant, malis exemplis perdebantur, Num. 14. & 16. & 26. & impunè fieret, si qvis elatâ manu Num. 15, 30. à se consilium Dei abstraheret? age verò, inqviramus num etiam in hâc Evangelii luce

tales inter nos reperiantur. Utinam non multi hujus criminis rei deprehenderentur! Consilium DEI gratiosum est de salute nostrâ, ut per Christi vulnera sanemur Esa. 53. passione à cruciatu æterno liberemur Hebr. 2. & 9. tantaqve bona in sacramentis nobis conferantur & obsignentur Rom. 4. Tit. 3. Matth. 26. Vide autem, non tantùm multi hoc consilium spernunt; verùm etiam idipsum ita profanant, ac qvod in se est, polluunt Hebr. 10, 29. ut mens pia, qvando cogitat, cohorrescat. Qvinam verò illi pessimi? Isti qvi Jesum Salvatorem suum Matth. 1, 21. dicunt anathema, & qvæ ipse pro salute nostrâ acerbè pertulit, ad suas diras & maledictiones pejus, qvàm dici potest, abutuntur qvando optant suis fratribus illa salutaria peccatorum & malorum remedia esse (parce mihi, Christe, diabolicam ubi explico malitiam) pessima supplicia, & volunt ut perdant, qvæ data sunt, ut salvent. Sic etiam, nonnè DEUS hæc Elementa in usum hominum, undè vivant, condidit? ita certè: sed ab hoc consilio DEI se abstrahunt omnes illi, qvi per Elementa ita execrantur. Ita de cæteris, qvi hodiè qvidem in medio Ecclesiæ cætu sæpè nec à verbi ministris satis graviter reprehenduntur, nec à Diis illis vicariis debitâ severitate puniuntur, cùm tamen hi sint illi diaconi, qvos Deus constituit, ut consilium suum promoveant, & proinde Deo suo aliqvando rationem reddent, qvod suâ conniventiâ passi sint, multos ita nefariè in Deum peccare, & sibi æternum exitium aggravare & accelerare. Hinc enim sæpè fit, qvòd homines Dei consilium contemnunt, qvòd id non satis eis proponatur, & qvòd correctioni non acqviescant, inde qvandoq; fit, ut sint muti qvidam canes, & primæ Decalogi tabulæ custodes negligentes sint, qvos Deus suos esse voluit vicarios, qvos tamen pœnæ, de qvâ jam seqvitur, gravitas poterat excitare, siqvidem faciens & consentiens vel connivens eâdem pœnâ digni sunt Rom. 1, 32. Es. 5, 20. Ezech. 13, 18.

SECUNDA PARS.

DAvid qvidem Absolomum filium, in suâ rebellione interfectum, amarè deflebat 2. Sam. 18. & 19. verùm DEUS justus judex, qvando homines servari nolunt, qvum sit omnibus prorsus malis ignis consumens Deuter. 4. in interitu malorum ridet. Qvia enim, inqvit Dei sapientia, vos mihi resistitis, & mea omnia bono vestro ordinata, habetis

pro

pro ludibrio, *Etiam*, qvòd notat voluntatem consequentem, & qvod culpa præcessit, ubi sequitur hæc pœna, *ego* qvæ vos plus dilexi, qvàm meam vitam, *in calamitate vestrâ* (hebr. אֵיד calamitas, sed tam magna, qvæ exitium & interitum afferat, & qvâ, ut aqva igne in vaporem tenuem abit, qvasi dissolvatur) *ridebo* ὡς γρωμπαθῶς dictum, sed θεοπρεπῶς intelligendum, id est, non curabo, non amplius ad misericordiam commovebor Psal.2,4. Prov.3,34. sed ludificabor vos, & à me, qvoq; rejiciam, *subsannabo, qvum advenerit id, qvod expavescetis* לַעַג significat risum, qvi habet adjunctos gestus Psal.2,4. *qvum advenerit, tanqvam fremebunda vastatio, id qvod expavescitis, & calamitas vestra tanqvam turbo adventaverit*, ubi similitudo desumpta est à nimbo aut grandine, maximâ vi subitò irrumpente, & obvium omne devastante, cui nihil possit resistere Job.30,14. Ezech.38,9. *qvum venerit super vos*, i.e. irruerit *angustia & oppressio. Tunc invocabunt me, sed non exaudiam*, qvæ est pœna talionis, qvando ego clamabam, ipsi non advertebant, *mane qværent me* carnali isto affectu, ut effugiant pœnas, non ut vitam emendent; *sed non invenient me*, qvia qvando meo consilio ad eos veniebam, ipsi se subtrahebant, ac subducebant, ut ita scelera in magistros redeant suos, & eo, qvo peccaverunt, puniantur.

I. Loc. Comm.

JOsua qvando miserat exploratores Jerichuntem, eosq; morte cupiebant afficere pleriq; cum Rege suo, ipsi cum eo postea devovebantur, & acie gladii cadebant; Rahab autem, qvæ in pace ac fide eos suscepit ac dimisit, cum suâ familiâ in vivis conservabatur, Jos.2. Hebreor.11. Noster Jesus, qvando ipse visitat homines gratiosè, oblato suo verbo per legatos vel nuncios suos 2.Cor.5. & illi non agnoscunt, neqve cum debitâ gratiarum actione recipiunt, Luc.19. Matth.23. graviter tandem ex justitiâ puniuntur Matth.10,14.15. qvi ex misericordiâ salvari olenbant & qvia seipsos regno cœlorum indignos esse judicant, Actor.13,46. & verbum repellunt; Deus illos qvoq; anathemate percutit Mal.4,6. si qvi verò ad vocem tubæ Es.58. horum speculatorum spiritualium Ezech. 3. & 33. attendunt Jerem.6,17. vitam suam eripiunt. Qvum enim mittit Jehova nuncios suos, & homines eos subsannant, ac verba ejus spernunt, accenditur æstus iræ Jehovæ in illum populum, adeò ut non sit curatio 2.Chron.36.15,16. Confer Jer.25,4.

II. Loc. Commun.

QVod DEUS non tantùm sit misericors, verùm etiam justus; & qvando nolunt convertere se homines, arcum suum tendat, mortiferasq; sagittas imponat, cùm ex aliis scripturæ locis notissimum est, tum *ex Psal.* 7,13.14. liqvet, ac satis constat *ex præceptis* datis magistratui, ne clementiâ utantur erga maleficos, *& pœnis* eorum, qvi non occiderunt morte dignos, postqvam mensuram iniqvitatis compleverunt Gen. 15. vide Saulem regno abdicatum, qvando Agagum 1. Sam. 15. Achabum morti destinatum, qvando Benhadadum in vivis conservaverat 1. Reg. 20. Qvum enim satis diu connivere voluit, & tempus pœnitentiæ dare, si qvi non obediunt, thesaurizant sibi iram in die iræ Rom. 2, 4. 5. & qvando gratiæ janua clausa est, nemo intromittitur Matth. 25. verùm DEUS justus judex injustos rebelles se dignum luere supplium gaudet, & omnem clamorem ejus qvasi ridet, ut in divite epulone videre est. Qvapropter hodiè, cum audis vocem Domini, noli obdurare cor tuum, sed te converte Psal. 95. Hebr. 3. ne pœna te opprimat Syrach. 5, 3.4. æternùmq; cruciet Matth. 5,26. Vide antidiluvianos & Sodomitas Luc. 17,26. Core, Dathan, Abiram. Num. 16. Goliathum Dei castra blasphemantem 1. Sam 17. Beltsasarem verum Deum contumeliâ afficientem Dan. 5 & crede etiam, qvisqvis es, qvi potentiâ tuâ confisus, vel astutiâ tuâ nixus in Deum peccas securè, è regione tui esse digitos, qvi conscribant omnia tua scelera, qvæ si non deleantur Christi sanguine, in extremo judicio ex libris apertis toti mundo prælegentur Apocal. 20,12.

III. Loc. Commun.

LEge *Deûm stabili semper metus angit iniqvos*, & malorum hominum conscientia ipsos accusat Rom. 2,15. unde liber sapientiæ c. 17,11. res timida est improbitas, teste proprio condemnata, & semper res graves præsumit, dum constringitur conscientia, qvod ne qvis ut non canonicum rejiciat, audiat Psalmistam Psal. 14, 4. 5. Annon sibi sunt conscii omnes, qvi operam dant iniqvitati, ibi expavescunt pavore, & fugiunt nemine persequente, eritq; vita eorum suspensa pavebuntq; noctu & interdiu, nec erunt certi de vitâ, manè dicent, ô si esset vespera, & vesperi, ô si esset manè, præ pavore cordis Devt. 28,65.66.67. Ita improbi in hâc vitâ inferni dolores sentiunt, & post eam demum in eos præcipitantur.

IV. Loc.

IV. Loc. Commun.

ET hoc certissimè futurum est, qvum DEI justitia sit immutabilis, qvod hoc loco triplex verbi נכה repetitio videtur innuere, simul etiam hoc significat, qvod malum sit adventurum, ut hostis, qvi improvisus adest, & inter oscitantes opprimit: Sic malos malum obruit, cum non putant Jud. 20, 34. & venit צרה (vide Psal. 3, 2.) obsidio, qvâ undiqj coanguſtentur, qvod in Novo Testamento verbo συνέχειν Luc. 19, 43. & nomine συνοχὴ Luc. 21, 25. emphaticè exprimitur & צוקה i. e. anguſtia & coarctatio, ubi omnis elabendi rima est obstructa, qvod in Novo Testamento per θλῖψιν καὶ συνοχωρίαν optimè redditur Roman. 2, 9. vides ergò omnem DEI exercitum tandem esse venturum, contra improbos, & eos in carcerem compactum iri, unde negant redire qvenqvam: qvæ grandia mala qvi non vult tandem sentire, nunc DEUM contrito corde memineritadire, ut inveniat gratiam in opportunum auxilium Hebr. 4, 16.

V. Loc. Commun.

NOn omnes preces DEO placent, sed tantùm in nomine Christi Joh. 16. secundum voluntatem ejus 1. Joh. 5. ac non à peccatoribus impœnitentibus fusæ Johan. 9. DEO placent. Proinde qvi cupis exaudiri, DEI verbum audias; qvi cupis cum sponso intromitti ad nuptias vocatus, maturè compareas; qvi desideras deduci Dei consilio in gloriam, semper ejus in fide recolas memoriam: ita evitabis calamitatem, occupabis beatitatem, effugies infernum, & pervenies in gaudium æternum. Qvod ut fiat, tu, ô DEI sapientia præstes, in nobis pro tuâ in nos benivolentiâ, Amen.

DOMINICA XI. POST TRINITATIS.

Psal. 113, 4 5. 6.

DAvid Rex super totum Israelem constitutus, conjuges suas duas priores Achinoam, qvam duxerat adhuc pastor ovium, & Abigaëlem, antea uxorem Nabalis Carmelitæ secum in arcem suam regiam deducit, qvum illæ eum suum Dominum humiliter agnoscerent: Contrà autem Micalem graviter, qvoniam ipsum superbè deridendo peccabat, reprehendit, & pœnâ à Deo decretâ eam premit. Christus Rex Ecclesiæ, & super omnes fideles potissimùm, qvi fide Israelem imitantes, Deum

DEUM ſuum vincunt humiles, qvi patiuntur ſe ei copulari in regno gratiæ, qvum adhuc agit paſtorem, & nondum hædos ab ovibus ſeparat, qviq; mundo ſtulto moriuntur, ut vivant Deo, delitias hujus ſeculi ſpernunt, ut divitias cœli poſtea poſſideant, ſecum tandem in novam illam Jeroſolymam, qvæ è cœlo deſcendit Apoc. 21, 2. putà à Deo piis paratam Matth. 25, 34. deducit, æterniq; gaudii facit participes. Contrà vero ſuperbis, & in ſe confidentibus Luc. 18, 9. 14. non tantùm in hâc vitâ reſiſtit 1. Petr. 5, 5. 6. verùm etiam tandem eos ex regno cœlorum excludit, qvum ſint omnium bonorum operum ſteriles Epiſt Judæ v. 12. ut Micali non fuit proles ulla. Hoc ipſum in Phariſæo & publicano nobis proponitur: & qvia ſemper eadem in mundo agitur fabula, mutatis perſonis; libet generale aliqvod dictum Pſalmiſtæ paucis explicare, qvo indicatur, qvòd DEUS ſummus humilia tantùm amet, qvemadmodum Publicanus ſe coram ejus majeſtate abjiciens erigitur, & juſtificatur inter cœli incolas collocatur, dum ſe accuſat, excuſatur, dum ſe condemnat, beatur. Partes erunt duæ.

I. *DEI infinita majeſtas.*

II. *Ejusdem erga humiles amica voluntas.*

DEUS, qvi habitas lucem inacceſſam, ad qvam nemo ſuis viribus pertingit, te rogamus, ut per filium tuum, qvi eſt lux mundi, noſtra corda cæca illumines, ut & tuam infinitam potentiam, & noſtram ſummam impotentiam agnoſcentes, humilitati ſtudeamus, atqve ita à te tempore oportuno exaltemur 1. Petr. 5, 6. tecumq; in cœlis æternùm lætemur, qvi hîc cum Chriſtò exiguum patimur, & cum eo per multas calamitates ad gloriam tranſimus Act. 14. Luc. 24.

PARS PRIMA.

QVando audiebat Chiram Salomonem non tantùm regnare ſuper totum Iſraelem, verùm etiam ſapienter omnia adminiſtrare, Deoqve eſſe templum ædificaturum longè ſumptuoſiſſimum, & ſplendidiſſimum; lætabatur valdè, & benedicebat Jehovæ, qvi populo tàm multo Regem ſapientem præfeciſſet 1. Reg. 5, 7. Qvantò magis nos omnes, qvando videmus hujus totius mundi fabricam non tantùm magnificentiſſimè eſſe exſtructam, ſed etiam mirabiliter ac potentiſſimè à DEO conſervari atq; gubernari, præcipuè autem pios miris modis de-

defendi, meritò exultamus, & laudamus Jehovam, dicentes cum Psalte regio; Benedictus sit Jehova, DEUS Israelis, qvi facit mirabilia solus Ps. 72,18. & benedictum nomen gloriæ ejus in seculum; impleaturq; gloriâ ejus tota terra, Amen, iterum amen v.19. Hoc agitur in Psalmo 113. ubi primùm est ad laudandum Deum hortatio v.1. deinde ipsa laudatio v.2.3. & hujus multiplex, ac prægnans ratio, à Dei majestate v.4.5.& operibus, qvæ in gubernatione mundi cernuntur: potissimùm autem qvomodo humiles amet vers.6. & elevet ad magnas dignitates v.7.8 ac qvod supra naturæ ordinem est, steriles reddat fœcundas v.9. ut meritò huic Psalmo titulus ille, ut summa & argumentum, præfigatur הַלְלוּיָהּ laudate Jehovam. Magnis debetur magna & ampla laus: verùm Jehova est *excelsus* seu altus (Hebr. רָם) *super omnes gentes* tam Judæos, qvàm gentiles (qvis enim est adeò stupidus, ut cum nonnullis Judæis rei veritate victus, velit negare, Judæos nomine גּוֹיִם sæpius includi) Abram qvidem erat priùs dictus Pater excelsus; verùm super paucos elucebat ejus dignitas. Jehovæ meritò des nominis hujus honorem, siqvidem *super cœlos gloria ejus*, hoc est, infinita & immensa, qvippè qvæ cœli tetræq; terminis non includitur vide Psal.8,2. ut meritò qværas, hanc majestatem qvàm maximè amplificans, qvis est *sicut Jehova, Deus noster*, nobis servis suis, laudantibus eum, propitius & placatus, (qvod notat pronomen) *qvi exaltat habitando*, suum palatium tam excelso in loco exstruxit, ut qvantumvis cogitatione ascendas, ille tamen longè ista omnia cogitata superet. Qvòd si qvis conjecturæ locus est, qvid hoc loco (præsupponimus enim nullum Jota esse frustra à spiritu sancto positum) ה paragogicum, ut vulgò dicitur, notet, puto non esse contra fidei analogiam, si qvis asserat, ad superiorem interrogationem hanc poni in ipsius DEI personæ responsionem: qværis, qvis sicut DEUS noster? nemo est: ego tantùm sum solus, exaltans ego mihi meum residere, & nemo est præter & ultra me DEUS verus & excelsus.

I. Loc. Commun.

DAvidem regem suum omnes Israelitæ libenter suscipiunt, qvia præfuerat eis in militiâ, & nunc pasturus eos erat, 2. Samuel. 5, 1.2 3. Nonnè justius est, ut omnes DEUM laudibus celebrent, eiq; obediant,

qvum is sit, qvi omnes eripit: nam propterea ad eum venit omnis caro Psal.65,3. Cùm enim Deus sit omnis boni fons & origo, ipsi meritò pro omnibus debentur laudes. Ibid.v.2. Colos.3,17. Salomoni hoc acceptum ferebant subditi, qvod qvisq; sub ficu & vite suâ securè sedebat; nos verò DEO nostro nunc multò magis asscribimus, qvòd cum omnes ferè Germaniæ provinciæ bellis, aliisq; calamitatibus tantùm non sunt prorsus oppressæ, nos mediocriter floreamus. Meritò itaq; cantamus Halleluja. Præcipuè autem, qvod ipsius benignitas erga nos invaluerit Psal.117,2. & ipse inter nos suum verbum purum huc usqve conservaverit, qvando in alios qvosdam ducatus, marchionatus & urbes, Papistarum, Calvinianorum, Photinianorum, Arminianorum errores sunt introducti, ibidemq; propagati: ita DEUS est excelsus super nos, qvi eramus qvondam gentes incredulæ. Est autem DEUS excelsus in se, qvia omnium altissimus, qviq; superiorem non agnoscit, & in suis ministris fidelibus, qvos ad se in cœlum usq; elevat, & in suis operibus, qvæ longè superant omnem captum & rationem humanam.

II. Loc. Commun.

QVia est excelsus super omnes gentes, docemur regnum potentiæ DEI se extendere in omnes mundi angulos, qvia ita regnat in medio inimicorum suorum Psal.110. Confer Psal.46,9.10.11. Nemo igitur præsumat, se impunè posse θεομαχεῖν Act.5. ostendit hoc DEUS in diluvio, Sodomæ incendio, Israelitarum liberatione, Pharaonis submersione, populorum terræ Canaan deletione, Samariæ, Nineves, Jerosolymæqve vastatione, & qvomodo multis gentibus DEUS futuras pœnas comminetur, legi potest apud Esa.13.14.15.16.17.18.19. capp. Jeremiam c.46.47.48 49.50. Ezechielem 25.26. usqve ad 32. cap. atqve ita DEUS excelsus est justitiâ, itidem excelsus est misericordiâ, qvia vult omnes salvos fieri 1.Tim.2 & nullum perire 2.Petr.3. qvod etiam ex præcedentibus locis potest educi: siqvidem DEUS propterea ventura mala prædicit, ut pœnitentiâ seriâ ea effugiant homines Amos 3,6.7. Vide Jerem.18. & qvid multis? meritò excelsus est, super omnes gentes, qvi omnes creavit Mal.2. omnes per filium redimendos curavit Johan.3. & omnes, potissimùm in Novo Testamento ad communicationem regni sui vocavit Act.17. vers.30. de omnibusq; curam gerit, omnibus provi-

der,

det, Sap.6,8. Actor.17,28. omniaq; sustentat Psal.36,7. qvod jure gentes ad eum colendum excitare debebat, ut Paulus argumentatur Roman.1. Actor.14. & 17. & solatio est piis, ne desperent, qvando gentes multæ & robustæ contra Ecclesiam insurgunt, DEUS enim est supra omnes excelsus, & omnes facilè potest reprimere Psal.46. unde ridere irritos hominum conatus dicitur Psal.2. unde Esa.8,10. ita ludificatur; inite consiliũ & irritum fiet. Nam עִמָּנוּאֵל,

Nobiscum Deus est, Deus hic nos proteget, ullum
Ut cunctos cernas non dare posse malum. Hinc

III. Loc. Comm

GLoria ejus supra cœlos & infinita est, qvia ejus opera & merita immensa. Hinc Angeli meritò ipsi accinunt, qvòd plena sit terra gloriâ ejus, Esa.cap.6. idemq; præstare tenentur omnes populi Psal.117. sed qvamvis & hi & illi omnia faciant, tamen non possunt assequi, Syrach. 43,32.34. unde in signum hujus suæ tenuitatis, qvando cantant Angeli illum τρισάγιον, alis faciem texisse leguntur Esa.6,2. Qvia autem illa ipsa gloria data est Christo, infinitam ipsi esse concessam, facilè agnoscunt, qvi oculos ad ardentem scripturæ faculam non claudunt. Psal.8, 2. Confer Esa.42,1.10.11.12.

IV. Loc. Commun.

MUltiplex est usus illius interrogationis Rhetoricê: Qvis est sicut Jehova Deus noster? inferentis suâ vi hanc propositionem: Nemo est ipsi par aut similis. Qvod si ita est, petentibus Photinianis, Arrianis, aliisq; sacrosanctam Trinitatem abnegantibus, ut exemplo demonstremus; tria esse unum, hoc opponimus: qvis est sicut Jehova Deus noster? nemo: cui assimilabitis vos Deum fortem, & qvam rem comparabitis ei? Esa.40,18.25. & 46,5. Deum non ab exemplis credimus, sed ab autoritate ipsius. Qvisqvis autem exempla essentiæ divinæ aut proprietatum petit, is alios sibi Deos dari vult, qvod nullâ pietatis aut naturæ lege permittitur. Porrò si nemo est, sicut Jehova, nemo etiam debet ita coli aut adorari; qvod est dicendum Pontificiis, & aliis Christi divinitatem negantibus: si nemo est, sicut Jehova, & Christus tamen est Patris character & imago Hebr.1. Col.1. verus Deus erit. Eadem interrogatio retudit qvorundam magnatum superbiam, qvi putant,

tant, qvum sint potentes, qvòd sint DEO pares, qvi tamen suo malo tandem didicerunt, se fuisse frustra & longè impares, ut Pharao, Sennacherib, Herodes, Elimas magus, Julianus apostata: Idem autem DEUS omnipotens, qvòd sit noster DEUS, magnam consolationem continet. Moses inde beatos prædicat Israelitas, qvòd DEUS non sit aliis gentibus ita propinqvus ut ipsis Deut. 4,7. nostra felicitas in eo major, qvòd longè major in Novo Testamento lux de DEO apud nos orta sit Rom. 13. & qvòd Deus, se in Christo nostro mediatore acqviescere, cœlitus proclamavit Matth. 3. & nos in dilecto dilectos ac caros habeat, Eph. 1. Luc. 2.

V. Loc. Commun.

SI Deus in altis habitat, non qvidem ratione loci, sed dignitatis & gloriæ: decet etiam nos à terrenis ad cœlestia & superna cogitationibus piis ascendere Col. 3,1.2.5. Philipp. 3,20. vult enim hic noster Deus, ut eum imitemur Patrem nostrum Lev. 19. Matth. 5. Luc. 6. Eph. 5. Non igitur nimis opes, honores, delitias hujus mundi amemus: qvia illa sunt velut pondera degravantia, ne liceat nos elevare à terrâ 2. Cor. 5, 4. qvi verò incipiunt hæc contemnere & ad cœlum contendere, cum Domino olim rapientur in aëra, ut sint cum eo semper 1. Thessal. 4, 17. qvomodo & nos sedebimus cum Christo in supercœlestibus, longè supra omnes nostros hostes evecti 1. Corinth. 15. Salomonis thronus regalis valdè celebratur, qvòd talis non fuerit in ullis regnis, 1. Reg. 10, 18. 19. 20. Verùm Dei solium longè, imò infinitis modis eum superat: siqvidem non est ex ebore, neq; auro obductum, qvæ tandem corrumpuntur rubigine & situ; sed ex incorruptibili (qvoad naturalem vim ac potentiam) materiâ. Ad illum sex gradibus ascendebatur; expletis sex mundi millenariis, Christus suum solium conscendet, & ad eum adducentur pii. (loqvor autem ἐν τῷ πλάτει & juxta vulgò receptam sententiam.) Ibi leones ad latus stabant; Dei solium firmant justitia, pax, veritas, misericordia &c.

SECUNDA PARS.

MEphiboseth Jonathanis filius in summâ paupertate & miseriâ constitutus, & à Davide Rege in locum pristinum & bona sua restitutus, imò in regiam receptus, se incurvans dixit 2. Sam. 9, 8. qvid est ser-

servus tuus, ut respexeris ad canem mortuum, qvalis sum ego? Et merito is tantam gratiam sibi extraordinarie factam agnoscit, qvippe qvamvis esset affectus, & claudus utroq; pede ibid. v.3.& 13. & proinde generali Davidis constitutione ex regiâ excluderetur 2. Sam.5,8.tamen ob amicitiam Jonathanis admittitur ad mensam regiam. Nos Homines, qvi eramus ex creatione, & sumus ex redemptione Jonathanis veri, & filii Dei, nobis à Jehova dati, filii, sed ex Adamo primo, meritò pudore ob peccata nostra suffundebamur (Confer Genes. 3, 10. Dan.9,7.8. Rom.3,23.27.) ex tantâ miseriâ per Davidem Novi Testamenti Hos.3,5. sumus liberati, & si, modò fidei manu recipiamus, in hæreditatem cœlestis patriæ recepti, nunc jure optimo se humilians coram DEO, cum filio prodigo unusqvisq; dicit: Non sum dignus, ut vocer filius tuus Luc.15. Cum Centurione, ut intres in pectoris mei tectum; aut ego in tuum cœleste palatium Matth. 8. tu tamen ex merâ gratiâ respexisti Luc.1,48. & clementer suscepisti, dum est tempus acceptum 2 Cor. 6. & janua gratiæ patet, peccatorem flagitiosum (qvi est velut canis Apocal.22.v.15.) & in peccatis mortuum Ephes.2.eumq; imperfectum & sæpè offendentem, ob Christum satisfacientem, & deprecantem in gratiam recipis, qvamvis ex justitiæ rigore erat cœlo excludendus. Hoc ipsum etiam admiratur Psaltes porrò, postqvam Dei majestatem regiam descripsit, & nunc ejus in genus humanum benignitatem summam deprædicat, & in hæc herba velut prorumpit in Psalmo 144,3. loqvitur, Jehova, qvid est homo, ut agnoscas eum, aut filius mortalis, ut rationem habeas ejus? tu ô Deus, qvi ita excelsum habes palatium, qvomodo tam paternè curas miseros in terrâ? respondet Dominus, Ego sum is *ipsimè me demittens, perspiciendo* & respiciendo *humilia*, qvæ sunt *in cœlo*, ut Angeli sancti, qvi se semper servos meos agnoscunt, ad thronum meum humiliter comparent Job.1. nutum observant, jussaqve expediunt Matth.18, 10. sicut & animæ sanctorum beatæ, qvæ recordantur jugiter, qvid fuerint, & esse debuerint per suam culpam ac malitiam, & qvid factæ sint per Dei gratiam, & proinde nunc humiliter Dominum suum semper colunt, & qvæ sunt *in terrâ*, in Ecclesia militante, ubi viget illud, *qvi se exaltat humiliabitur, & qvi se humiliaverit, exaltabitur à Deo* 1. Petr. 5.

I. Loc. Commun.

HOmines plerumq; ita sunt animati, ut qvò sunt majores, eò minùs curent alios inferiores. Videre hoc est in præfecto à poculis, qvi qvum lætum afferret nuncium Josephus, aureos montes promittebat, & licet ille rogasset, *Qvum bene deînde tibi, tu memor esto mei*, Genes. 40, 14. tamen restitutus in locum & dignitatem suam, oblivioni tradidit eum v. 23. Verùm Deus, qvò est sublimior, eò magis se ad rerum humanarum gubernationem & miserorum erectionem demittit, ac velut ad juvandum se inclinat, porrectâ manu Luc. 1, 54. Si enim apud Deum ne unus qvidem passer est in oblivione Matth. 10. si curat lilia agri Matt. 6. qvomodo non curaret homines, ad sui imaginem creatos, per filium redemptos, & hæredes à se institutos? Imò hæc est summa Dei delectatio, miseros juvare, perditos salvare, damnatos beare, si modò humili fide tantum agnoscant beneficium, & ad ipsum per filium confugiant. Commendatur igitur hîc Dei benignitas & nostra, qvòs ita curet, indignitas.

II. Loc. Commun.

DIligenter hîc inter se sunt componenda Dei sublimitas, & nobis præscripta humilitas. Si enim, qvicqvid habemus vel rerum spiritualium vel corporalium, vel æternorum vel temporalium bonorum, ex largâ Dei manu sine ullo nostro merito accepimus 1. Cor. 4, 7. & ita, ut Dei misericordia nos prævenerit Rom. 5. qvid juvat superbire aut nos extollere? nimirum cum Nebucadnezare donis nostris privabimur, Dan. 4. cum Pharisæo damnabimur Luc. 18. cum Diabolo è cœlis ejiciemur, Apocal. 12. cum Rege Babyloniæ à facie Dei projiciemur Esa. 14. Cum Vasthi, non se subjiciente mariti jussis, extrudemur Esth. 1. cum Micale steriles relinqvemur 2. Sam. 6. cum Caino vagi errabimus Gen. 4. cum Judâ desperabimus Matth. 27. Verùm his omnibus nondum edocti, multi duo mala faciunt; relinqvunt Deum scaturiginem aqvarum perennium, & effodiunt sibi cisternas fractas, qvæ non capiunt aqvas vivas Jer. 2, 13. aqvas solatii & vitæ Joh. 4, 14. Zach. 14, 8. qvemadmodum verò loca humilia qvàm plurimum aqvæ pluvialis recipiunt ob suam declivitatem, qvò ex omni parte humor confluit, ita fit, ut cor humile multò plura dona & plus gratiæ reportet à DEO, qvò se plùs projecerit coram Deo, 1. Petr. 5, 5. nam qvi transeunt per vallem &

Deum

Deum fontem omnis boni sibi proponunt, hos operit benedictionum pluvia Psal.84,7. & si qvis ut ovis sequitur suum Pastorem, poculum exuberans inveniet Psal.23,5.

III. Loc. Comm.

HAnc igitur virtutem suo exemplo docent sancti Angeli & beati mortui: unde nos qvotidiè rogemus ex animo; fiat, ô Deus, voluntas tua in nobis etiam, ut in cœlo, ita & in terrâ Matth.6,10. Hæc autem est voluntas Dei, ut agnoscentes ejus majestatem, ipsi gloriam; & nostram perspicientes impotentiam, nobis ignominiam ex nobis deberi Profiteamur, & sic ex terrâ in cœlum, per humilitatem ad æternam sublimitatem provehamur, Amen.

DOMINICA XII. POST TRINITATIS.

Esa.35,3.4.5,6.7.

LAmechus qvando mala multa jam erat expertus, variaq; sine dubio, sed frustra qvæsierat remedia; tandem ubi ei nascebatur filius, spei bonæ plenus vocat Noachum ob bonum istud omen: hic consolabitur nos de labore nostro, & de dolore manuum, & de maledictione, qvâ maledixit Jehova terræ Gen.5.v.29. Homines Veteris Testamenti (qvi cum Lamecho possunt conferri, qvia hic in mundo veteri ante diluvium vivebat, & mortem oppetebat, anteqvam novum vel restauratum orbem videret) qvando ob sua peccata variis affligebantur calamitatibus, & modò hic, modò ibi salutem qværebant, ubi se frustra esse sentiebant pleriq;, huc deniq; confugiebant, ut in Christo venturo omnem spem atq; refugium suum ponerent: hic enim verè est, qvi affert pacem Mich.5. & qvietem, potissimùm animabus afflictis Matth.11. Rom.5. omnemq; maledictionem tollit, pro nobis factus maledictum Gal.3. Is enim non tantùm lætum Evangelii nuncium cœlitus attulit Joh.1. sed etiam multos à Satanâ oppressos liberavit, Act.10,38. Hâc de causâ & Prophetæ, populum Israeliticum consolaturi, Christum tandem proponunt, ut verum ἱλαστήριον Rom.3. Salvatorem & opitulatorem optimum, & Evangelistæ tot ejus miracula tam copiosè descripserunt, ut inde nos exemplum capiamus, nobis qvod ex usu sit. Ex illis Prophetiis non ultima est istud Esa.c.35. vaticinium, ubi de felicitate per Christum hominibus N.T. obtingente agit, Partes sunt duæ.

I. Mi-

I. *Ministrorum verbi officium.*
II. *Christi Salvatoris beneficium.*

Domine, qvando vocem tuam audimus, cum Adamo, Genes.3. peccatorum nobis conscii extimescimus: qvia novimus, nos esse nudos donis antea datis; scimus nos esse cæcos; Verùm tu lux mundi illumina Joh. 1. sumus surdi; tu aures aperi Marc.7. & intellectum Luc. 24. claudicavimus sæpè, sed tu nos erige, ac stabili gressus nostros Psa. 25. muti sumus, solve labiorum nostrorum vincula Psal. 51. sitimus ac esurimus: pota ac ciba nos Joh. 4,& 6. siqvidem omnes, qvi ad te se recipiunt, uberrimè explentur Psal.36,8.9.

PRIMA PARS.

EGerat Propheta de liberatione Ecclesiæ & judiciis in hostes præfractos, atq; ita de populi Israelitici felicitate: qvæ qvia potissimum suum complementum in regno Christi sub initium Novi Testamenti erat habitura, eò nunc descendit; & ut tanto magis animi excitentur, cũ alios omnes, tum imprimis verbi ministros hortatur, ut adventum hujus Domini denuncient, & qvid bonorum apportet, exponant, ne cum suis bonis temere præterire tantum Dominum patiantur homines, solemini eos, qvòd hæ phrases metaphoricæ primùm notant simpliciter Job.4,3.4. hîc tamen ob subjectam materiam aliqvantò majora continent, nempè *confirmate* promissionum harum suavitate & vicissitudinis celeritate *manus* diuturnis hisce malis, qvæ hactenus passa est Ecclesia, *remissas*; ut apprehendant præsentem Salvatorem, unde in Novo Testamento credere per παραλαμβάνειν Joh.1,12. 1.Cor.15,1. Coloss.2,6. explicatur, & verbum ac Sacramenta velut manus Dei offerens & conferens, cœlestia bona describuntur; cui ex nostrâ parte obviare debet manus fidei, qvæ cum Jacobo Deum arctè teneat, nec nisi benedictione qvâdam collatâ dimittat, & *genua labantia*, homines in suis viis bonis, qvibus mala adjuncta vident, nutantes, *fortificate*, (utrumq; autem verbum Hebræum est in Piel, & continet qvandam ἔμφασιν) autor verò Epistolæ ad Hebr. cap.12.vers.12. qvando ad hunc locum respicit, conjungit, dum ita hæc exprimit: τὰς παρειμένας χεῖρας, καὶ τὰ παραλελυμένα γόνατα ἀνορθώσατε, idqve fiet consolando, confer Esa.40,1. *dicite præcipitibus*, (נִמְהָרִי à מָהַר festinavit, & de

& de consiliis dictum, præceps ac temerarius fuit. Confer Job.5,13. & Esa.28,16. & 37,4. ubi tamen verbum Hebræum synonymum, idqve Rom.9,33. 1.Pet.2,6. per καταισχύνεσθαι satis benè exponitur) præcipitibus, hoc est, inconsideratis *corde* seu animo, qvi dum præsentibus tantùm intenti, non respiciunt præmium, suam fiduciam erant abjecturi, atqve ita ibant seipsos perditum, *confirmamini*, præstate vos viros ἀνδρίζεσθε, κραταιοῦσθε 1.Corinth.16,13. *& ne timeatis* nimium ac serviliter illa mala impendentia, cum qvibus Deus mox præstabit eventum, ut perferre possitis 1. Corinth.10,13. sicut jam jam in alterâ parte audietis.

I. Loc. Comm.

CHristianorum hoc est, inprimis verò ministrorum verbi, ad pietatem & constantiam alios hortari. Vide Mich.4,2.

II. Loc. Commun.

MAnus Mosis graves saxo supposito fulciebantur, atq; ab Aarone & Hur sustentabantur, ut ita vincere Israel Exod.17,12. Nostra manus fidei lapide illo selecto Jesu Christo est confirmanda Eph.2,20. Act. 4,11.12. Rom.9,33.

III. Loc. Commun.

JOnathan ejusq; armiger eum secutus, manibus & pedibus qvando nitebantur ascendere, hostibus superiores evadebant 1.Sam.14,14.&c Sic ubi Christus noster Jonathan præcedit nos Christiani ejus spirituales milites manibus, hoc est, fide, & pedibus, hoc est, officii nostri partibus, & aliis bonis operibus repleti ad cœlum properemus: ita futurũ est, ut omnes nostri hostes tandem in Christo nobis subjiciantur 1.Cor. 15. ubi tamen cave, inferas: Benè currenti ac laboranti datur vita æterna, Ergo ob merita; & distingue inter causam, & necessaria consequentia seu adjuncta.

IV. Loc. Comm.

SI dicere debent verbi ministri, & qvidem unicuiq; pro ratione diversâ auditorum, oportet eos priùs didicisse ex Bibliis: qvid enim nôrit dicere de aliorum officiis, qvi, qvid sit sui muneris, nondum novit? qvomodo alios ad virtutes hortabitur, qvi ipse viam virtutis non-

dum est ingressus? qvomodo à vitiis dehortabitur, qvi nullâ autoritate & eruditione pollet? qvomodo consolabitur afflictos, qvi ipse non est tentatus, aut nihil mali expertus, nec penu scientiæ Theologicæ variæ instructus?

V. Loc. Commun.

NOn satis finem considerant, qvi deficiunt, qvia per angusta ad augusta progredimur, & mala nobis cooperantur in bonum, decetq; omnes pios Christianos conformes fieri Confer Luc. 14, 26. 28. 31. 33. Qvomodo verò inconsideratos erudiet, qvi ipse nondum ullos affectus habet domitos, nec qvid sit seqvendum, qvid fugiendum tenet?

VI. Loc. Comm.

HOc præstat nobis Dei timor, ut omnes timores reliqvos contemnamus: pro qvo enim Deus, qvis contra illum? Rom. 8.

SECUNDA PARS.

QVid verò dicent? qvæ erunt argumenta, qvibus omnem animi mœrorem esse deponendum persuadeant? summa est: Adest salvator Esa. 63, 1. promittitur enim Dei salvantis præsentia, & beneficentia, eaq; in corporalibus & spiritualibus. Vos homines, qvæ vestra est imbecillitas, potissimùm ad humana respicitis auxilia, qvæ tantummodò vana sunt Psal. 62. & 118. & 146. *ecce*, vultis vobis monstrari verum opitulatorem? *ecce Deus*, dicitis, is potest: sed qvomodo scio, qvòd velit nos juvare? respondeo, est Deus *vester* Joh. 20. vobis jam placatus, imò hic Deus genitus, de qvo ego jam loqvor, est qvi vos in gratiam apud Deum reponit, & iram ejus placat, *ultio advenit* super hostes hactenus vos affligentes, *retributio Dei*, qvæ est justa, qvæq; ut bonis ac perseverantibus in suo cultu omnia bona, ita malis ac præfractis omnia mala, atq; ita unicuiq; pro merito dabit (גְּמוּל enim, qvòd hoc loco extat, est ἐκ τῶν μέσων Psal. 7, 5. Joel. 3, 4-7.) qvorum illud ad constantiam vos excitat, hoc ab apostasiâ avocat. Qvid multis? *ipse* הוּא qvi est semper unus & idem Psal. 102. Hebr. 1. *advenit* in carnem, verbum caro fiet, & λόγος semen Abrahæ assumet, & ita *salvabit vos* יוֹשִׁיעֲכֶם erit Jesus vester, ab omnibus vestris peccatis liberabit Matth. 1. Causa verò malorum per illum ἀλεξίκακον sublata, ipsa qvoq; aut penitus tollentur,

aut

aut certè mitigantur, prout ipse vobis prodesse noverit. Hæc est DEI promissa præsentia, & per eam affutura salutis præstantia ac copia. Porrò verò eadem per μεϱισμὸν explicatur, & primò in qvibusdam corporalibus bonis, qvæ sit ille Messias præstiturus, tum qvando & ubi ipsi fuerit visum in diebus carnis suæ: semper autem eadem spiritualiter efficit in animo, qvando non resistunt ejus operationi gratiosæ auditores, *Tunc* ubi venerit ille Messias, per eum aperiuntur, & DEO jubente, aperient se, hebr. תִּפָּקַחְנָה *oculi cæcorum*, complementum extat Matth. 9,27. & 11,5. & 12,22. & 20,30. & 21,14. Johan. 9. & aures surdorum obthurata *patefient*, & DEO volente se patefacient, Hebr. תִּפָּתַחְנָה ubi etiam elegans notandum ὁμοιοτέλευτον, & exempla extant Matth. 11,5. Marc. 6,32. *tunc saliet claudus, velut cervus*, qvod factum esse legimus Matt. 11,5. & 15,30. & 21,14 Joh. 5, Act. 3,2. & 8,7. & 14,8. & *cantabit lingua muti*, ejus, qvi talis fuit, sumptâ appellatione à termino à qvo, & mutos à Christo sanatos esse scribitur Matth. 9. vers. 32. & 12, 22. & 15,30. ita corpus potest sanare Messias, & animæ sensitivæ organa restituere, ipsum verò animum & cor hominis non minùs solatio perfundet, qvia cantabunt illi sanati, qvod ubi hactenus erat *desertum*, & docentibus Pharisæis ac scribis nihil fidei fructuumq; seu bonorum operum perveniebat, *eruperint* & scaturiant aqvæ cœlestis doctrinæ & solatii, qvomodo aliqvando in scripturâ vox מַיִם usurpatur, & hîc videtur alludere Propheta ad aqvas datas Israelitis in deserto Exod. 17. Num. 20. Devt. 8,15. qvoniam saxo rupto, aqvæ copia prosiliit, qvod etiam verbum hebræum נִבְקַע innuit, imò etiam *torrentes* fluant in *solitudine*, qvod majus est beneficium, unde arbores DEI irrigentur Psal. 1,3. qvod ἔπαμον illustratur, ita ut prior penuria cum præsente copiâ componatur, videlicet, qvod *abierit torridus locus in stagnum, & siticulosus locus in scaturigines aqvarum*, hoc est, mutationem esse divinitus factam in melius, ubi homines sitiebant justitiam, esse jam potatos ad vitam æternam, & non indigere ullo bono, qvin *etiam in caula draconum, & tubili*, seu lustro *cujusq; gramen est cum arundine & junco*. Locus qvi erat aridissimus, qvalem dracones expetunt, effectus est uliginosus, & corpora qvæ erant habitacula draconis magni & serpentis antiqvi seu Diaboli. & proinde tum arida & carentia omnia verâ ac

salutari doctrinâ fonte salutis & fructuum ejus Luc. 11,24. facta jam sunt docente Christo, ejusq; Apostolis, templa Sacrosanctæ Trinitatis Joh.14. 1.Cor.6.v.19. 2.Cor.6. & secundum aqvas lenes deducuntur ac veluti oves pascuntur Psal.23,2.

I. Loc. Commun.

IN omnibus malis ad Christum est respiciendum ac confugiendum. Est DEUS, ergo potest: Est noster frater, ergò volet juvare, Hebr.2.& 4. Vide Josephum suos fratres sustentantem, Davidem suas Conjuges ante regnum ductas evehentem: & spiritualiter ad nos applica.

II. Loc. Commun.

DEUS piis illatas injurias intuetur, & ulciscitur Psal.10.

III. Loc. Comm.

DEUS est bonis bonus, & in malos severus Psal.18. Nah.1.

IV. Loc. Commun.

VEra fit à Christo, non aliundè salus, & hujus Domini est salus omnimoda Psal.3. Qvi igitur salvus esse cupis, huc accurre ægrotus ad medicum, pauper ad divitem, damnatus ad justificantem.

V. Loc. Commun.

QVæ Christus qvondam præstitit in corporibus diebus carnis suæ, eadem sicut etiam tum, nunc qvoq; in suorum efficit animis: si qvi cæci sunt, est lux mundi Joh.1,8. & 12. si qvi surdi, facit eos audire & obedire Es.32,1.2.3. si qvi claudicant 1.Reg.18,21. recto talo stare, & rectâ viâ facit incedere Psal.25. mutis dat eloqvium Marc.7. Psal. 51,16.17.

VI. Loc. Comm.

IN regno Christi omnium rerum, præcipuè spiritualium est abundantia, Psal.34,11. qvid enim desit, ubi est panis vitæ Johan.6. aqva viva Joh.4. armamentarium instructissimum Ephes.6. DEUS ipse murus Zachar.2. Christus sol justitiæ Mal.4. imò DEUS omnia in omnibus tandem futurus, 1.Cor.15. ad hoc igitur regnum gratiæ aspiremus in hâc vitâ, egentes gloriæ post eam, ut simus post eam olim cum Domino in regno gloriæ semper degentes 1.Thess.4. Amen.

DO-

DOMINICA XIII. POST TRINITATIS.

Psal.14,7.

POsteaqvam edictum de Judæis tollendis semel fuerat à Rege Assyriæ promulgatum, sententiaq; pro more regni esset irrevocabilis: tandem ab Esthera intercedente exoratus, & merita Mardochæi edoctus Rex concedit illis, ut resistant in omnibus suis regnis ac Provinciis pro vitâ suâ, perdantq; hostiliter se invadentes. Ex cujus edicti promulgatione magna orta est lætitia Esth.8. Verùm qvantò major lux ac gaudium Christianis omnibus meritò oritur, qvando audiunt ex læto Evangelii nuncio, qvod sententia mortis de omnibus Adæ posteris lata, qvæq; ob DEI justitiam revocari non poterat Genes.2. & 3. Rom 1, 32. ita sit æqvitate summâ temperata, ut Christus pro nobis moriens & intercedens, ac suo merito nos salvans, vitam nobis mortuis restituat. Hoc autem qvum probè intelligerent multi pii Veteris Testamenti, tàm anxiè Messiæ incarnationem optavêre, & diem ejus videre desiderarunt: qvibus etiam David suum adjicit calculum, in hoc 14. & 53. Psalmi fine. Partes sunt duæ.

I. *Ardens pro salute impetrandâ precatio.*

II. *Confidens de eâdem certò communicandâ gloriatio.*

Domine, scimus, jam obtigisse generi humano per filium natum & datum salutem, tantùm fac attendamus, ne illa nobis elabatur Hebr. 2,1. per nostram negligentiam v.3. ne pòst frustra, qværamus amissam Joh.7,34.

PARS PRIMA.

CUm aliqvando copiæ Philistæorum Bethlehemum obsederant, David desiderio qvodam motus dixit: O si qvis bibendam daret mihi aqvam è cisternâ Bethlehemi, qvæ est ad portam 2.Sam.23,13,14. Qvod si vir DEI, cum sat aqvæ extaret, qvæ sitim sedaret, voluit tam anxiè expetere aqvam Bethlehemi; qvantò magis meritò omnes pii, qvorum cor ardore iræ DEI, & sensu peccatorum suorum erat arefactum, illam aqvam vivam, salientem in vitam æternam, qvæ oritura erat Bethlehemi Mich.5,2. Matth.2. bibere exoptarunt? David ipse anxiè id hoc loco vovet, מי יתן *qvis dabit*, ô utinam esset, qvi hoc posset

set præstare, gratiùs sane facere jam non posset, *è Sione*, unde oritura est doctrina de Christo Esa. 2. Mich. 4. *salutem* tam diu & tam crebris suspiriis petitam *Israëli* ab orbe condito promissam & conferendam, qvum multi eam suâ culpâ sunt rejecturi, qvando nunqvam futurum est, ut *latum* Evangelii nuncium audiamus, natum esse mundi Salvatorem, & venisse, qvi peccatorum solvat vincula. Confer Luc 13,16. qviq; per omnes liberatores in Veteri Testamento fuit adumbratus, *reducente Jehovâ reducem turbam* & hactenus sub regno Diaboli captivam Luc. 1,74. *populi sui*, ac liberante per filium suum genus humanum á servitute peccati, stipendioq; mortis, imò in libertatem & gloriam filiorum Dei vindicante. Hoc enim ut petam, misera hominum conditio, qvæ est sub peccato, hactenus descripta, me movet, qvàm nemo potest tollere, aut huic malo mederi, nisi sit ipse יְשׁוּעָה imò יְשׁוּעוֹת Psal. 53,7. seu Jesus omni salute instructus Matth. 1,21. Hunc igitur Jesum meum desidero, & ad ipsum, velut cervus æstu languidus, ad fontes aqvarum propero Psal. 42.

I. Loc. Commun.

QVid votis omnibus ac potissimùm homini exoptandum? liberatio ab omni malo per Christum obtingens. Hæc est pars optima Luc. 10. Optent alii divitias; facilè pereunt Matth. 6. & perdunt Matth. 19. alii honores; sunt res instabilis, & facilè inflans: alii voluptates; seqvitur æternus mœror Luc. 16.

II. Loc. Commun.

UNde & ubi sit speranda vera felicitas? in Ecclesiâ seu Sione, qvæ qvidem coram mundo est arida, ut nomen cluit, sed coram DEO arx felicitatis omnigenæ, qvemadmodum David ab hostibus tum demum erat tutus, qvando illam occupaverat.

III. Loc. Comm.

Salus humana vana Psal. 62. vera est à Deo vero Jer. 23,6.

IV. Loc. Commun.

OMnibus hominibus est salus parta, sed solis credentibus confertur; qvia hunc ordinem Deus sancivit, ut non nisi fide nostra fiant Christi merita, in medio posita. Israeli datur Salus, qvi Deum promissione suâ tenet.

V. Loc.

V. Loc. Commun.

HOmo est velut filius prodigus, qvi cùm acceperat in Adamo multa bona à Patre cœlesti, in longè dissitam regionem abiit, ex Dei conspectu se subduxit, & cum Diabolo scortans, imaginem Dei & omnia bona perdidit Luc.15. Imò propter debita contracta in carcerem infernalem est detrusus, nec liberatur, nisi per Jehovam reducatur in cœlum. Christus enim venit qvæsitum, qvòd aberraverat; salvatum, qvod perierat; vivificatum, qvod mortuum erat.

VI. Loc. Comm.

APparet hinc, qvàm anxiè in Veteri Testamento Messiam desideraverint Eva Genes.4. Abraham Joh.8. Jacob. Gen.49. Unde nostra in Novo Testamento, ubi datus est ille filius, felicitas eluceſcit Luc. 10.23. ut non immeritò pii in Veteri Testamento qvando vaticinium aliqvod de Christo audirent, subjicerent:

Tale tuum dictum nobis divine Prophetа. Virgil.
Qvale sopor fessis in gramine, qvale per æstum, Eclog.5.
Dulcis aqvæ saliente sitim restinguere rivo. versu 45.

Qvod ostendit vel hæc Davidis pro salute citò dandâ fusa precatio.

SECUNDA PARS.

APponitur autem de exauditione certâ fide nixâ gloriatio, qvæ non absimilis est isti, qvæ in Psalmo præcedenti 13.v.6. ego, ô Deus, in benignitate tuâ fiduciam habeo; exsultat animus meus in salute tuâ. Cantabo Jehovæ, qvòd bono afficiat me: sic enim concludit Psalmographus regius. Non frustranea nec irrita sunt talia nostra vota, siqvidem novi fore, ut *exultet Jacob, & lætetur Israel*, nempe in Jehovâ Salvatore suo Luc.1,47. ubi iterum subjecta probè notanda, siqvidem inde liqvet, qvî fiat, qvòd non omnes gaudii, qvod ad totum mundum spectat Luc. 2. fiant participes, nempè non sunt Jacobi, non sunt Israeles, hoc est, fide eum non imitantur. Qvid igitur mirum, si non cum γνησίοις ejus filiis lætentur & exultent?

I. Loc. Comm.

FIdes est, qvæ facit, ut tam certa sint nobis, qvæ ex Dei promissione speramus, ac si jam extarent, & qvæ demonstrat res, qvæ nondum cer-

cernuntur Hebr.11,1. Non autem fidei hæc vis est, ut absentia & futura præsentia efficiat, ut volunt Calviniani. Fides enim nititer verbo promissionis, qvod potest esse de futuris, imò plerumq; est. Qvæ enim adsunt jam, non promittuntur. Sic hoc loco certus de re David, lætabitur, exultabit, potius qvàm lætatur, dicit; nempè respiciens ad complementum. Aliàs qvod ad promissionem ipsam omninò in Veteri Testamento lætabantur ob Christum exhibendum, ut nos ob exhibitum: atq; hactenus ad eundem modum nos salvamur in Novo Testamento, ut illi in Veteri Act.15,11. nempe in Christum eundem credendo, licet non eodem modo existentem, hic ἄσυγχυτον, ibi ἀτρεπτον, unum tamen & eundem.

II. Loc. Commun.

QVemadmodum Dominus in Evangelio Luc. 10, 23. se convertens ad discipulos privatim, illos beatos prædicat, qvòd viderent & audirent ipsum: ita David hoc loco peculiariter Jacobum & Israelem felicem reputat, & gaudii ex nativitate, morte ac resurrectione Messiæ compotem fore asserit. Conferatur Apostolus Rom.9,7.8. Gal.4,28.

III. Loc. Commun.

QVando primùm isti credentes vocantur Jacob, deinde Israel, notatur & in hâc & in futurâ vitâ lætaturos eos esse 1. Tim. 4,8. ut enim Jacob illud nomen prius obtinebat, qvum adhuc ex terrâ sancta exularet, posteriùs autem accipiebat, postqvam venerat in Peniel, cum DEO erat luctatus & in terram sanctam redibat Genes. 32. ita & illi cum Jacobo in hujus vitæ miseriâ, & cum Israele in alterius gloriâ possunt conferri, qvi si vident cum Abrahamo hîc diem Christi fide Johan. 8. cum eodem olim rem ipsam possidentes in lætitiâ discumbent Matt. 8. Deumq; videbunt de facie ad faciem 1. Corinth.13. Atq; utinam illa salus & Jesus noster citò ex cœlis redeat, ac nos ad se usqve pertrahat. Veni Domine Jesu, Apoc.22,20. & nos iterum vide, ut gaudeat cor nostrum, & nemo tollat illud gaudium à nobis Joh.16,22. Interea cum Davide nostro suspiremus ad secundum illum Salvatoris nostri adventum, & plenariam nostri liberationem Rom.8. dicentes; O utinam veniat Salvator Israelis, & Dominus ad se reducat ab ipso adhuc peregrinantem Ecclesiam 2. Corinth.5,6. tum exultabit verè Jacob & lætabi-

tur

tur in æternum Israel; tum qvi seminarunt in ejulatione, metent in exultatione Psal.126,5. qvi seminant in lacrymis, olim metent in gaudiis Amen, & iterum Amen.

DOMINICA XIV. POST TRINITATIS.

Psal.106,2.3.

NOachus qvando toto diluvii tempore à se sustentatos, & corvum, animal immundum, & columbam, qvæ inter munda animalia, eaq; qvæ DEO ritè offerri poterant refertur, tandem emittebat, ut illorum indicio, qvid sibi faciendum esset, sciret: ille primùm hinc inde vagatus, pòst cadaveribus inhians non redit, Dominiq; sui spem fallit: hæc autem tandem folium olivæ decerptum refert Gen.8. Christus, qvi verus est Noachus, ut nuper dictum, qvando in hodierno Evangelio sanatos leprosos à se dimittit; experitur proh dolor, novem esse corvo illi Noachi non absimiles: qvippe primùm fluctuantes & metuentes, ne odium Pharisæorum incurrant; deinde verò honori, opibus, & voluptatibus hujus mundi deleniti, (qvibus sibi carendum esse videbant, si Christo se adjungerent) non revertuntur: unus verò Samaritanus mundatus (novem enim illi mundati corpore, animo multò magis & spiritualiter inqvinabantur) instar columbæ illius Christo folium ex arbore gratiæ fragrantissimum decerptum rediens offert, eumq; exhilarat; Et hic fide suâ salvatur, dum illi in infidelitate suâ pereunt. Qvia igitur qvàm tetrum vitium est ingratitudo, tam præclara & rara virtus est gratitudo: de utrâq; paucis ex Psalmi 106. initio agemus. Partes erunt duæ:

I. *Laudis divinæ sublimitas.*

II. *Laudantium hominum felicitas.*

Domine, scimus qvidem, qvòd, licet te glorificantes exultemus, qvantum possumus, tamen nos non posse asseqvi. Qvi enim te magnificet, prout es? Syr.43,32.34. tamen da nobis hunc animum, ut cum Davide, servo tuo, os nostrum narret justitiam tuam, & qvotidiè salutem tuam, qvamvis ignoremus numeros ejus, aggrediamur laudare omnimodam fortitudinem tuam, Domine Jehova, Psal.71,15.16. & cum Samaritano abs te probato servemus tua mandata jugiter Psal.119,5.8.

PRIMA PARS.

EX Paradiso terrestri oriebatur fons, qvi se dividens in qvatuor fluvios, circumjacentes regiones admodum fœcundantes, Gen. 2. Verùm in Paradiso cœlesti Luc. 23. est fons inexhaustæ bonitatis, qvi rivulos suæ gratiæ semper in omnes qvatuor mundi angulos derivat, ac nunqvam exsiccatur, aut obstruitur, nisi ingratitudine hominum, seu impietate obstinatâ. Confer Psal. 36, 7. 9. hanc igitur caveamus admittere, aut culpam admissam deprecari ne omittamus, ut ita fontem obstructum denuò aperiamus: qvemadmodum Psaltes in hoc Psalmo 106. declarat, ubi hominum indignitas, Deiq; benignitas inter se componuntur, & qvomodo hæc semper longè major fuerit, ostenditur, ut ita alii qvoq;, in peccatis adhuc hærentes, benignitate DEI ad pœnitentiam invitentur, & dicant, peccavimus cum majoribus nostris, iniqvè fecimus, improbè egimus v. 6. recordare nostri Jehova pro benivolentiâ, qvâ proseqveris populum tuum v. 4. in omnibus verò gratias agamus 1. Thess. 5, 16. semperq; personent nostræ aures illo Psalmographi celeusmate: celebrate Jehovam, qvia bonus est, qvia in seculum benignitas ejus v. 1. Cui propositioni adjicitur qvædam ἐπανόρθωσις ac correctio q. d. qvid volo? ut dignè laudetis Deum: imò longè inferior est laus hominis, qvàm ut Deo satis conveniat, plurimumqve absumus ab eo condignè laudando, qvi ne neq; linguâ valemus cum Mose Exod. 3. neq; vitæ integritate comparati sumus Psal. 31, 1. ad eum satis deprædicandum, ideoq; hoc argumentum restat, ut misericordiam ejus imploremus, ac miseriam nostram ac peccata deploremus, ut facit Daniel cap. 9. *qvis enim hominum eloqvatur Jehovæ potentias* גְּבוּרוֹת virtutes, robora; qvæ qvia in DEO ipso non sunt plura, (qvæ enim præter personarum Trinitatem in summâ istâ & indivisâ unitate esset pluralitas?) per summam potentiam, imò divinam, ac res creatas longè superantem, possunt explicari. Si tamen velimus respicere ad effecta plura, ita ut impropriè accipiatur hoc vocabulum, cum Luthero rectè possumus vertere, **die groſſen Thaten des HErren** τὰ μεγαλεῖα τοῦ θεοῦ Actor. 2, 11. *qvis* (ita enim מִי in initio versus positum ὅστις τοῦ κοινοῦ esse repetendum, Psal. 3, 2. fuit probatum) *faciet, ut audiatur*, hoc est,

ost, proferat omnem seu totam (utrumq; enim כל apud hebræos significat, unde πᾶς & ὅλος in Novo Testamento permutantur) *laudem ejus* תְּהִלָּתוֹ in singulari ut Psal. 34, 2. Ubi notandum ex usu linguæ hebrææ, talem interrogationem vel omnimodam ἀδυναμίαν, vel difficultatem maximam indicare: Et hic qvidem si καθ' ἀκρίβειαν qvis accipit, notatur, in hac vitâ esse ἐκ τῶν ἀδυνάτων: si vero aliqvâ ex parte, & καθ' ἐπάκειαν, indicatur rei difficultas: siqvidem si orare est difficilius, qvàm arare, etiam gratias DEO agere erit maximè difficile; qvoniam ad orationem pertinet.

I. Loc. Commun.

HOminem ad DEI gloriam esse creatum, extra omne dubium credo esse positum. Propterea enim DEUS illi sui imaginem & in reliqvas fere omnes creaturas dedit dominium, ut hac Domini liberalitate summâ excitatus, non ingratum se præbeat vasallum. Verùm rara avis in terris est, qvi gratias, si non referre qveat, saltem agere conetur. Id notat particula interrogandi Qvis? ut non incommodè huc trahas illud Salvatoris; ubi novem illi? Israëlitas, qvando tot á DEO affectos beneficiis rebellasse legimus, miramur tantam vecordiam; verùm in nos ipsos descendere non tentamus. Considera Nabalem, & videbis multos ei esse similes.

II. Loc. Commun.

UT de precatione scribitur; qvando vultis orare, dicite, Luc. 11, 2. ita hoc loco de gratiarum actione non sine causâ Psaltes usurpat verbum Hebr. יְמַלֵּל qvod notat disertè & articulatè effatus est, nempè non tantùm vult DEUS, ut corde seu animo agnoscamus, verùm etiam sermone proferamus, tum ut nos ipsos ibi nostræ indigentiæ, hîc verò summæ & variæ DEI beneficentiæ in recensione commnefaciamus, sicut & alios, qvando enarramus in precatione, qvæ desideramus, in gratiarum actione, qvæ accepimus.

III. Loc. Commun.

UT Moses cupiens DEUM videre, tantùm potuit cernere ejus posteriora Exod. 33, 3. hoc est, qvosdam effectus, & audire, qvænam ejus attributa, Exod. 34. sic etiam multò magis nos, qvibuscum DEUS ita

non loqvitur ore ad os, & ut amicus cum amico Exod. 33, 11. non Dei essentiam aut beatitudinem hîc deprædicare possumus, tantùm aliqvid balbutimus de potentiâ & misericordiâ. Vide de hâc Psal. 89, 1. & 103. de illâ verò in hoc Psalmo agitur, & cernitur in rerum gubernatione ac providentiâ, qvæ elucet, vel in malis tandem puniendis, vel bonis mirabiliter custodiendis; sicut exempla testantur antidiluvianorum & Noachi, Sodomitarum & Lothi, Pharaonis Ægyptiorumqꝫ ac Israelitarum, Goliathi & Davidis, Sennacheribi & Hiskiæ, ut meritò hæc sint ejus attributa ac nomina אֵל, שַׁדַּי, παντοκράτωρ.

IV. Loc. Commun.

ET rectè, qvicqvid verè est Jehovæ, & in eo, Jehova ipse est, qvod reqvirit summa ejus simplicitas. Potentia itaqꝫ Jehovæ seu rectiùs omnipotentia à DEO ipso non differt, licet nos aliter atqꝫ aliter hæc concipiamus, & in effectis distinguamus. Unde etiam in ejus definitione omnia ejus attributa ponuntur, ut indicetur essentialia illa esse, imò ipsam essentiam.

V. Loc. Commun.

MAgna pars Christianismi est, alios de DEO erudire, unde Poëta: *ut qꝫ alios alii &c.* Qvod potissimùm de magnis urbibus dictum putemus, in qvâ tamen proh dolor, dicente Lipsio, sicut in mare flumina, sic confluunt vitia, & sæpiùs qvod dolendum in plateis execrationes, qvàm laudationes Dei faciunt multi, ut audiantur. Qvantoperè verò hoc Deo displiceat, videri potest Amos 6, 10. ubi dicit, peste plerosqꝫ esse abreptos, qvia nolebant commemorare nomen Jehovæ. Hoc igitur cum Samaritano servemus, & servabimur fide nostrâ.

SECUNDA PARS.

ITa enim jam seqvitur, *beatitudines* אַשְׁרֵי omnigenæ, hujus & futuræ vitæ, animæ, corporis & fortunarum, qvantum DEUS prodesse novit, Psal. 1, 1 sc. sunt illis, שֹׁמְרֵי *servantibus*, ut ita dicam ex vocabulo hebræo, Samaritanis, *hoc judicium*, hanc rationem & modum in superiori parte descriptum, nempe corde agnoscendi, & ore prædicandi nominis divini. Vox enim Hebræa מִשְׁפָּט, generalis est, & jus qvodcunqꝫ morem, ritum, modum qvoqꝫ denotat, ita tamen, ut semper

per fiat respectus ad summi judicis præceptum, ad qvod jure omnia facta, dicta & cogitata sunt examinanda, qvemadmodum hoc loco recurrendum est ad DEI illam vocem in Psal.50,15. Liberabo te, & tu glorificabis me. Infelices igitur, qvi illud non servant; siqvidem DEI iram promerentur. Contrà autem felix est unusqvisq; (id videtur omninò innuere mutatio numeri in textu Hebræo, qvam tamen Lutherus, aliiq; nonnulli interpretes non observant, cùm res eodem ferè redeat, qvòd ad sensum: tantùm hoc est discriminis, qvòd in membro priori sit generalis præmii explicatio, hìc autem specialis qvædam applicatio in textu authentico, qvæ ob linguæ alterius idiotismum non tam facilè potest servari) faciens seu *exercens justitiam*, illi DEI de gratitudine declarandâ præcepto obediens, proximumq; suum diligens, ut phrasis hæc potissimùm accipitur *omni tempore*, tam fortunæ secundæ, qvàm adversæ, ut David suo exemplo ostendit Psal.34,2.

I. Loc. Commun.

BEatitudo vera cùm sit divinum bonum, nullis nisi DEI filiis obtingit, & hominibus tantùm post lapsum per Christum in gratiam adoptatis Joh.1,12. à qvibus tamen hoc DEUS Pater reqvirit, ut ipsum filiali metu observent Mal.1,6. qvod qvi non faciunt, beati esse neqveunt. Verùm ob neqvitiam DEUS etiam illos, qvos pro filiis suscepit, iterum rejicit à se, qvia mali apud eum neqveunt commorari Psal.5. Si David suos filios morigeros constituit præfectos, primariosq; administros, qvi essent à latere Regis 2.Sam.8,18. 1.Chron.18,17. Absolonem autem, malè se gerentem, in exilium ire cogebat, 2. Sam.13,37. 38. qvantò magis DEUS justissimus terræ judex honorat se honorantes? 1.Sam.2,30.

II. Loc. Comm.

NOn sufficit benè cæpisse, nisi qvis perseveret Matth.10,22. unde dicit Psaltes, servantibus dari beatitudinem, & sub finem versus, in omni tempore. Vide Judam Christi discipulum, & alios, de qvibus Joh.6,66. Mementote itaq; uxoris Loth, clamat Salvator Luc.17,32. Israëlitæ ex Ægypto educti contra DEUM peccantes, in deserto prosternebantur, nec in terram promissam introducebantur 1.Cor.10,5. idq; scriptum, ut nos inde exemplum capiamus v.6. qvi per baptismum ex regno Satanæ sumus liberati.

III. Loc. Commun.

SIcut omne est peccatum, qvicqvid aberrat à lege Dei, 1. Joh.3,4. Sic id tantùm est rectè & benè factum, qvicqvid cum lege Dei congruit, tanqvam cum normâ Phil.3,16. & si qvi juxta hunc canonem incedunt, super eos pax & misericordia Gal.6,16.

IV. Loc. Comm.

QVi erga DEUM verè pius est, etiam erga proximum est benevolus, Matth.18. & utriq; suum tribuit: hoc qvi fecerit, non tantùm in montem Jehovæ conscendet Psal.15. verùm etiam in illâ domo Dei, seu cœlesti patriâ manebit, qvamdiu longa erunt tempora, Psal.23,6. Deus, fac, hîc simus tibi pietate grati, ut olim tecum in æternâ felicitate simus beati, Amen.

DOMINICA XV. POST TRINITATIS.

Psal.36,7.8.

QVum Israëlitæ ad DEUM suum se recipiebant, Mosis promissis persuasi; ipse mirabiliter eos eduxit, ut aqvæ ab utrâq; parte starent velut murus; Ægyptios autem abyssus absorberet: qvomodo Israëlitæ cum suis liberis & pecoribus (hæc enim etiam educebantur ex Ægypto Exod.10,26. & 12,38.) salvabantur. Exod.14. & 15. Hoc ipsum qvomodo DEUS ordinariè semper faciat, qvòd ibi extraordinariè semel fecit, declarat & David Psal.36. & Salvator Matth.6. Plantas enim & animalia qvomodo Deus curet, alat, & tueatur, nobis hîc considerandum proponit, & ut hinc ad DEI providentiam respicere discamus, monet: imò ut primùm omnium ad Deum confugiamus, ejusqve regnũ qværamus, severè hortatur. Ille verò justitiam Dei instar montium seu murorum stare, & judicia esse instar abyssi asserit, & hinc id omnium optimum esse concludit, ut homines ad umbram alarum Dei confugiant malis pressi. Hoc igitur dictum Psalmistæ, hodierni Evangelii velut summam, placet paucis exponere: Partes erunt duæ.

I. *Qvæ DEI de hominibus providentia.*

II. *Qvæ hominis in DEUM confidentia.*

DEUS qvamvis montes recedant, & colles dimoveantur, tamen qvia benignitas tua non recedit, nec fœdus pacis tuæ dimovetur Esa. 54,10.

54,10. non timemus: qvia tu receptus es nobis, robur, & auxilium in angustiis præsentissimum Psal. 46,2.3.4. & qvia exaudis orationem, ad te usq; omnis caro ventura est, Psal. 65,3. da nobis nosse te & nos, nostram infirmitatem & tuam majestatem ac potestatem, nostram indigentiam & tuam benivolentiam ac potentiam. Hæc enim radix est immortalitatis. Sap. 15,3.

PRIMA PARS.

GEntium Apostolus optat suis Ephesiis cap. 3. v. 17.18. det illis Deus, ut Christus per fidem habitet in cordibus ipsorum, & ita ipsi possint comprehendere, pro hujus vitæ modo & ingenii humani modulo, qvæ latitudo, longitudo, profunditas & altitudo nempè dilectionis DEI erga genus humanum, qvod psaltes aliqvo modo adumbrat Psal. 103, 11.12.13. & Spiritus sanctus nobis condescendens hîc Metaphoricis qvibusdam comparationibus declarat. Qvid enim cœlis altius? qvid abysso profundius? Utrobiq; tamen se satis exerit Dei benignitas, eaq; justitiâ summâ ita temperata, ut nullum hominis ingenium id qveat comprehendere. Nam ô Jehova, *justitia tua*, qvâ omnia rectè administras in terrâ Psal. 67, 5. est *instar montium Dei fortis*, hoc est, maximorum & firmissimorum. Confer Psal. 125. vers. 1. & Lutheri marginale hoc loco (Hebræi enim omnia magna & præclara voce Dei appellant, ut declaratum est Jon. cap. 3. vers. 4. & de hoc loqvendi modo videndus Buxtorf. Thes. l. 2. cap. 3. reg. 1. usu 2. pag. 330.331.) *& judicia tua instar* (כ enim similitudinis particula, qvæ aliàs sæpè deficit apud Hebræos, hîc ex idiotismo linguæ, ubi particula ab initio posita plerumq; in seqventia ejusdem materiæ membra trahitur, ut in dicto præcedenti vidimus, & Psal. 3,2. declaratum est, unde Lutherus rectissimè repetit, vnnd dein Recht wie grosse Tieffe) *abyssi magnæ* qvæ ob magnam aqvæ copiam sola potest videri, & esse instar multarum, qvod notat vox hebræa רַבָּה תְּהוֹם h. l. posita, sed ita, ut simul notetur magnitudo qvantitatis continuæ & discretæ. Qvænam verò illa justitia, & qvæ ista divina judicia, qvibus se Deum declarat? aliàs qvidem sunt severitatis, sed non nisi qvando homines sunt planè corrigi nescii; at plerumq; & maximè conspicua illa bonitatis, qvâ creaturis tuis immerentibus, indignis, imò etiam sæpè immorigeris consulis, ô Deus, *hominem & jumentum* omne

& sin-

& singula individua *salvas* & conservas *Jehova*, illisq; de rebus ad vitam necessariis abundè prospicis, ut vivant ex beneplacito Psal.145,16.

I. Loc. Commun.

IN templo Salomonis duæ magnæ columnæ erant erectæ, illæq; firmissimæ 1.Reg.7,21. in Ecclesiâ duo DEI attributa maximè elucent, nempè justitia & misericordia, eaq; ut semper consideremus, monemur: sive enim peccaturi sumus, absterrebit nos illa & sustentabit ne prolabamur; qvando peccaverimus, hæc nos eriget lapsos, ne desperemus. Stet igitur justitia DEI semper in oculis nostris, qvoties montem videmus, ut ita pœnam, qvam illa peccatoribus decernit, evitemus.

II. Loc. Comm.

QVando autem de justitiâ ipsâ non cogitamus, cogitemus saltem de judiciis Dei, qvæ qvotidiè ob oculos versantur, qvæq; qvum consideramus, & rationem in multis nescimus, sunt nobis instar abyssi & profunditatis Rom.11,3. vide D.Hun. in lib.de prædestin. ad h. l.

III. Loc. Comm.

DEUS non homines tantùm, sed etiam animalia curat: & homines non modo bonos; verùm etiam malos, qvos sustentat, variisq; beneficiis affectos ad pœnitentiam invitat, frena etiam iis injicit, metasq; constituit, ubi planè ejus dicto non sunt audientes: idq;, ut, si convertantur, eos qvoq; qvos perire non vult, salvet. Id est, qvod ita in genere positum in textu hebræo legimus אָדָם תּוֹשִׁיעַ: qvemadmodum hunc providentiæ & beneficentiæ Dei usum Apostolus monstrat Act.14, 17. & 17,26.28. & sanè infinita sunt Dei in hominem collata beneficia in vitæ ingressu, progressu, egressu. Animalia autem qvomodo curet terrestria, tàm cicurata, qvàm fera; volucres & pisces, aliunde peti potest, nos brevitati studentes ad secundam partem pergimus.

Secunda Pars.

DE Israëlitis, unde suprà fuit ductum exordium, legimus, qvòd, ubi viderint opus illud maximũ, qvod edidit Jehova contra Ægyptios, crediderint Jehovæ, & Mosi servo ejus Exod.14,31. Nos igitur, in qvorum doctrinam illa sunt scripta, qvoniam qvotidiè judicia DEI mirabilia

bilia in bonis protegendis, malis perdendis videmus & audimus, meritò hinc fiduciam illam concipimus, fore, ut qvi alios é periculis eruit, nos qvoq; eripiat. Hinc psaltes exclamat per admirationem *qvàm*, vide Psal.8-2. *preciosa* & cara (qvod videtur ex Hebræo יְקָר per Apheresin formatum) est *misericordia*, bonitas, & benignitas *tua*, ô æterna Caritas 1. Joh. 4,16. & qvanti æstimanda! ô *Deus* terræ judex & gubernator, qvod אֱלֹהִים denotat, unde etiam judicibus aliisq; gubernatoribus tribuitur. Vide Psal.4,2. Verùm multi parvi faciunt, nescientes rem tantam æqvâ mentis lance ponderare, tum verò demum hoc cognoscitur, *qvando filii hominum* (אָדָם etiam plebejorum, vide qvæ dicta sunt in Psal.1,1. & 4,3. & 8,5.) *ad umbram alarum tuarum* (qvibus notatur protectio Psal.91,1. 2.) se recipiunt tanqvam ad asylum, & qvando eò pervenerunt, tuti conqviescunt & *confidunt*, qvæ est verbi חָסָה ἔμφασις Psal.2,21. declarata, h.l. hoc conseqvens notari, indicat in textu hebræo constructio.

I. Loc. Comm.

MOses ante mortem eminus terram sanctam contemplatus Deuter. 32,49. cominus eam videre, & singula ejus bona oculis usurpare non poterat: ita nos, dum morti adhuc debemur, parum de magnitudine bonitatis divinæ intelligimus; olim autem, ubi videbimus eum sicuti est, sciemus qvòd sit ipsa caritas. Interea ad Psalmistæ exemplum sit illa nobis in precio.

II. Loc. Commun.

QVod piorum summum votum est, ut se benignitas & justitia oscu-lentur Psal.85. id in Deo solo assequimur, qvi ita bonus est, ut justus esse non desinat, & vice versâ, qvod contra Photinianos notandum, qvi DEUM ita esse misericordem asserunt, ut non ampliùs sit justus, qvando negant Christi meritum, & peccata absoluto qvodam Dei amore & potentiâ posse remitti ajunt. Non ita, qvoties DEUS in scripturâ appellatur אֱלֹהִים (fit autem hoc innumeris in locis) toties justissimè eum judicare concludimus, nec peccatorem, nisi ipsi satisfactum sit, ullo modo absolvere.

III. Loc. Comm.

AD Davidem se recipiebant, qvotqvot erant malis pressi 1. Sam. 22.

rectiùs & tutius ad Deum, qvi ad se confugientes fovet, ut gallina suos pullos, Matth.23. fit autem hoc fide in Deum certâ, qvâ nobis patet per Christum aditus Eph.3,12. & hæc est causa, cur multi homines æternum pereant, qvia qvum pretiosa sit & multa Dei benignitas omnibusqve oblata, illi eam spernunt, velut rem vilissimam. Roman.2,4. & non secus atq; generi Lothi nolentes ab Angelo educi, cum reliqvis Sodomitis peribant æterno igne cruciantur, contra verò ut à Deo Israëlitæ in columna ignis & nubis salvi in terram promissam deducebantur, ita & pii sub umbra alarum Dei, ejusq; protectione securi ex hujus miseriæ valle in æternæ gloriæ collem conscendunt.

Salvator mundi cunctis qvi cuncta ministras
Dum mens corporeo carcere vincta latet,
Da fugiam nunc Christe tuis mala cuncta sub alis,
Et teneam regni post bona cuncta tui, Amen.

DOMINICA XVI. POST TRINITATIS.

Psal. 68, 21.

DAvid conflicturus cum horrendo Goliatho ubi in medium processit, hoc se potissimùm fretum tantum duellum suscepisse dicit, qvod veniat in nomine Jehovæ exercituum, Dei acierum Israëlitarum, deinde lapide, qvem ex torrente sibi sumpserat, ejus caput diminuit 1.Sam.17, Christus Patri dilectissimus filius Ephes.1,6. est ille Angelus fœderis Mal.3. in qvo est nomen Jehovæ Exod 23,20.21. qviq; est Dominus exercituum Psal.24. & Rex suæ Ecclesiæ Psal.2. cum morte cruentum iniit bellum, & moriendo eam vincit Gen.3. Hos.13. qvæ est omnium maximè terribilis, teste Philosopho, dum ipse lapis refugii 1.Petr.2,6.7. qvi de torrente in via bibit Psalm.110. caput ejus contrivit & spolium ejus ipsi abstulit, in statu exinanitionis tres in vitam revocans, & olim vivificans tandem omnes Joh.5. cujus rei exemplum, qvoniam in Evangelio Luc.7. proponitur, meritò nobis Psalmistæ 1.Corint.15. dictum generale ex Psal.68,21. in memoriam revocamus & ruminamur. Parteserunt duæ.

I. Qvæ

I. *Qvæ sit Jehovæ erga nos benevolentia:*
II. *Qvæ ejusdem in omnia potentia.*

Domine in hâc vitâ multæ nos angunt calamitates, tibi autem sunt multæ salutes Psal.3. & 116. fac post hanc vitam ex morte in vitam transeamus Johan.5,24. dum te ducem vitæ Act.3. & lucem mundi Joh. 8,12. seqvimur.

PRIMA PARS.

GIdeonem qvando ducem & liberatorem populi sui Angelus Jehovæ increatus constituit, his verbis eum affatur : Jehova est tecum valentissime robore, virtute illâ tuâ & servabis Israelem è manu Midianitarum Jud. 6. vers.12.14.16. Christus θεὸν Ἰεωμος, verus Jehova, qvi, cum DEUS est, Confer Actor. 10, 38. 2. Corinth. 5,19. & DEUS fortis Esa. 9. Rex potens in bello Psal. 24. virtute sua se fulcivit, & suos à manu hostium liberavit Esai. 63. hoc est, potestate Diabolorum damnatorum. Videantur hæc loca Hebr.2,14. 2.Petr. 2,4. Epistola Judæ vers.6. Qvod si verò DEUS omnes hostes hujus pedibus subjecit. Psalm.110. etiam ultimus hostis mors per eum aboletur, 1.Corinth.15,26. Qvemadmodum docuit nos ibidem argumentari Apostolus, hoc probavit hic heros & geminæ substantiæ gigas, qvando Jairi filiam in ædibus, filium viduæ Nainiticæ in via, Lazarum in sepulchro conditum ex faucibus orci eripuit, & reduces in vitam fecit, & qvando ipse mortem vincens jam moriturus multos sanctos ex sepulchris produxit, Matth 27,52.53. Qvod verò hodiè etiam eadem erga nos sit benevolâ voluntate, & si non ante extremum diem ex morte ipsa in vitam revocat mortuos : qvotidiè tamen ex variis mortis periculis & calamitatibus 2.Corinth.11,23.nos eruat, psaltes prædicat hoc loco vers.5. præcedente 20. Benedictus inqvit, sit Dominus ille summus ter opt. max. die, die id est, singulis diebus, seu qvotidiè ac qvoties, ac qvamdiu dies oritur. (Ratio est, qvia ille pro paterno suo in nos affectu, qvo non vult, nos cum mundo perire, 1.Cor.11,32.Prov.3. Hebr.12.) onerat nos aliqva afflictione & miseriâ ille

DEUS fortis, sed tamen vicissim est nostra salus, qvod probè considerandum, innuente particulâ Sela: qvomodo longè melius & verborum Emphasis cum Luthero vertente, GOtt legt vns eine Last auff / aber Er hilfft vns auch Sela/ servatur ac sententia exprimitur, qvâm si cum Junio vertas; DEUS qvotidiè onerat nos donis, ubi in textu hebræo, sicut etiam in toto dicto seqventi elegans est ὁμοιοπτέλευτον, qvod in aliis linguis ac versionibus non potest observari. Qvæ igitur est DEI in nos mens? qvæ de nobis sententia? an ut absoluto qvodam decreto condemnet? non ita, ne periret genus humanum, misit, ac pro eo in mortem tradidit unigenitum filium, DEUS *ille fortis nobis est*, nobiscum noster frater factus, pro nobis, apud nos, atqve adeo עִמָּנוּאֵל Esa.7. qvod alibi prolixè declaratum, & hoc loco dicitur הָאֵל לָנוּ. Sed DEUS etiam est ignis consumens: verùm non placatus per filium, & qvando Salvator mundi Luc.2. non interceſſit. Ubi autem ille est, ibi est summa εὐδοκία ἐν ἀνθρώποις Luc.2,14. אֵל לִמוֹשָׁעוֹת DEUS *ad salutes*, hoc est, salutem omnimodam. Ille est Jesus Matth. 21. Vnd an Jhm haben wir einen GOTT der da hilffe/ ja bey dem Leben / Heyl vnd Seligkeit ist/ ut in brevi qvodam Paschali, sed satis bono cantico jubilamus, JEsus Christus vnser Heyland / qvod ex hoc dicto maximam partem est compositum.

I. Loc. Commun.

DEVS est ille, qvi percutit & obligat Hos.6. qvi deducit ad inferos ac reducit 1.Sam.2. Proinde qvicqvid rerum adversarum vel secundarum tibi obvenit, ô homo: huc omne principium, huc refer exitum, in malis roga, ut te eripiat, in bonis ut te porrò inoffenso pede progredi faciat. Notetur id contra multos nostratium, qvi, si qvid calamitatis obtigit, tantùm ad Diabolum & malos homines id referunt; verùm si Deus non permittit, nemo qvisqvam tibi nocebit, juxta illud nostrum Saxonicum, So Gott nich will geſtaden/ Kan di nemand wat ſchaden. Hinc Jobus DEUM abstulisse dicit sua bona cap.1. David Simei maledicta pœnam à DEI decretam interpretatur.

II. Loc. Commun.

ISraëlitæ pressi, in arcâ propitiatorii omne suum refugium habebant repositum, 2.Sam.4. Nos ad illum, qvem DEUS Pater nobis proposuit

fuit ἱλαστήριον Rom. 3, 25. in omnibus adversitatibus confugimus: qvia est Deus fortis, juvare valet; qvia est nobis, ac pro nobis Rom. 8. juvare volet. Qvod igitur omnes tribus Israëlis dicunt Davidi; Ecce nos, os tuum & caro tua sumus, tibi dixit Jehova, tu pasturus es populum meũ Israëlem 2. Sam. 5, 1. 2. non malè ad Christum verum Davidem accommodamus, Mich. 5, 6. ipsiq; vias nostras commendamus Psa. 37. & 55.

III. Loc. Comm.

OMnes Hebræorum filii morti erant destinati à Tyranno: at Moses à filiâ ejus adoptatus non tantùm vitâ donabatur, verùm etiam splendidè educabatur Exod. 2. Hebr. 11. Qvod si tam crudelis Rex eum, qvem morti devoverat, in vivis conservat, ob filiæ preces; qvantò magis DEUS Pater filium suum pro nobis satisfacientem, & pro nobis semper intercedentem, exaudiet, nobisq; ob illum benefaciet, ac filiorum ac hæredum suorum loco suscipiet? Ille enim Jesus ubi vivit in corde hominis Christiani Galat. 2, 20. ibi salus omnimoda & hujus & futuræ vitæ adest; siqvidem non gerit nomen sine omine, nec titulos vanos sine re, ut nonnunqvam fit à magnatibus hujus mundi. Hic est, qvi Adamum & Evam consternatos πρωτευαγγελίῳ erexit, Noachum servavit, Jacobum eripuit, Mosen vocavit ac miraculis instruxit, Israëlitas eduxit, Gideonem armavit, Simsonem robore, Salomonem sapientiâ, Davidem victoriâ donavit: qvia is solus est, per qvem Reges regnant, & cujus est consilium Prov. 8. ut meritò ei des nominis hujus honorem אֵל לְמוֹשָׁעוֹת omne enim auxilium ac salus vera per ac propter eum. Hic genus humanum creavit, liberavit, ad regnum suum vocavit & immortalitate donabit, qvemadmodum ipse jam vivit æternùm, nec mors ei amplius dominatur Rom. 6. Joh. 17. 1. Cor. 15. hâc de re in parte secundâ.

SECUNDA PARS.

SIc enim multi ex infirmitate cogitant, atqvi moriendum nobis est, & *Ire tamen restat, Numa qvò devenit & Ancus;*

qvid igitur nobis, qvi Christo adhæremus, prærogativæ relinqvitur? sanè multum: qvia sicut ille ex mortuis resurrexit, ita & nos in morte non manebimus 1. Corinth. 15. *qvia Deo illi trino & uni* לַיהוָה אֲדֹנָי

qvorum hujus puncta personarum pluralitatem, illud essentiæ unitatem denotat) *Domino nostro contra ipsam mortem* לַמָּוֶת sunt *exitus* Wir haben den HErrn HErrn der vom Tode errettet/ qvia ut mors ipsum jam peracto redemptionis opere tenere non poterat; sic neq; nos illâ æternùm detinebimur, qvid igitur trepidamus ut gentes, qvæ spem non habent. 1. Thess. 4, 13.

I. Loc. Comm.

OPera ad extra totius Sacrosanctæ Trinitatis sunt communia servato tamen ordine & personarum proprietate.

II. Loc. Comm.

TRinitatis mysterium in Veteri Testamento fuit obscurius traditum in novo clarius longè & dilucidius.

III. Loc. Comm.

SI modò nos sumus fideles DEI servi, is nos nunqvam deseret, neqve tum qvando per vallem umbræ lethalis ambulamus Psalm. 23. ut suo exemplo Simeon & Stephanus ostendunt. Non enim est Deus ac Dominus mortuorum sed viventium Luc. 20.

IV. Loc. Comm.

QVi Christum vitam ipsam Johan. 14. fide in se habent habitantem, ejusq; carnem vivam in Sacramento Cœnæ ederunt; ac aqvam vitæ biberunt, æternâ morte perire neqveunt Joh. 4, 6. 8.

V. Loc. Comm.

FUerunt etiam apud Gentes viri fortes, qviq; se pro salute aliorum devoverunt, ut Curtius, Decius, Codrus, Regulus: verùm mortem poterant oppetere, at non effugere, qvum libebat: Noster verò Salvator, ut alter Simson, portas inferni, illæ ubi eum detinere cupiebant, effregit, & redivivus victor triumphavit, ut nos discamus esse ipsi exitus contra ipsam mortem Johan. 11, 25. Si autem contra mortem; qvidni contra alia minora mala?

Jure igitur bone Christe tuos celebramus honores,
Oceani qvoties sol novus exit aqvis.
Affligis nos afflictos solaris amicè, &
Qvando malis oneras mox maladamna levas,
Unicus es nostræ portus, columenq; salutis,
Nam stas à nostris partibus Immanuel,

Nos

Nos, qvam victi, salvos ex morte reducis,
Cunctis dextra DEI, sufficit una malis.

DOMINICA XVII. POST TRINITATIS.

Psal.55,22.23.

BAlak qvando vi & armis Israelitarum copiis resistere non poterat, de consilio Bileami blandis puellarum sermonibus ad sacrificia invitatos corrupit, multisq; exitio fuit: si qvi verò Deo suo adhærebant, salvi & illæsi evadebant, Num.24,14. & 25,1.2. & 31,16. Apocal.2,14. Eodem modo hodiè etiamnum Diabolus æterno exitio destinatus, ut illi Midianitæ exscindendi, & jam condemnatus, cum suis organis si qvò non pertingit pellis leonina, vulpinam assumit, & plures blanditiis, qvàm austeritate, plures fictâ benevolentiâ, qvàm truculentiâ perdit, dum velut serpens & draco obrepit Apoc.12,9. seq; in Angelum lucis transformat exteriùs, suosq; ministros idem facere docet 2. Cor.11,13. 14.15. Proinde qvisqvis tibi rectè cupis consulere, *nimium ne credr colori; fistula dulce canit volucrem dum decipit auceps* Psal.91,3. imitare Christum, qvi à Pharisæis sub magnæ benevolentiæ specie ad convivium invitatur, sed exitio ac morti destinatur. Eadem autem fortuna præcipuè in hoc exulceratissimo seculo, omnes Christianos manet: ideoq; diligenter meditentur semper, qvæ David varia expertus, proponit Psal.55, 22.23. nimirum hæc duo.

I. *Pessimum hominis consilium.*
II. *Certissimum Dei auxilium.*

Deus, qvum verax defecit, Psal.12. & omnis homo mendax Psal. 116. ad tuam veritatem immotam confugimus, teq; rogamus, ut in tantâ perversitate nos custodias Psal.25. & 41. ut possimus mali Spiritus, organorum eludere & effugere μεθοδείας Eph.6,11.

PRIMA PARS.

QVemadmodum Diabolus ipse per amicũ fallere nomen voluit protoplastos Gen.3. Judas Christum Matth.26. sic eadem fabula semper agitur, idq; in Saule expertus est David, & filio suo Absolone: ideoq; sub illorũ persona omnes hypocritas dolosos ac fraudulentos hìc describit, & egregiè hodiernos qvosdã simulatores, qvi se vocant Politicos, depingit. Fons mali tanti est nõ timẽt Deũ v.20. frangunt promissa fideq; v.21.

cu-

cujus unicujusq; (nam unum noris, omnes noveris: adeò similia omnia neq; declinantem qvicqvam ab aliorum ingenio ullum reperias) *blanda sunt* & à corde multùm diversa (qvod utrumq; notat verbum hebræum חָלְקוּ) *butyrina verba oris*, qvod tamen ad emphasin exprimendam, & obseqventem constructionem Lutherus cum Kimchi meliùs vertit, Ihr Mund ist gletter denn Butter/ sie können gar gelinde vnd schmeidige Wort geben / ita ut sit מ præfixum habens - pro ·· , *at bellum* וּקְרָב conflictus, daß sie einem können in die Wolle kommen/ à קָרַב appropinqvavit, est *animus ejus*, nil aliud cogitat, qvàm qvomodo possit nocere per vim & injuriam apertam, veruntamen sub aliqvo prætextu, *molliora sunt verba ejus oleo*: qvæ tamen si penitiùs introspicias, sunt stricti gladii, nec aliter lædunt atq; illi, si pertingunt ad corpus, sic hæc, si demittantur, vel admittantur in animum, hoc est, eis fides adhibeatur. Nam si qvis sibi ab illis rectè cavet, minus nocent, ut si qvis ictum gladii declinet. Cum qvibus omnibus confer ea, qvæ leguntur Psal. 52, 4. Jerem. 9, 3. 4. 5. 8. verbaq; ipsa probè expendas.

I. Loc. Comm.

UT principium omnis veræ sapientiæ est timor Domini (qvæ sententia ut semper teneatur, ac diligenter observetur, sæpiùs in sacris literis repetita legitur Job. 28, 28. Psal. 111, 20. Prov. 1, 7. & 9, 10. Eccles. 12, 15. Esa. 33, 6. Syr. 1, 13. 20.) ita omnis malitiæ & stultitiæ spiritualis fons & origo est, non timere DEUM, Psal. 14, 1. 2. & 36, 2. Qvi enim metuit DEUM bonum, seqvitur, qvod illi ter Opt. Max. præcipit; & malum vitat, qvod ille odit ac prohibet. Vide, David in suâ aulâ non ferebat dolosum & malum, Psal. 101. & DEUS à suo monte eos arcet Psal. 15.

II. Loc. Comm.

HOccine verò est humanum factum, hoccine credibile est aut memorabile, tanta vecordia innata cuiqvam ut sit, ut more serpentis antiqvi oculis & dictis qvispiam adblandiatur, caudâ vero, hoc est, latente veneno, technis, atq; artibus perditum eat? Imò id genus hominũ est pessimum, qvi neqve secum neq; cum aliis concordant. Ipsi enim loqvuntur ore aliud, tacitoq; aliud sub pectore volvunt, & cum se bonos simulant, sunt pessimi, more Joabi; qvando barbam mulcent, & ferunt osculum, lethale aliis imminet periculum 2. Sam. 20. dicunt blandien-

dientes cum Judâ, Ave, sed tu qvisqvis es, tibi cave. Simsonis vulpes capita in diversa ferentes, caudis ignem & incendium apportabant, Judic.15. sic isti vafri simulatores more Protei in varias formas se convertentes, in fine dant damnum & malum, sicut & Simsoni sua Delila, qvicum rectè tales fraudulentos compares, qvi spirant merum amorem ac honorem, interim hoc agunt, ut aliis parent miseriam & dolorem. Propterea diligenter notandum, qvòd Psaltes dicat, tantùm os eorum & verba esse blanda, tantùm in summis labris nata, nunqvam ex sincero corde profecta. Philistæorum, qvi qvàm maximè semper læsisse populum Dei leguntur, qviqve erant hujus vicini, idolon erat Dagon, qvòd superiùs faciem humanam, & brachia cum manibus & pectore toto referebat, inferior verò pars piscem (qvi hebræis דָּג dicitur, unde nomen accepit) exprimebat sine capite Jud.16,23.1.Sam.5, 3.4. Sic etiam nulli Tyranni suis minis, nulli alii suis blandimentis aut illecebris tam nocent piis, qvàm hi, qvi externo DEI cultu ad Christianos veros accedunt, ac virtuosa non agunt, sed fingunt tantùm, qviq; similes isti Dagoni, qvum facie & gestibus amicitiam, voce benivolentiam, manibus auxilia præ se ferant, sed qvod retrò est, occultant, sicut pisces caudam sub aqvis condunt. Qvis verò tam perspicax, ut hos deprehendat? Tu Domine καρδιογνῶστα Act.1. nosti cogitationes malas Matth.9. Joh.2. Tu scrutaris abyssos, tu Domine hos bilingues & dolosos tolle aculeis ac hamis piscatoriis Amos 4,2. has anguillas lubricas conclude. Nos verò hæc, qvoties butyrum comedimus, nobis in memoriam revocemus: Scriptura ab eo similitudinem voluit deducere. Tum meritò nobis subjicimus, qvod est apud Micheam cap.7,2. qvodq; à Christo ipso ad tempus Novi Testamenti & Evangelii revelati refertur Matth.10,34. rectus in hominibus nullus est; qvotqvot sunt ad cædes insidiantur, qvisq; fratrem suum venatur plagis; optimus istorum similis est spinæ &c. ne credamus amico.

III. Loc. Comm.

IMprobo nunqvam est pax, dicente Prophetâ Esa.57,25. & 48,22. non tantùm cum DEO Rom.5,1. verùm etiam cum proximo Psal.120,7. qvia est osor pacis, ibid.v.6. & velut mare expellit cœnum & lutum, ita omnis generis mala ex sentinâ cordis improbi eructant. Confer Esa.

57,24. Matth. 15,19. Et hi sunt velut Ismaël, cujus manus contra omnes, & omnium manus contra ipsum Genes. 16,12. Confer, Gal. 4,29.30.

IV. Loc. Commun.

OLeo inungebantur olim Sacerdotes, Reges, Prophetæ, atq; omnia vasa ad usum tabernaculi destinata, qvæ omnia fuère typi venturi Messiæ, qvi ab ungendo nomen habet Ps. 45. ab hoc verò iterum suum titulum accipiunt Christiani Act. 11. possumus igitur & hæc verba ita ad nostrum usum accommodare, qvòd se tales hypocritæ Christianos qvàm maximè simulent, & qvòd plerumq; sit *religio velum, qvod tegit omne scelus.* Qvid si etiam hoc dicamus, sicut butyrum intus corpus fovet ac nutrit, oleum verò id ipsum curat ac juvat exterius, qvod ita isti neqvam & cogitatis & dictis, & factis & gestibus magnam præ se ferant probitatem, verùm intus sint pleni doli, sicut à Salvatore conferuntur sepulchris dealbatis Matth. 23. Hinc jam vides, ô homo, qvàm periculosum sit, per hujus vitæ mare currere. qvando

Sirenum cantus & Circes pocula nosti,

qvando Syllam & Charybdin describi audis, nec tamen qvomodo evites, aut saltem rectè pernoscas, habes:

Sursum oculos, dubiis ne te trahat error, in istis,
Sit Dux Jova tibi, fit Cynosura DEUS.

Hâ de re in parte secundâ.

SECUNDA PARS.

MAter Augustini Monica audiens DEI φιλανθρωπίαν explicari, clarâ voce exclamasse dicitur, Evolemus hinc! Nimirum vidit ac Perpendit hominum & temporum πονηρίαν: nos illam in corpore mortali hoc hærentes affectu imitemur, & cùm nondum sine jussu summi Imperatoris hinc liceat discedere, ad Deum velut tutissimum asylum in adversis confugiamus Ps. 25,1. Idipsum jam porrò Psalmista exponit: ubi iterum duo illa notanda qvæ hominis pii confidentia, qvæ numinis summi providentia. *Projice* & qvidem cum impetu הַשְׁלֵךְ ac velut pertæsus, qvum non sis ferendo ulterius vide Ps. 2,3. cum fiduciâ accedens humeris ipsius Dei impone Esa. 9. projice *super Jehovam* omnipotentem, & *cujus dextra cuncta potest* Psal. 77,11. יְהָבְךָ qvicqvid dat tibi, à Chaldæo verbo יְהַב dedit, tradidit, ut sit, qvicqvid im-

immiserit malorum vel largitus fuerit bonorum ; hoc omne ipsi soli acceptum refer, & ex illius solius nutu ac voluntate tibi obtingere, imò illius manu dari, tibi cogita, ac te semper voluntati Jehovæ promptus subjice ; præcipuè autem ad eum rejice, si qvid tibi deest, per supplicationem (qvemadmodum Græci δέησιν, à δέομαι i.e. indigeo, nominant propriè eam precationem, qvâ nobis dari petimus, & qvibus maximè opus habeamus) & *insta*, ut ab eo tibi detur, qvomodo pleriq; Rabbini explicant cum Kimchi (qvâ de re videantur Lexicographi) & qvia qvi ita anxiè sibi aliqvid dari petit, onus suæ egestatis sentit, & magnâ curâ id, qvod deficit, desiderat, alii vocem hanc Hebræam cum Aben-Esra exponunt curam, onus, Lutherus elegantissimè utrumq; complectitur, qvando vertit, **Wirff dein Anligen auff den HErrn / der wird dich versorgen /** id est יְהוָה יְכַלְכְּלֶךָּ, qvæ verba alibi prolixè sunt explicata. De posteriori vide Frantz. & Exerc Bibl. pag. 180. 181. *ipse sustentabit te*, enutriet te, de necessariis tibi qvoq; prospiciet, nec te etiam unqvam deseret, qvi semper unus & idem manet, de qvo nos canimus in Cantico, ex hoc dicto ac parallelis Psal. 37, 5. Prov. 16, 3. confecto, **Warumb betrübstu dich mein Hertz / &c. Weil du mein GOTT vnnd Vater bist / &c.** Item. **Ach GOTT du bist noch heut so reich** &c. qvia enim alios pios, qvod testantur sacra biblia, hinc inde promptissimè juvit, neqve tibi credenti deerit, *neq; permittet* (ita enim יִתֵּן qvandoq; accipi alibi est Probatum ; nunc inspice saltem Genes. 20, 6. Psal. 16, 10. &c.) *moveri*, malisq; concuti *justum in æternum*, verùm tandem eripiet, Luc. 18, 7. 8. Psal. 91, 15. qvomodo לְעוֹלָם rectiùs cùm Luthero referimus ad verbum מוֹט, qvàm cum Junio ad יִתֵּן, qvasi sit sensus ; non permittet unqvam justo ut dimoveatur, qvod facilè poterat pro illâ fictâ à Calvinianis continuâ, & nunqvam interruptâ sanctorũ perseverantiâ urgeri, cùm tamen contrarium dicta & facta, in sacris literis magno numero consignata testentur. Lutheri versio ita habet, **vnd wird den Gerechten nit ewiglich in Vnruhe lassen /** qvod non tantùm analogum Scripturæ, verùm etiam emphasi verborũ, præcipuè יִתֵּן qvod in illâ significatione notat, tradidit judicariâ potestate. Confer Num. 20, 21. & 21, 23. Gen. 31, 7 Rom. 1. v. 28. & מוֹט optimè respondet, antecedentibus q; ac consequentibus, scopoq; Psalmistæ rectissimè qvadrat, vide saltem generalis hujus dicti applicatione statim in versu seqventi 24. & perpende qvòd Deus

tandem justum faciat judicium, pœnis afficiendo malos, præmiis bonos 2. Thessal. 1, 6. si qvis contrà urget verborum hebræorum seriem, sciat, qvod יָעוֹל modò suo verbo præponatur, modò postponatur. Conferantur nunc saltem hæc loca Psalm 10, 9. & 112, 6. ubi Junius ita commentatur; dimovetur qvidem justus, sed non in perpetuum hæret, dejicitur; calamitatibus: qvod hîc ipsi reponendum.

I. Loc. Comm.

FIdes est fiducia & illa manus, qvæ DEUM invictum vincere potest, & DEO tamen grata hæc vis est; si cui ferendo non es, id in ipsum projicis, qvi portat omnia verbo suo, Hebr. 1, 3. Non abigitur Moses, projiciens in DEUM curam educendi & educandi populi Israelitici: clamore precum aures obtundebat, & qvod opus erat, impetrabat. Preces autem ex fide profectæ, sunt vere velut funda, qvâ omne, qvod nos gravat, in cœlum usq; projicimus, & non secus ac David Goliathum lapide, sic nos anxias perturbationes exsergentes, lapide angulari JESU Christo, fidei manu comprehenso, prosternimus.

Glückselig ist der in der That /
Wer diß werffen gelernet hat/
Aber verworffen ist der Mann/
Der diß hinwerffen nicht wol kan.

D. Petrus ita nos excitat cap. 5, 7. & hunc locum vertit πᾶσαν τὴν μέριμναν ὑμῶν ἐπιῤῥίψαντες ἐπ' αὐτὸν, ὅτι αὐτῷ μέλει περὶ ὑμῶν, Elegans hâc de re extat l. 1. ἀνθολ. cap. 89. epigramma Palladæ.

Εἰ τὰ μέλειν δύνατάι τι μέριμνα, καὶ μελέτω σοι,
Εἰ δὲ μέλει θείοις δαίμονι, σοὶ τί μέλει;
Οὔτε μεριμνήσεις δίχα δαίμονος, ἔστ' ἀμελήσεις,
Ἀλλ' ἵνα σοί μέλῃ, δαίμονι τοῦτο μέλει.

II. Loc. Commun.

AD Jehovam tanqvam ad asylum in omnibus malis confugiendum. Si enim qvi in Veteri Testamento aram prehendebant, à violentiâ suorum adversariorum erant tuti: qvantò magis, qvi ad ἱλαστήριον Novi Testamenti Rom. 3. se recipiunt?

III. Loc.

III. Loc. Commun.

DEUS est is, ex cujus manu & bona & mala, seu res prosperæ & adversæ obveniunt Esa.45,7. Amos 3,6. Eccl.7,14. Mich.1,12. & qvia piis omnia cooperantur in bonum, etiam mala רָעָה degit, & sunt dona parca, Dei. Aug. Et cumblandiris, Pater es, & cùm cædis, Pater es; cædis ne blandiris ne deficiam. Unde crucem rectè conferunt χειμηλίῳ, qvod non nisi dilectis suis det DEUS, qvippe cùm sit sui filii qvædam conformitas Rom.8. Seines lieben Sohns Contrafey.

IV. Loc. Comm.

DEUS solus est, qvi necessaria nobis suppeditat; ideoq; omnia ab illo sunt roganda & expectanda. Vide, qvæ dicta sunt Psal.145,15.16.

V. Loc. Commun.

DE vicissitudine tristitiæ & lætitiæ piorum aliàs sæpè dictum est prolixius; nunc id saltem notetur: *Dabit DEUS his qvoq; finem*; momentum est, & erit æternitas; qvam utinam nos ἐφήμεροι cogitaremus, neq; ita nimis animum ad caduca apponeremus Psal. 62. Qvæcunq; enim sunt humana sive bona sive mala, citò evanescunt; qvod etiam Græcum illud iterum ex ἀνθολ. lib.1 cap.13. monet distichon,

Θνητὰ τὰ τῶν θνητῶν καὶ πάντα παρέρχεται ἡμᾶς,
Ἢν δὲ μὴ, ἀλλ' ἡμεῖς αὐτὰ παρερχόμεθα.

Et *omnia prætereunt, præter amare DEUM.* Hoc igitur ex toto hoc dicto nobis dictum putemus:

Nulli homini fidas, soli confide Jehovæ;
Fallunt Mortales fallere Jona neqvit,
Huic te permittas, & in hunc tua projice; tandem
Dat mala multa malis, dat bona cuncta bonis.

DOMINICA XIIX. POST TRINITATIS.

Jerem.9,23.24.

INter alia per Prophetam Eliam edita & prædicta miracula, non est minimum, qvod qvum ipsius verbo 1.Reg.17,1. per triennium & sex menses nulla pluvia aut ros fuerat in illâ terrâ, tandem repentè ubi

prodiit nubes parva ex mari, sicut vola hominis, ingens pluvia decide-rit 1.Reg.18,44.45. Conferantur loca Luc 4,25. Jacob 5,17.18. & appa-rebit hujus rei dignitas. Qvanqvam verò tale qvid nunqvam ex eo tem-pore contigerit; tamen si velimus & rori Esa.26,19. & pluviæ Devt.32, 2. Esa.55,10.11. non tantùm sacras literas, verùm etiam fidem ipsam, qvæ illâ nititur, comparare; videbimus, qvod, qvemadmodum Elias siccitatem aliqvot annorum præfractis denunciat, ita etiam DEUS de infidelibus dicat, qvod sint fontes 2.Petr.2,17. & nubes aqvâ carentes Epist. Judæ v.12. qvàm primùm autem ex mari benignitatis Dei in ipsorum corde ascendit nubecula, sicut vola hominis (qvcum, qvòd Christum apprehendat, non malè potest conferri) hoc est, vera & salvifica fides, ipsa velut pluvia fæcundans terram bonis operibus se omnis generis virtutibus aliis conspiciendam præbet. vide Luth. in fine argumenti in Epist ad Gal. &, qvæ similitudo est Brentii in Apol. Confess. Wirtemberg. habet velut duas manus, qvarum unam extendit sursum, & apprehendit Christum cum omni suo merito; alteram protendit deorsum ad exercendabona opera. Illâ justificamur; hâc nos esse justificatos testificamur. De utrâq; verò qvum agatur in Evangelio ex Matth.22,34. libet hac occasione explicare dictum Jerem.cap.9,23.24. qvod tanti fecit Spiritus sanctus, ut bis in Novo Testamento ex eo particulam allegare voluerit 1.Cor.1,31. 2.Cor.10,17. Partes sint duæ:

1. *Qvomodo in lege nostram miseriam.*
1. *Qvomodo in Evangelio DEI misericordiam agnoscamus.*

Domine, nil est sapientia carnis, qvàm inimicitia adversus te Rom. 8,7. & stultitia tua sapientior est hominibus, & infirmitas tua omni humanâ potentiâ superior 1.Cor.1,25. & divitiæ hujus mundi sunt incertæ ac fallaces, 1.Tim.6,17. qvis igitur se illis efferat, aut illis fidat, cui cor sapiat? in te igitur, ô DEUS, sit salus & gloria nostra, tibi confidamus omni tempore, qvia tua est benignitas, & tu rependes unicuiq; secundum sua opera Psal.62,8.9.13.

PRIMA PARS.

PRopheta in superioribus deplorat populi sui vitam impurissimam & propterea à DEO decretam certoq; inferendam pœnam gravissimam. Et ne Judæi sua ista vulgaria objiciant, inter se esse veram de-

DEO

DEO doctrinam seu legem, & magnam ipsorum esse potentiam; præoccupat Jeremias & dicit, his non obstantibus, imò ablatis, fore, ut lamententur qvàm maximè; siqvidem mali sint malè perituri. Hinc jam infert ista duo; Mali & infideles istis externis auxiliis ne se efferant, qvia sunt vana: boni, pii, & fideles verò ad DEUM confugientes, ne planè animum abjiciant, *sic ait Jehova*, & proinde est verùm, vana esse omnia humana, & frustranea, nisi Dominus adsit Psal. 127, 1. 2. præcipua autem qvibus nituntur homines, sunt vel bona animi, qvæ hic nomine sapientiæ, vel corporis, qvæ nomine potentiæ, vel fortunæ, qvæ opulentiæ appellatione veniunt, ne *gloriator* אַל יִתְהַלֵּל qvod si ortum & usum spectes, significat, ex insaniâ qvâdam seipsum extulit, qvanqvam cùm sit μέσον, etiam in bonam partem qvandoqve accipitur, ut in seqventi commate, cujus diversitas ex illis generalibus bonæ vel malæ actionis notis, nempè causâ efficienti, objecto, fine, circumstantiis, apparet facilimè; huc verò prior illa significatio optimè qvadrat: qvia qvi ob res vanas & inanes se extollunt, meritò insanire putantur apud sapientiores. Ne gloriator igitur frustra *sapiens* in & ob *sapientiam suam*, qvæ terrena tantùm, & si Deo suo reluctetur, Diabolica aliqvo modo evadit Jac. 3, 13. 15. *neq; gloriator potens in potentiâ suâ*: qvia subitò à Deo omnipotente, potest infringi: *neq; gloriator dives in divitiis suis* qvia illæ sunt instabiles, & illa omnia sunt bona aliena, qvorum homines constituti sunt dispensatores Luc. 16. in omnibus vitæ ordinibus, in Ecclesiastico sapientes, in Politico potentes, in Oeconomico divites.

I. Loc. Comm.

ALiæ sunt Dei viæ & judicia, qvàm hominum Esa. 55. unde non est mirum, qvòd cum hoc loco paradoxa maxima rationi humanæ prolaturus erat Propheta, statim ab initio præsupponat, sic ait Jehova. Credamus igitur dicenti Deo, qvia dixit & facta sunt Psal. 33. & 148.

II. Loc. Comm.

OMnis gloria vana est mera insania, qvalis Theologicè loqvendo, omnis, qvæ non est in Deo. Qvid enim habes, ô homo, qvod non acceperis? si autem accepisti, qvid gloriaris? 1. Cor. 4, 7. qvomodo de omnibus seqventibus diligenter notandum, non verum eorũ usum, verùm abusum & adhærentem persuasionem reprehendi. Nam sapientia, potes-

tentia, divitiæ sunt dona DEI: verùm si qvis in iis se jactitat, novimus. hoc pacto res bona, facta mala est.

III. Loc. Commun.

QVemadmodum Diabolus, hominem seducens, & DEO & hominibus illudere voluit, aliud dicendo, & aliud sentiendo Genes.3. ita etiamnum post lapsum in filiis hujus mundi, in qvibus ille agit & operatur, maxima videtur esse sapientia DEO per hypocrisin, hominibus simulatione verba dare velle, qvod tamen tandem gravissimè punietur verax ille Deus Esa:29,13.14. 1.Cor.1,19. Exempla insignia habes in Bileamo Num.22. Achabo Esa.7. Pharisæis, Herode Act.12. In lege Dominus nolebat sibi offerri reptile volucre Levit.11, 20. 23. sed ut sit filiis Israël abominationi, mandat: ita meritò, qvi hoc agit, ut simulatione ac vafritiâ suâ obrependo aliis evadat superior, nec DEO, nec populo DEI, seu verè piis, est acceptus.

IV. Loc Comm.

POtentiæ gloria propria qvomodo à DEO omnipotente vertatur in ignominiam summam, virgo θεοτόκος declarat Luc.1,51.52. & exempla attestantur Pharaonis, Goliathi, Nebucadnetzaris Dan. 4. Belthasaris Dan.5. Sennacherib, Nicanoris, Antichiochi, & aliorum.

V. Loc. Commun.

IN divitiis verò si qvi sunt confisi, omnes sunt confusi, Jacob.5, 1.2. ut Nabal 1.Samuel.25. Divites de qvibus Luc.12. & 16. DEI enim facilè obliviscuntur Deuter.6,12. Proverb.30,8. & difficulter in regnum cœlorum perveniunt Matth.13,22. Matth.19,22. Qvod cum ita sit, qvis in mundanâ sapientiâ, qvis in humanâ potentiâ, qvis in vanâ opulentiâ glorietur? Meritò cum Psalte nos humiliantes dicimus: Non nobis Domine, sed nomini tuo da gloriam Psal.115,1. Sapientiæ, in generis humani redemptione & salvatione 1.Cor.1. Potentiæ in mundi creatione Esa.40,26.28. & Opulentiæ, in ejusdem conservatione ac præmiorum præstatione Rom.11,33. Eph.2,4. & nos invicem ita exhortamur ex Psal. 29,1.2. &c. Date Jehovæ gloriam & laudem, qvâ de re jam agetur cum DEO in parte posteriore.

SECUNDA PARS.

POstqvam enim jam vidimus, qvod hæc sit summa hominum miseria,

tia, qvando ipsi ex instinctu Diaboli cupiunt esse Dii Genes. 3. & propterea in se ipsis confidunt Luc.18,9.14. atqve DEO furantur laudem omniscientiæ, omnipotentiæ, & sufficientiæ omnigenæ, qvæ est ipsius majestatis propria, id qvod lex maximè accusat ac tam nefarios sacrilegos damnat: nihil aliud remedii supereſt, qvàm ut de nobis desperantes ac indigentiam nostram seu nuditatem Genes. 3. agnoscentes in Evangelio ad Christum fide confugiamus, & postqvam ipsius justitiâ, velut agni Dei pellibus induti, in DEO nostro gloriemur Esai.61. qvod in proptoplastis fuit indicatum, qvando ipsis de vestibus pelliceis à DEO ad tegendam nuditatem prospiciebatur. Hoc perrò nunc explicat Jeremias, *sed in hoc*, vel propter hoc בְּזֹאת (ita enim ב accipi, probatum est Mich.1,5. & 3,11. & ἐν in Novo Testamento ita accipitur, Coloss.2,16.) *glorietur* ac se efferat supra infrunitum vulgus, *qvicunq; gloriatur*, nempè qvum illi sint insipientes, ac non intelligant Psalm.14. Rom.3,11. se *intelligere* & *nosse me*, putà ex verbo revelato, & pro humani ingenii in hâc vitâ modulo, nondum autem perfectè omnia in tàm arduo sacrosanctæ Trinitatis mysterio posse consequi, qvemadmodum Moses DEI amicus tantùm videbat ejus posteriora, qvum hanc vitam vivebat, qvòd præcipuè à nobis fit, qvando qvæ DEUS in libro scripturæ curavit consignanda, rimamur ac admiramur seu credimus, dum non perfectè intelligimus, & qvæ in libro naturæ patravit ac qvotidie efficit, diligenter consideramus, tanqvam majestatis illius divinæ opera. Qvod ad Scripturam sacram attinet, & cognitionem DEI salutarem Joh.17,3. verbo hîc exponitur, *me esse Jehovam*, illum verum DEUM, qvi à seipso & à qvo reliqva omnia: qvod ad providentiæ divinæ & gubernationis mundi effecta contemplanda pertinet, sunt alia respectu bonorum, alia respectu malorum, illa, qvòd DEUS erga illos *exerceat benignitatem*, hæc qvòd declarat suum *jus & justitiam in terrâ*, sit juxta promissionem suam bonis bonus, & juxta comminationem erga malos severus. Confer Exod.20,5.6. Psalm 18,26.27. Nah.1,3.4. &c. ubi ne qvis objiciat, hæc esse legalia, & proinde ad fidei doctrinam, qvâ salvamur, non rectè referri: sciat, qvòd fides qva notitia, ad utrumq; præcipuum doctrinæ Christianæ caput, legem & Evangelium se referat, qvod ad fiduciam, ad Evangelii promis-

missiones tantùm: Et ubi est justitia fidei, ibi etiam, qvia per Christum legi est satisfactum, præmia in lege promissa dantur; & contrà, ubi per infidelitatem Christus rejicitur, omnes comminationes legales hominem opprimunt. Hìc verò agi de salutari & fiduciali DEI agnitione, verbum hebræum הַשְׂכֵּל (de cujus emphasi dictum Esa. 53,1 qvodqve notat, postqvàm est probè instructus ex intelligentiâ, rectè sua effecit, atq; ita prosperatus est,) imò etiam seqvens comma innuit, qvando dicitur, *qvia istis*, gloriari in Dei agnitione ac salvatore mundi niti, *delector*: siqvidem oculi mei spectant ad fidem Jerem. 5,3. *dictum est Jehovæ* & proinde, qvia istis delector, illorum, qvi volunt, me sibi esse propitium, ut me noverint, & colant, prima cura esse meritò debet. Ita describitur hic fides, qvòd sit fiducia, dum gloriatur, & qvòd sit ejus objectum ratione assensus, omne DEI verbum; ratione fiduciæ, omnes promissiones; speciale, meritum Christi, in qvo solo potest qvis rectè coram DEO gloriari ac salvari, qvemadmodum allegatio hujus dicti apud Apostolum satis disertè declarat.

I. Loc. Commun.

QVando Jacob cum DEO erat colluctatus, & ab eo jam benedictionem impetraverat, sibi in loco, qvem inde vocat פְּנִיאֵל, ita gratulatur, ac in DEO suo exultans ita gloriatur. Vidi à facie ad faciem Deum, & erepta ac salva facta est anima mea Genes. 32,30. ita meritò omnis pius qvando jam à Deo Patre in Christo, benedicto semine, est benedictus Gal. 4. Eph. 1,3. in hoc se jactitat, qvòd Christum noverit, atq; ejus notitiâ possit salvari Es. 53,11. 1. Joh. 4,1.2.

II. Loc. Commun.

MAlachias cap. 4,2. prædixit: Exorietur vobis, ô timentes nominis mei, sol justitiæ cum curatione in alis ipsius, videlicet qvum ex lapsu Adæ simus in mente cæci, in voluntate pravi, in omnibus viribus morbidi, imò mortui; alter ille Adam cæcitatem tollit suâ illaminatione, & exortu pravitatem, & defectus alarum suarum protectione, curatione, ac fotu, ut meritò possit gloriari, qvi hunc medicum novit, imò curationem ejus sensit.

III. Loc. Commun.

SI fides, unde omnis nostra victoria 1. Johan. 5. & gloriatio, Rom. 5. est no-

notitia, non debet definiri per ignorantiam, ut censet Bellar. lib. 1. de justific. cap. 7. fide enim rem ita se habere scimus; cur verò & qvomodo sit, DEO dicenti committimus.

IV. Loc. Commun.

DEUS primùm hominibus offert suam benignitatem, qvam si nefariè respuunt, jus & justitiam in ipsis perdendis administrat.

V. Loc Commun.

SI qvem strenuum virum videbat Saul, hunc suum eligebat ministrum: DEUS verò si qvem DEI timentem, & juris ac æqvi observantem cernit, hunc amat, ac filium suscipit. Ipsi, à qvo omnis nostra gloria, sit gloria in seculorum secula Amen.

DOMINICA XIX. POST TRINITATIS.

Psal. 103,3.

CUm Psaltes multa alia populo Israëlitico, qvando educebatur ex Ægypto, & postea per desertum deducebatur, præstita beneficia commemorat, & inde Judæos ad DEUM celebrandum hortatur Psal. 105. etiam v. 37. ita canit: Eduxit eos cum argento & auro, nec fuit in tribubus ejus, qvi offenderet (כּוֹשֵׁל) multò minùs, qvi ægrotaret aut miserè cruciaretur: qvomodo alii interpretes, sensum respicientes, cum Luthero reddente, **Es war kein gebrechlicher unter ihren Stämmen**/ vertunt. Magnum hoc beneficium & maximum miraculum, inter sexcenta millia virorum præter parvulos Exod. 12, 37. non fuisse ullum morbidum. Verùm ita omninò evenire necesse erat, qvum Deus hîc simpliciter promiserat Exod. 11, 7. qvi hoc ipsum repetiit, sed cum conditione obedientiæ Exod. 11, 26. Contrà verò si essent inobedientes, multos morbos pœnæ loco est comminatus Levit. 26. Deuter. 28. & immisit, sicut ex historiâ & Psalmo 106. constat, ac ipsa experientia probavit. Nec sanè malè id cum superiori historiâ convenit, siqvidem pleriq; homines, qvando ex Ægypto spirituali ac regno infernalis Pharaonis per Christum nolunt educi, sed in tenebris suis permanere, mirum non est, eos cum Ægyptiis variis plagis affligi; & qvum contra suum Dominum nefariè peccare non desistunt, novum non est, tot

morbis oppressos tempore Christi esse in Judæâ, Petri socrum laborare febri Matth.8. aliam mulierem sanguinis profluvio Matth. 9. inventum esse, qvi hydrôpe affligeretur Luc 14. datos esse, qvi affecti sint leprâ Luc.17. & in hodierno Evangelio, qvi paralysi miserè affectus decumbit. Sed ô benè, qvòd isti sanati, ad qvem sit fugiendum, suo exemplo monstrarunt! præcipuè autem salvatori ac medico animarum sit gratia, qvi veram curandi methodum hîc monstravit, tollens priùs peccatum, deindè verò sanans morbum. Et ipsa beneficia, qvia David Psal.103. uno in versu conjungit, paucis cum hâc occasione libet percurrere, Partes sint duæ:

I. *Inqvitatis sublatio.*
II. *Infirmitatũ sanatio.*

Jesu Christe, qvi ex cœlo venisti in has terras, qvæsitum qvod periit, preciosus est hic sermo, & à nobis ambabus manibus amplectendus 1.Tim.1. fac fidei dextrâ te complectamur Joh.1,12. tu es agnus DEI tollens peccata mundi Joh.1. & ille fidus DEI servus, qvi omnium nostras infirmitates ac iniqvitates in se sustulit Esa.53. fac tibi olim in cœlis acclamemus: Hic est, qvi benè omnia fecit Marc.7. curator animarum 1.Petr.2,25. & corporum malè afflictorum Act.10,38.

PRIMA PARS.

CUm aliqvando Israëlitæ suâ contra DEUM inobedientiâ graviter peccarant, Moses ex Dei mandato serpentem æneum suspendit, qvem qvi intuebantur, pristinæ valetudini restituebantur Num. 21. Hunc typum Salvator sibi applicat, & explicat ipse Joh.3,14.15. ut enim illi suâ ipsorum, ita nos unius hominis seu Adami inobedientiâ. Rom. 5. in tantas miserias devenimus. Ut illi â serpentibus ignitis mordebantur, ita nos à serpente antiqvo 2. Cor.11. 1. Tim. 2. Apocal. 12. sumus gravissimè læsi, imò spiritualiter morti traditi Ephes.2. DEUS autem nostri misertus filium suum voluit exaltari, ut omnes ad se ducem vitæ Actor.3. traheret Joh.12,32. ac omnes in eo vitam haberent Johan. 10, 10. Hunc diem tanti Salvatoris jam olim, sicut Abraham, teste Christo Joh.8. David prævidisse videtur, qvando in Psalmo 103. non tantùm se, verùm etiam omnia creata ad laudem DEI incitat, inprimis verò ob beneficia spiritualia, & deinde etiam corporalia, qvæ proleptica propositio habetur v. 3. expositio autem uberior in seqventibus apponitur.

tur. Illam videamus, Benedic, inqvit, anima mea Jehovæ, non sola lingua aut labia. Ut enim DEUS cor & alia qvædam viscera inferiora in sacrificiis sibi volebat offerri; ita in sacrificiis eucharisticis piorum Novi Testamenti potissimùm internum animi rationalem cultum Rom 12. sibi vult deferri, & qvicqvid non est ex ipsâ fide, qvæ est in animo, Hebr. 6. Rom. 14. DEO non placet. Benedic igitur Jehovæ anima mea, qvia *ille est* הַסּוֹלֵחַ, ille condonans, nempè tuam malitiam & debita Matth. 18. ac simul donans Christi justitiam ac λύτρον, atqꝫ ita te prosperans ac salvans (qvod innuit cognatio verbi hebræi צָלַח) ut seqvatur vera beatitudo ac felicitas, qvæ nobis germanis non malè vocatur Seligkeit/ ex סְלִיחָה Psal. 130, 4. Condonat autem DEUS respectu nostri, qvi nil promeremus, qvippè cùm omnia facimus, sumus servi inutiles Luc. 17. verùm ut satisfiat simul justitiæ ipsius, Christi meritum fide imputatur. Roman. 3, 25. qvod tanti est valoris, ut sit placamentum pro omnibus peccatis 1. Joh. 2, 2. undè meritò subjicit psaltes, condonans *omnes iniqvitates tuas*; non tantùm originalem labem delet, verùm etiam actualia peccata, nec tantùm parva, verùm etiam magna, & ut verbo dicam, omninò omnia, atqꝫ ita condonat, ut sublatâ culpâ, per Christum etiam sit sublata pœna, qvando utramqꝫ hebræi nomine עָוֹן denotant. Etiam hoc, qvum in sacris literis nullum jota sit otiosum, potiùs Chaldaicâ formâ hoc loco venit affixum, qvàm hebræâ, ut ad Ecclesiam ex gentibus convocandam etiam hoc pertinere intelligas, & si omnino ad נֶפֶשׁ sit referendum, tamen indicetur ratione ortus Judæum aut alium in Ecclesiâ natum hactenus, qvatenus est peccato originis infectus, esse extraneo parem, Ephes. 2, 1. 3.

I. Loc. Commun.

QVi in Veteri Testamento erant oraturi, si erant in templo ad arcam propitiatorii, si in aliis longè dissitis regionibus versabantur, saltem ad sanctam urbem & templum respiciebant 1. Reg. 8, 29. 48. Dan. 6, 10. ut ita tantò magis ad eum, qvem ibi peculiariter habitare sciebant, attenderent. In Novo Testamento autem, ubi illæ umbræ desierunt, DEUS est adorandus spiritu in omni loco Joh. 4. 1. Tim. 2. nam eos, qvi tantùm labiis appropinqvant, procul à se esse jubet Esai. 29,

Matth.15. Hinc unusqvisq; oraturus, aut DEO gratias acturus, id semper in memoriam sibi revocet, Benedic anima mea.

II. Loc. Commun.

DAvidi gratulantur, eumq; celebrant, qvòd Goliathum prostraverit & servitutis jugum, qvod per eum imminebat, sustulerit 1. Sam.18, 6. Nos rectiùs Christum, verum illum Davidem, laudibus extollimus, qvòd Diabolum vicerit, mortem destruxerit, infernum vastarit Heb.2. 1.Cor.15. Cum Israëlitæ jam evaserunt crudelis tyranni manus; ex animo lætabantur, ac eucharistica carmina persolvebant Exod.15. Id nos æqvius est facere; qvia filius Dei verè liberos facit, Joh.8.

III. Loc. Commun.

SI Deus condonat hominibus propter Christum omnes iniqvitates; qvorsum indulgentiæ, & omnis apparatus nundinarum in papatu? qvid satisfactio operis ab illis postulata? nimirum hos esse Anti Christi servos, inde concludas.

IV. Loc. Comm.

COntra eosdem, negantes, Christum pro actualibus peccatis satisfeciisse, ex seqventi universali particulâ rectè concludes, & dices; hic est Jesus, qvia populum suum salvabit à peccatis suis Matth.1. Atq; hæc de elencho. Doctrina autem hîc latet ea potissimùm, qvòd gratis justificemur, sine operibus, & propterea vicissim teneamur proximo condonare sua delicta Matth.18. Verùm meritò hic exclames cum Davide 2.Sam.24,14. Melius esse, incidere in manus Jehovæ, qvàm hominis: qvia magnæ sunt Dei miserationes; homines verò sunt sine Dei numine ἄστοργοι, ἀνελεήμονες Rom.1,31.

V. Loc. Commun.

IN pronomine affixo ostenditur, applicationem ex nostrâ parte requiri tantæ benignitatis Dei, qvando qvisq; cum Apostolo concludit, Christus se tradidit pro me Galat.2. Christus sustulit etiam in se, meas iniqvitas, & pro iis satisfecit Esa.53. ille, qvi est sufficiens ad salvandum Esa.63,1. Inter Gideonis milites probati erant, victoriamqve ab hoste reportabant, qvi manu aqvam ori injicientes lambunt Judic. 7,6. ita etiam inter Christi Domini nostri exercituum Psal.24. milites

Eph.

Eph.6. 2.Tim.2. & 4. illi coronam vitæ æternæ auferunt, qvi aqvam vitæ, Christum Joh.4. manu fidei Joh.1,12. sibi applicant, atqve ita potantur in vitam æternam Joh.7,38 Apoc.22,1. qvæ est donum DEI Roman.6,23. & dabitur illi, cui donum justificationis per Christum anteadatum Ephes.2,8. si modò servat, qvod habet Apoc.2, 25. & 3,3.11. Et hæc est iniqvitatis nostræ sublatio, ac debiti condonatio: seqvitur infirmitatis sanatio.

SECUNDA PARS.

QVando Hiskias lethaliter decumbebat, & subitò à DEO miraculosè restituebatur; Deo suo maximas agebat gratias 2. Reg. 20. Esa.38. Idem nos facere cum Davide decet, qvando perpendimus, qvomodo simus à Diabolo misere non tantùm vulnerati, verùm etiam prorsus spiritualiter occisi; à Christo autem denuò sanati. Iste enim verè est הָרֹפֵא, ille, qvi *remedium affert*, curat, ac sanat omnes *nostras infirmitates*, languores, defectus, tam corporis, qvàm animi, in qvantum prodest, corporales & omnes fide ad eum confugientium spirituales, atqve ita non tantùm peccati maculam & labem tollit, sed etiam firmitatem virium donat. In textu hebræo est תַּחֲלוּאֶיהָ de cujus affixo dictum in parte hujus dicti priore; qvod verò ad formam dualem qvàm proximè accedit, & aliàs ratione ἐτύμου tam ægritudinem animi Prov.18,14. Deuter.29,22. qvàm corporis infirmitatem ac morbum notare potest, Jerem.14,18. & 16,4. indicat illud, qvod paulò antè dictum est, hunc medicum sanare, imò salvare & corpus & animum, & qvicqvid malè habet, tollere qvemadmodum Lutherus exponit explicatione septimæ petitionis.

1. Loc. Commun.

QVando Apostoli in nomine Christi sanaverant unum claudum, populus obstupefactus advolabat; verùm à Petro ad hunc ipsum Medicum Matth.9,12. ablegebatur Act.3. qvi potest omnem morbum sanare, sicut prædixerat Esa. cap. 35. & ipse probavit Matth.11,5. Luc. 7, 21. & si populus ibi ob unum sanum DEUM unanimiter laudavit Actor.4,21. qvid nos facere convenit, qvando ipsi sumus à Christo sanati in baptismo à leprâ peccati, atq; aliàs sæpè adjuti: hic est, qvi Abimelechum cum suis curavit Genes.20. qvi Miriam à leprâ liberavit,

Num.

Num.12. Davidis timorem abegit, 1.Sam.30. omnesq; restituit, qvi per Prophetas & Apostolos miraculosè sunt sanati Act.3,12. Hic est ille verus Elisæus, qvi omnem aqvam calamitatis potest sanare 2. Reg.2,19. 21.22. Est verè illud sanctissimum ac saluberrimum oleum (hinc enim ab ungendo Christi & Messiæ nomen habet Psal.45. Johan.1.) qvo Apostoli in primitivâ Ecclesiâ morbidos inungebant Marc.6,12. Jacob.5.14. Nihil ad hujus gratiæ umbram Psal.91.Matth.23. Petri umbra Act.5,15. Nihil ad hujus in sepulchro convolutum (qvo innuebatur jam esse per ipsum nostra deleta peccata, & in sepulchro condita, Joh.20,7.) illud Pauli sudarium Act.19,12. ipsi soli damus meritò nominis hujus honorem, qvod potuit omnibus moderi felicissimè Act.10,38.

II. Loc. Commun.

JAm igitur novimus, qvorsum sit in morbis confugiendum, non cum Ahasiâ ad Beelzebub 2.Reg.1,2. non cum Asâ tantùm hæreamus in medicis, sed DEUM hunc reqviramus 2.Chron.16,12.ipsius enim manus nunqvam est abbreviata,Esa.59,2. estq; ille Dominus, cui sunt exitus contra ipsam mortem Psal.68.

III. Loc. Commun.

SI sanat omnem languorem ac defectum, ab hoc solo est petendum auxilium: si qvis sapientiâ indiget, hunc oret, & exorabit Jacob.1. si qvis fidei infirmitate laborat, clamet cum discipulis Luc. 17. & patre Lunatici Marc.9. hic est, qvi fidem confirmat & obsignat 2.Cor.1,21. Si qvis cum Petro fluctus magnos calamitatum Psal.124. horret Matth.14. hunc Dominum invocet, salva me vers.30. extendet omnipotentiæ suæ manum, & lapsum eriget, labantem stabiliet, imò stantem firmiter apprehendet, ibid.vers.31. Confer. Joh.10, 28. & in genere turris fortissima est hoc nomen Domini, ad qvam si currit justus, exaltatur Prov.18, 10. Benedic igitur anima mea huic Sospitatori ac Salvatori summo, qvia peccata tua sustulit patiendo, & morbos ac mala alia tollet benefaciendo, ipsi sit honor & gloria in seculorum secula, Amen.

DOMINICA XX. POST TRINITATIS.

Hos. 2, 19. 20.

MOses qvum esset in aulâ regiâ, ibiq; omnis generis delitiis perfrueretur, tamen divinitùs ad hoc vocatus, ut populum Israëliticum

ucum ex Ægypto educeret, maluit mala in exilio ac itinere perpeti, qvàm parvâ voluptate frui, & æternâ felicitate excidere, duxitq; uxorem peregrinam Cuschidem, si nomen interpreteris, Æthiopissam, eam ex Midiane primùm ad populum ac montem Dei adducit, & filios ex eâ natos, Gerschom & Eliezer, sine dubio verâ Dei agnitione imbuendos curavit, ut ita æternùm salvarentur: qvemadmodum singula hæc possunt probari ex collatione seqventium locorum Exod. 2. 4. 18. capp. Num. 12, 1. Actor. 7, 21. 23. 25. 29. Hebr. 11, 24. Filius Dei qvando erat in cœlesti paradiso, & regno Patris sui, ubi est satietas gaudiorum amænissimorum, Psal. 16, 11. ex φιλανθρωπίᾳ suâ, Tit. 3, 4. se obtulit Psal. 40 Hebr. 10. ut redimeret genus humanum, & mortem patiendo, aliaq; multa mala perferendo Matth. 20. 1. Tim. 2. Phil. 2. Hebr. 4. & 5. vinctos educeret è lacu, in qvo nulla solatii aqva Zach. 9. Confer Es. 61, 1. Luc. 4, 18. & nos, ex cœlo extorres, reduceret in patriam. Joh. 14. & 16. exulare voluit ipse in Ægypto Matth. 2. ac in totâ suæ legationis viâ, de torrente bibit Psa. 110. idq; omne pertulit, ut suam Sponsam, qvæ jure fatetur, se esse nigram, Cant. 1. nec posse ex se mutare suam pravam ac ingenitam naturam, sicut nec Æthiops potest mutare suam cutem atram Jerem. 13, 23. sanguine suo & lavacro aqvæ in verbo purificatam, sibi sisteret gloriosam. Ephes. 5, 25. 26. 27. & qvidem eam, qvæ jam morti æternæ suâ culpâ erat destinata Ezech. 16. hanc tamen æterno fœdere sibi copulat, filiosq; spirituales ex eâ gignit, qvos ubi hic fuêre peregrini Genes. 47, 9. 2. Cor. 5, 6. Psal. 39, 13. & 119, 18. 1. Chron 29, 15. Hebr. 11, 13. tandem secum in æternam qvietem & cœleste gaudium deducit Hebr. 3. Joh. 17. ubi tum fatentur, se à Deo adjutos, imò à Deo huc perductos esse nullo suo merito. De hoc tanto mysterio Ephes. 5, 32. agitur Matth. 22. v. 2. cujus pericopes summa proponitur apud Hoseam cap. 2. v. 19. 20. Partes sint duæ:

I. Qvæ sit Sponsi beneficentia,

II. Qvæ esse debeat Sponsæ reverentia.

Christe, qvi voluisti vulnus magnum tibi in latere fieri, per qvod in ipsum cor tuum intueri qveamus, & tuum amorem, qvo nos inimicos tuos ita dilexisti, ut pro nobis morereris, perspiciamus; fac pauliser corde devoto & intentis oculis hic subsistamus, ut tantum amoris

ignem inextinctum videamus, teq; inde agnoscamus ac vicissim dilige re & ad montem tuum ac terram verè sanctam contendere Exod. 3. incipiamus, Confer Joh. 4,9.10.

PRIMA PARS.

MIrum videtur qvando Simson eligit sibi sponsam ex filiabus Philistæorum, sed à Jehova hoc erat, & illa recta videbatur in oculis ejus Jud. 14,3.4. magis verò mirum est, qvando Simson ille cœlestis, & si nomen interpreteris, sol justitiæ Mal. 4. ac pulcherrimus omnium Psalm 45. diligit, ac sibi copulari vult Ecclesiam ex genere humano collectam, qvod totum in Adamo perfidè ad Diabolum desciverat, ac in multis benè cum Philistæis improbissimis rectè conferri potest, qvæ sit ipsius sponsa & uxor Psal. 45. Ephes. 5. 2. Cor. 11,2. qvæq; maximè deformis in oculis Dei videtur Psal. 14. Roman. 3. sed ita erat res, à Jehovâ hoc totum est, ac mirum in oculis nostris Psal. 118, 23. Adultera in Veteri Testamento solebat occidi, & hæc spiritualis adultera non tantùm vitâ donatur Ezech. 16,6. sed etiam regno Luc 12,32. Matth. 25. v. 34. ac cùm ad inferos suâ culpâ esset detrudenda, sponsi sui ac mariti cœlestis radiis in throno regali coruscabit. Ita est, audiamus ipsum sponsum hæc tanta promittentem. *Et desponsabo te*, te scortum spirituale, supr. v. 2, 4. 5. pro uxore habebo, ac tandem domum deducam Apocal. 19. pauperemq; maximè ditabo 2. Cor. 8. qvia desponsabo te *mihi* Domino cœli & terræ, qvi omnia feci, & adhuc largior supr. v. 8. & 9. ac qvia priùs illud in Adamo primo fœdus pacis non diu duravit, qvum paulò post ab Evâ violaretur: desponsabo te mihi nunc *in æternum* qvod ad me spectat, erit tale vinculum, qvod nunqvam dissolvetur ex meâ parte, qvamdiu tu fida mihi permanebis, qvòd si ex infirmitate, imò & malitiâ, qvæ mea est infinita bonitas, id denuò ruperis, hoc saltem cogita, esse hanc desponsationem factam לְעוֹלָם ut ad æternam vitam demum contendas, & ante vitæ finem per pœnitentiam ad me redeas, idq; ut facere possis, ecce à me omnia tibi prompta ac parata, *desponsabo* te iterum *mihi*, qvando gratiâ excidisti, *in justitia*, qvam ego peperi meâ morte Dan. 9,24. qvando tibi injustæ factus sum justitia 1. Cor. 1,30. 2. Cor. 5,21. *in judicio* qvòd Pater meus de te, qvando meam justitiam induisti Esa. 61. feret, ac te propter me absolvet, ut in judicium condemna-

mnationis non venias Joh.3. in judicio non illo rigido, qvod David deprecatur Psal.143. sed æqvitate & misericordiâ summâ temperato, unde seqvitur & *in benignitate*, imò omnis generis miserationibus, præcipuè iis, qvæ ex paterno ac materno amore proveniunt, prout hæc alibi uberiùs sunt explicata.

I. Loc. Commun.

QVemadmodum sponsalia sunt ipsius Conjugii veri initium, imò vinculum, nondum tamen plenarius Conjugii usus, & utriusqve partis bonorum communicatio ac cohabitatio indissolubilis adest: Ita etiam in hâc vitâ sunt Christi nobiscum celebrata sponsalia; qvæ, si permaneamus in fide stabiles, seqventur in alterâ vitâ domum deductio, & nuptiæ perpetuæ, qvando demum omnibus nostri Sponsi bonis, in cœlo repositis, plenariè fruemur, & tum re obtinebimus ipsâ, qvæ jam spe possidemus Roman.8,24. Qvando Rebeccæ saltem nunciabatur viri divitis filium esse, qvi eam ducere cupiat, qvàm facilè consentit, & in longè dissitam regionem pronubum suum seqvitur Genes.24, 35.50.51. qvid itaq; nos cunctamur? Regis regum & Domini dominorum filius nostras ambit nuptias, ac suos mittit legatos Matth.22, 2.3. 2. Cor.5,20. Dicit, desponsabo te mihi, respondeamus cum illâ piâ ejus amicâ, Cant.1,20. trahe me post te, curremus. Qvod si verò nunc tantùm sunt sponsalia, ne mireris, pia anima, nondum apparere, qvid futura sis 1. Joh.3,2. nimirum præcipua bona sponsus non dat in sponsalibus, sed nuptiis domi suæ tibi reservat in cœlis.

II. Loc. Commun.

SI hic sponsus sibi denuò desponsat adulteram, postqvam desiit malefacere, & ad frugem redire voluit Jerem.3. nemo, qvantumvis magnus peccator à Diabolo sibi persuaderi patiatur, non restare spem veniæ, siqvidem illa desperatio est proximus ad æternum exitium aditus, imò ipsa via, ut liqvet in Caino, Judâ, Francisco Spierâ & aliis. Non denegavit suam gratiam Noacho ebrio, nec Lotho incestuoso, nec Mosi incredulo, nec Aaroni idololatræ, nec Davidi adultero, nec Mariæ Magdalenæ scortanti, nec publicanis raptoribus, qvando ad saniorem mentem redeuntes vitiis valedicebant, & ad hæc sacra sponsalia aspirabant. In priori loco est gratiæ divinæ ex parte DEI certitudo, hic exaggeratur magnitudo.

III. Loc. Commun.

EAdem declaratur â diuturnitate. Reliqvarum nuptiarum vinculum durat per hanc vitam Rom.7,1.2. 1.Cor.7,39. Lev.18,18. horum sponsalium complementum & continuatio potissimùm in alteram vitam refertur Matth.25,1. unde vocatur δεῖπνον Apocal.19,9. Luc.14,16. seu cœna. Ut enim post hanc nullus apponitur cibus, sed ipsa præbet ultimum: sic etiam hæc sponsalia sub vitæ finem hominem tandem confortant, ut post somnum suum resurgat, illo læto mane Psal.17,15. & 49,15. ac cum sponso intret in regiam aulam, ibiq; semper maneat Johan.17. 1.Thess.4.

IV. Loc. Comm.

SPonsus autem sponsæ solet donare arrham & annulum: Christus verò obsignat suos Spiritu sancto, 2.Cor.1,21. Ephes.4,30. cujus jam dat primitias Rom.8,23. complementum verò omnis conjunctionis alteri reservatur seculo, & donat interea sui amoris monumentum & pignus, annulum qvatuor insignibus gemmis ornatum, nempè justitiæ Christi dignitate, judicii divini benignitate, misericordiæ salvatoris splendore, miserationum cœlestis genitoris ardore. Pyropi instar rubet Christi sanguine parta justitia, qvâ salvamur longè certiùs, qvàm coccineo seu dibapho & rubicundo funiculo Rahab Jos.2. vide Rom.3,25. Cyano purior renidet cœlo prospiciens Dei bonitas Matth.3,16.17. & 17,5. Smaragdo splendidior viret misericordia 2. Sam.23,4. qvi tres colores, puniceus nempe, cæruleus, & viridis visuntur in iride, fœderis & in eo promissæ gratiæ testimonio, Genes.9,12.13. qvibus tamen Scal.in Exerc. addit flavum, atq; ita Crystallo flavo respondere potest miserationum Dei infinitas, ut ita perficiatur hic annulus iis qvatuor gemmis, non in terrâ aut mari inventis, sed ex cœlesti paradiso productis, ac in sanctissimis filii Dei sponsalibus donatis.

V. Loc. Commun.

MOses tantùm justitiam flagitat, iram & pœnam denunciat Levit.18. & 26. Devter.27. & 28. Hic verò Jesus justitiam ex se donat, misericordiam verò simul offert, atq; ita, ut verus ille David in sui regni constitutione, simul benignitatem & jus canit Psal.101,1. justitia illa in ipso exerçetur, qvando pro nobis satisfacit, misericordia in nobis, qvan-

qvando nobis illa justitia imputatur Rom.3,24.25.26. Videsne jam, ô homo, sponsi tui cœlestis in te benivolentiam ac liberalitatem? annitere, ut ipsi vicissim exhibeas debitam reverentiam ac fidelitatem, de qvâ jam porrò in parte posteriore.

SECUNDA PARS.

JOsephus dat suis fratribus pretiosas vestes Genes. 45, 22. Melchisedech Abrahami militibus panem & vinum profert Genes.14. David suis fidelibus subditis itidem cibum & potum donat 2.Sam.6,19. Eliezer Rebeccam jam secum profecturam multis rebus preciosis donat& ornat Genes.24,53. ita Christus tum demum rata habet illa in sponsalibus oblata bona & dona, qvando homo eum reverenter colit, ut fratrē, constanter sub ipso militat, ut Imperatore, fideliter eum ac humiliter honorat, ut Regem, imò amplectitur, ut sponsum. Hoc Propheta, seu DEUS apud Propheram, ita effert, *Et desponsabo te mihi*, tua ista omnia hactenus promissa erunt, *fide*, si illa à me profiscentia fidei manu apprehenderis, & porrò in omnem cognitionem mei te penetrare annitaris, *ut agnoscas Jehovam*, eumq; ex fide colas, ipsi obediendo, ac proximum tuum vicissim diligendo.

I. Loc. Commun.

TEr qvando idem repetitur, notatur hoc opus sacrosanctæ Trinitatis, qvippè ad extra esse commune omnibus tribus personis, servato tamen ordine & proprietate personarum. Ita enim nobis benedicit DEUS pater Ephes.1 & filius Deus noster, & Spiritus sanctus Psal. 67, 7. Pater filio de sponsâ prospiciendo, & filium mittendo, filius humanam naturam assumendo, genus humanum redimendo, ac spirituale hoc Conjugium ineundo, Spiritus sanctus autem docendo ac ducendo. vide Comm. in Hos. Simul notatur, non esse verum illud spirituale cum DEO initum conjugium, qvando qvis unam ex istis tribus personis abnegat. Qvi enim non honorat filium, non honorat patrem Joh.5,23. qvia hi duo unum sunt Joh.10,30. & qvicum non est communicatio Spiritus sancti, cum illo etiam non est patris gratia, aut filii dilectio 2.Cor 13,13. qvia hi tres unum sunt 1. Joh.5,7.

II. Loc. Commun.

FIdes qvando in hebræa lingua vocatur אֱמוּנָה ab אָמַן i. e. nutrivit,

vit, notatur, non tantùm excludi hîc simulatam pietatem ac hypocrisin Matth. 6. & 23. qvum fides Christianorum sit veritas: verùm etiam illam reqviri fiduciam, qvam de suis parentibus concipiunt filii tenerrimè ab illis educati, & qvibus illi de omnibus necessariis sine ipsorum curâ prospiciunt. Opponitur tali ὑπονοίσει, πληροφορίᾳ, πεποιθήσει, παῤῥησίᾳ figmentum & idolum illud vanæ opinionis, qvod instar bullæ exsurgit, & statim evanescit Hab. 2, 4. Hæc est illa gratia & veritas, qvæ fit per Jesum Christum Joh. 1, 17. salutis Heb. 2, 10. & fidei per qvam illi obtingit, ἀρχηγὸν καὶ τελειωτὴν, Hebr. 12, 2.

III. Loc. Commun.

VIdemus hîc, qvî fiat, qvòd, cùm DEUS pater omnes vocet ad nuptias, non omnes gustent cœnam agni Matth. 22. cumq; omnes beati esse possent Apoc. 19, 9. tamen multi æternùm pereant; nimirum fides illis deest, vera illa manus, qvæ in superiori parte enumerata, & à Christo porrecta bona apprehendat.

IV. Loc. Comm.

VErba notitiæ apud Hebræos, non tantùm cognitionem, verùm etiam affectum & effectum denotant, & proinde ut DEUS illum novit, qvem curat 2. Tim. 2, 19. ita contra homo Deum nosse dicitur, qvi eum colit, adorat, & honorat 1. Joh. 4, 7. 8.

V. Loc. Commun.

NOmen Jehovæ tum potissimùm revelatum esse scribitur Exod. 6. qvando DEUS demum volebat efficere, ut promissa apparerent: Sic agnoscere Jehovam, non tantùm erit cognoscere aliqvid ex Scripturâ de DEI essentiâ ac voluntate, sed potissimùm ejus promissionibus & præcipuè de gratuitâ nostri salvatione fidere, ac sibi persuadere, impletum iri, qvæ dicta sunt Luc. 1, 45. qvomodo agnoscemus perfectè Jehovam in vitâ alterâ 1. Cor. 13. 1. Joh. 3. Jesu Christe, sitiens est anima mea tui, qvando accedam, ut appaream in conspectu tuo? Psal. 42, 3. Veni, Sponse dilectissime, & salva nos potentissimè, bea nos felicissimè Apoc. 22, 17. 20. Amen.

DO-

DOMINICA XXI. POST TRINITATIS.

2. Cor. 13,5.

ASsverus Rex, qvi regnum obtinebat 127. provinciarum, suis principibus copiarum, regulis, præfectis, ac servis convivium magnum & diuturnum apparat, ad qvod etiam postea totum populum, qvi erat in urbe regiâ Susis, invitat. Esth.1,3.5.11. Deus pater, Rex regum, & Rex totius terræ, imò mundi, convivio illo nuptiali, qvod filio suo facit Matth.22. Luc.14. & ad qvod omnes invitat, multi autem venire nolunt, multi verò non cum debitâ reverentiâ & ornatu accedunt, excipit suos fideles servos, ac jam fidei veste, ac Christi justitiâ indutos, excipit in omnibus vitæ ordinibus. In statu Ecclesiastico suarum spiritualium copiarum subdelegatos duces ac ductores, verbi ministros. Vide qvæ ante dicta ad Esa.3,14. Hebr.13,17. cùm Christus sit ipse Dominus Zebaoth, ac dux summus: in statu politico, pios Reges & eorum ministros 1.Petr.2,13.14. in statu œconomico, omnes suos fidos famulos, qvicunq; eum colunt ac rectè faciunt Actor.10,35. Hi enim, licet omnes ac multi sint vocati, soli participes fiunt bonorum oblatorum, eosq; omnes oportet esse & manere in regiâ DEI urbe, hoc est, Ecclesiâ Psal.46,48,87,122. Matth.5,14. qvæ floret ut שושנה i.e. lilium, lilium verò inter spinas Cant.2,2. Cùm igitur tantùm referat, qvalis qvisq; & ubi sit, operæ precium erit inqvirere, qvomodo qvis possit probare ipse se qvoq; inter illos probatos DEI servos, qvos hîc in regno gratiæ, & pòst in regno gloriæ tam splendidè accipit ac ditat. Id autem qvum in hodierno Evangelio nobis declaretur in Regulo, cujus fides erat primùm valdè languida Joh.4,48. postea autem vires sumsit, qvando ipse ex ore Salvatoris pependit, & ex tam salubri fonte aqvam vitæ hausit Johan.4,50.53. age ex Apostolo 2.Cor.13,5. id discamus. Partes erunt duæ:

I. *Piorum in se probandis sollicitudo,*

II. *Impiorum ingens pigritudo.*

Domine, qvia novimus, qvòd si nos ipsos dijudicemus, in nos non exerceatur judicium 1.Cor.11,31. & qvòd nemo possit dignè in hâc vitâ de pane sacramentali edere, & poculo eucharistico bibere, ibid. vers.28.

aut

aut post hanc vitam cum piis discumbere in cœlo Matth.8,11. Luc.14,15. nisi se exploret aut probet, da nobis Spiritum intelligentiæ & prudentiæ sanctæ Esa.11,1. ut simus in fide fundati, charitate exercitati atq; ita Deo ac hominibus probati.

PRIMA PARS.

UT innotesceret cùm ipsi Abrahamo, tum aliis hominibus, qvâ fide esset præditus, Deus eum hoc modo tentavit Genes. 22,1. (tentat autem Deus, non ut ipse aliqvid sciat, cùm nihil latere possit omniscium, sed explorans fidem hoc agit, ut homines prodant, qvales sint Exod.15,25. & 16,5. Devter.8,2.16.) mandat ut abiens in regionem Moriæ Hebr. הַמֹּרִיָּה, qvod si à רָאָה deducas, qvò videtur alludere Moses vers.14. significat, ut Dei providentiæ confisus faciat, qvæ Deus jussit, eventum ipsi commendans. Si autem derives cum aliis à יָרֵא & præcipuè ex Hiphil, indicatur locus, ubi doctrina de DEO sonat, qvi est Ecclesia, vel demum, si etymon ponas יָרֵא i. e. timuit, denotatur, qvòd timor Domini sit omnis bonæ actionis fons & origo, tantumqve in Ecclesiâ apud credentes reperiatur, qvò optimè qvadrat, qvòd hæc ipsa regio illa fuit, ubi postea ædificata est Jerosolyma & templum Domini, typus qvidam Ecclesiæ Novi Testamenti 2.Chron.3,1. Mandat itaq; DEUS, ut abiens Abraham in regionem Morijæ, ibidem mactet filium suum unigenitum, eumq; offerat in holocaustum: qvòd ubi ipse facere parabat ex fide Hebr.11,17.19. DEUS veræ pietati, ipsi cœlitus perhibet testimonium. Abraham est Pater & exemplar omnium credentium Rom.4. ideòq; qvi volunt ipsius non tantùm dici Matth.3. Joh.8. sed etiam esse genuini filii, decet eos ipsum imitari, ut ad Dei præceptum seipsos tentent, ad sacrarum literarum lydium lapidem se & sua examinantes, suam fidem & timorem DEI probantes: qvod etiam fit, qvando cogitationibus & concupiscentiis suis (qvæ ex ipsis, velut filii oriuntur) non modò resistunt, verùm etiam eas planè crucifigunt Galat.5,24. & occidunt, velut hostiam. Confer Rom.6. & 12.1. Tum enim demum verè apparebit, qvòd timeant DEUM, qvando ipsi non tantùm omnia reliqva, sed etiam seipsos, & sua longè postponant. Sic futurum est, si ipsi ita mundo fuerint mortui, ut cum Christo resurgant, & cùm in se fuerint valdè infirmi, in ipsis

ipsis perficiatur DEI virtus ac potentia 2.Cor.12,9. 2. Cor. 13,4. qvæ est hujus, qvam nunc explicamus, admonitionis occasio. Ne enim opus sit, Apostolum severiùs ac duriùs Corinthios tractare v.2. vult, ut ipsi potiùs in se descendant, seq; excutiant ac corrigant, priusqvam veniat, *vos ipsos* tentate, πειράζετε, ut certum experimentum habeatis, num (ita enim ἐὰ in Novo Testamento, ut ה in Veteri, & *si* apud probatos autores latinos usurpatur, accipi, observatum est Joel 1, 2. & alibi) *num fitis in fide*, ἐν τῇ πίστει, illâ fide, qvæ est viva Jac.2.in Christo Gal.2. *vos ipsos* (ad emphasin repetitio qvædam instituitur) *probate*, δοκιμάζετε, qvemadmodum ad lydium lapidem aurifabri metalla explorantes, vel proba ea esse pronunciant, vel ut reproba repudiant.

I. Loc. Commun.

NOtatur ab aliis, tentationis qvadruplicis in Scripturâ mentionem fieri, qvarum una est Diaboli, secunda nostræ carnis, tertia mundi, qvarta DEI. Illæ tres priores species malæ; hæc una bona & salutaris. Vide lib.4. Harm. Evang. Chemn. per Polyc. Lyserum continuatæ cap. 76. pag.142.143. Possunt distingui in corporales & spirituales, internas & externas, apertas & clandestinas. Addi tamen potest hæc qvinta à DEO nobis præcepta, & à Spiritu Sancto in nobis effecta, nisi placeat eam ad divinam reducere. Sed ad rem: sæpè Diabolus nos tentat, ut dubitemus vel desperemus, qvasi nec fidem in DEUM veram habeamus, nec DEI gratiam nobis polliceri qveamus: contrà autem Apostolus vult, nos πεῖραν λαβεῖν, experimentum certum capere, qvo dubitatio illa tollatur, & qvia nemo novit, qvæ sint in homine, nisi Spiritus ejus, 1.Cor.2,12. vult id, ne qva subsit fallacia, à nobis ipsis fieri, idq; vel ex parte DEI, vel ex parte hominum. *Ex parte DEI* nos certos de gratiâ DEI & fide nostrâ reddunt. I. Fidelis DEI promissio Hebr.10, 23. 2.Tim.2,19. 1. Joh.1,9. 1.Cor.10,13. imò juramento confirmata Ezech. 33,11. Hebr.6,17.18. II. Seria suæ gratiæ in verbo facta oblatio, Act.17, 30. Rom.10,14.18. III. In Sacramentis addita confirmatio Rom.4,11. & per Spiritum sanctum præstita obsignatio 2. Cor.1, 22. & 5,5. Ephes. 4,30. IV. Præscripta hæc ab ipso exploratio, h.l.& 1. Joh.5,13. 1.Corint. 2,12. V. Reprehensa dubitatio Matth.6,30. & 8,26. & 14,31. & 16,8. *Ex parte hominum* in nobis ipsis fidei *a*, Proprietates, ut articulorum fidei

notitia, assensus, fiducia. β. Operationes, ut omnia bona opera, eorumqve verum studium, qvin etiam ipsa lucta carnis & Spiritus, qvæ tantùm est in credentibus: nam in impiis caro planè dominatur, & Spiritus est excussus. γ. Adjuncta propria, ex qvibus effectis causam arguimus. Extra nos in aliis, iisq; vel piis, qvi certò sciverunt se credere, ut Abrahamo Roman. 4. Davide Psal. 31, 1. Paulo Rom. 8, 33. vel impiis qvi Scripturâ duce certissimi esse possunt, se non amari à DEO, sed esse in summo apud eum odio Ps. 5, 6. Contraria autem subjecta contraria hactenus habent prædicata. Vide, qvæ dicta sunt sub finem Psalmi tertii, & syllogismum practicum hinc disce formare. Qvibus Deus promittit, offert, obsignat suam gratiam, qvosq; de eâ vult esse certos, his eam neq; denegat, neq; vult, ut ipsi dubitent, ne ipsi velut mendaci fidem detrahere videantur, 1. Joh. 5, 10. sed mihi non repugnanti promisit, Ergò. Item, in qvo sunt fiedei proprietates, operationes; in me sunt, Ergò. Qvod in bonis laudatur, me oportet facere; sed esse eos certos in fide, laudatur, Ergò. Id omne notatur voce Apostoli πειράζετε, cujus commentarium satis magnum scripsêre Jacobus, Petrus, & Johannes in suis Epistolis, præcipuè autem & ex professo ille cap. 2. iste 2. Epist. 1, 5. 6. 7. 8. 9. 10. hic 1. Epist. cap. 3. & 4. ut enim ex fructu arbor Matth. 7. ex respiratione vita, Jac. 2. ex calore ignis ibid. facilè deprehenditur; sic ex operibus fides Gal. 5, 6. non tantùm externis, qvæ in oculos aliorum incurrunt, sed pricipuè internis, ut timore Dei, luctâ contra carnem, invocatione, pace conscientiæ, studio diligendi & juvandi proximum, diligentiâ in omnibus officii sui partibus adhibitâ, qvò pertinet Catalogus exercitiorum Christianorum ab Apostolo positus Galat. 5, 22. qvæ si adfuerint & abundent, non inertes, nec infructuosos efficiunt in Domini nostri Jesu Christi agnitione; cui verò non adsunt, is cæcus est & oblitus, se à veteribus suis peccatis fuisse purificatum, verissimè cum Apostolo argumentamur 2. Pet. 1, 8. 9. ubi fiat ad singulos ordines, imò à singulis hominibus, præcipiente hîc Apostolo, applicatio & examinatio.

II. Loc. Comm.

QVemadmodum aliud aurum est verum, aliud verò apparet tantùm, estq; adulterinum: ita etiam fides, qvæ cum eo confertur Mal.

3,3. 1.Petr.1,7. Apoc.3,18. alia est sincera & genuina, alia hypocritica & ficta: illa est vera & viva, hæc falsa & mortua: & velut Aaron olim inter vivos ac mortuos stabat Num.17,13. ita etiamnum hodiè omnis verbi minister & bonos & malos in suâ Ecclesiâ, & vivos & mortuos spiritualiter invenit, ut testantur similitudines Matth.13,22. qvos ut discernat, magnâ opus est diligentiâ, multi tamen eum fallere possunt, proinde Apostolus jubet, ut qvisq; exploret, num sit in illâ verâ ac vivâ fide, qvam respicit ac probat Dominus Jer.5,3. sine illâ enim nemo potest placere Deo Hebr.11. Illa est, qvæ cor mundat Actor.15. ad Deum aperit aditum Ephes.3. estqve velut tessera, imò ipsa forma hominis Christiani.

III. Loc. Commun.

HÆc autem fides, qvâ creditur, semper se refert ac nititur fide, qvæ & cui creditur, nempè Scripturâ sacrâ, & de illius veritate ex hujus perspicuitate est judicandum: & qvia hæc est lydius lapis, ad qvem omnia sunt exigenda, tum credenda tum facienda, (qvòd jubetur 1Thes. 5,21. 1. Joh.4,1. Gal.6,4. Ephes.5,10. & probatur Roman.2,18. Phil.1,10.) Apostolus hic normam & regulam ostendens, emphaticè dicit, δοκιμάζετε, & vult, qvod injungit Timotheo, ut qvisq; studeat seipsum probatum Deo sistere 2.Tim.2,15. siqvidem talis probatus à Domino exercituum accipiet coronam vitæ Jac.1,12. 2.Tim.4,7.8. qvia est Deo gratus, ac hominibus probatus Rom.14,18.

SECUNDA PARS.

IN Ægypto qvondam exterminator tantùm illas ædes præteribat, qvarum postes sanguine agni videbat conspersos Exod.12. & aliàs in Ecclesiâ, magnâ illâ Dei domo, sæpiùs fit delectus, ac illi, qvi non habent divinitùs impressum fronti signum, occiduntur omnes, Ezech.9, 4.5.6. Confer.Apocal.7,2.3.4. tendem verò sub finem mundi fit separatio omnium Matth.25,32. & qvicunqve hîc non fuerit de numero Christi ovium Joh.10. qvi credunt in eum, ac mandatum ejus faciunt, neq; etiam tum ad dextram collocabitur. Videndum itaq; omni studio ut hîc notas verorum Christianorum habeamus, ut olim cum sanctis in cœlo gaudeamus. Qvi enim id non curant, ut jam sunt ad omne opus bonum reprobi Tit.1,16. ita etiam olim à Christo planè repro-

babuntur. Ne enim qvis putet, non adeò neceſſarium hoc eſſe, qvod hactenus præſcripſit Apoſtolus, addit jam pœnam, qvæ illis indiligentibus, ac ſe non examinantibus, eſt propoſita: *aut* qvia de virtute dixi, vultis etiam, ut addam de vitio oppoſito, ejusq; ſupplicio? agite conſiderate tantùm hoc, *annon* (οὐκ enim pro ἆρα, ſicut & ἢ & μὴ pro μήτι interrogativè ſæpè in Novo Teſtamento poni, qvemadmodum לֹא pro הֲלֹא probatum eſt cùm alibi, tùm prolixè ſatis Mal.2. v.15.) *agnoſcitis vos ipſos* ἐπιγινώσκετε ἑαυτοὺς, vos ad fidem Scriptura velut terſiſſimũ ſpeculum contemplantes, veſtramq; fidem cordis ad eam examinantes nonne probatis? qvomodo illa uſitatiſſima verbi hujus emphaſis de fide verâ & ſalvificâ hìc ratione rectè hìc retineri poteſt, qvum notetur illud, qvod veræ fidei in Chriſtum congruit, nempe qvòd Philoſophus reqvirit in eo, qvi habet ſcientiam, ut ſciat ſe ſcire, reddaturq; planè ἀμεταπίπωτος, eſtq; hæc cognitio verè credentibus peculiaris, reliqvi autem hypocritæ & increduli nondum ſciunt, qvemadmodum ſcire deceat, 1.Tim.6,4. 1 Cor.8,2. licet ſcire ſe exiſtiment, qvia licet habeant γνῶσιν qvandam, eamq; ſæpè ψευδώνυμον, tamen ἐπίγνωσις ſalutaris non eſt in illis, qvâ ipſum Chriſtum ita norunt, ut ejus meritum ſibi applicent, & ſanctam vitam imitentur. Annon agnoſcitis igitur ex operationibus veſtris, *qvod Jeſus Chriſtus in vobis ſit*, vivat ac operetur? certè non vivitis ac manetis in eo, ſi non in illo fertis fructum Joh.15. dicam vobis apertè, non poteſt hoc fieri, ut iſtud ignoretur, *niſi* tum, *qvum eſtis* mali & *reprobati*, qvi hìc in regno gratiæ poſſunt eſſe membra Eccleſiæ putrida & latere, verùm in regnum gloriæ nunqvam perveniet, qvamdiu tales permanſeritis, ſed planè adjiciemini, velut res inutiles, qvarum nullus Domino uſus, Confer 2.Tim.2,20.21.

I. Loc. Commun.

SAcra ſcriptura inter alia etiam cum ſpeculo confertur 1.Cor.13,12. Jac.1,23. ut enim in ſpeculo maculas noſtras videmus & tollimus; ſic etiam Scripturâ prænonſtrante vitia: Contrà verò qvando aliqvid nobis ornatum addere cernimus, id retinemus; ſic etiam virtutes ſectemur. Qvod igitur Socrates ſuis præcipiebat diſcipulis, ut qvotidiè ad ſpeculum accedentes, ſuam formam contemplarentur, ut ſi illa eſſet pul

pulchra, malis moribus eam ne collutularent; si esset turpis & fœda, corporis & formæ damna ingenio ac virtute rependerent, aut compensarent: id multò magis est Christianis sedulò inculcandum, ut qvotidiè ad legis & Evangelii speculum se conferentes, qvid prosit & obsit, intelligant, ac qvod est longè difficilimum, vel Ethnicis attestantibus ac oraculo, seipsos nosse discant. In legis autem speculo, qvando Mosis faciem splendidam ferre neqveunt 2. Cor. 3, 7. 13. Exod. 34, 29. 33. ad Evangelii lucem se conferant, ubi relucebit DEI patris misericordias, filii Justitia, Spiritus sancti gratia: & qvando ex lege tantùm est ira, ex nobis miseria, per fidem nobis obtingit salus & vita æterna: felix verò, qvi ita seipsum agnoscit!

II. Loc. Commun.

QVid verò? seipsum? imò in se Christum Jesum, fide apprehensum, qvi nos apud DEUM patrem longè faciliùs ac certiùs reponit suâ intercessione in gratiam, qvàm olim Esther suum agnatum Mardochæum apud Asverum. Jonathan, pro Davide supplicans, patitur repulsam; at noster Jonathan nunqvam non exauditur Johan. 11, 42. & qvod qvis in ejus nomine orat, exorat Joh. 16, 23.

III. Loc. Commun.

UT omnis in Veteri Testamentó, in qvo erat vitium corporis, rejiciebatur, ne fieret sacerdos Levit. 21, 17. 18. sic in novo multò magis illi reprobantur, qvi sunt mente cæci, Christumq; non vident; qvi sunt claudi, & in pietatis cursu non rectè progrediuntur; qvi sunt curti, qvi peccant in defectu; aut qvi sunt prælongi membra, qviq; peccant in excessu: omnes enim hi qvàmdiu tales, sunt reprobi, omniaq;, qvæ offerunt, DEO sunt ingrata. Qvisq; igitur seipsum probet, atq; ita ad serviendum DEO vivo accedat cum fiduciâ. Qvod ut fiat, Jesu Christe, mane tu nobiscum. ita tecum ingrediemur tui patris palatium, Amen.

DOMINICA XXII. POST TRINITATIS.

Ecclesiast. 12, 13. 14.

INter Sacerdotis summi ornamenta vel præcipuum erat sacrum pectorale, artificiosissimè factum exteriùs, & maximè expolitum

Exod.28,16. cui deinceps inserenda Mosi à Deo ipso tredebantur Urim & Thummim,i.e. luces & integritates,si pro verbo efferas v.30.Levit.8, 8. ut illo indutus Deum consulentibus rectè posset responsa dare Num. 27,21. 1.Sam.30,8.Esdr.2,63. Nehem.7,65. sive aliqvid credendorum seu faciendorum exqvireretur, ut ita in θεωρίᾳ & πράξει divinitus erudirentur. Hæc verò etiam populi Judaici infantiam Galat.4,1. sublevabant; aliàs DEUS in verbo suo tale jus satis disertè omnibus proposuit, ubi qvicqvid est credendum in fidei articulis, dilucidè proponitur, & qvicqvid est faciendum vel omittendum in operibus, rectè & dextrè explicatur, qvæ qvi non observat, sciat inDeo esse Urim & Thummim, scire illum omnia,qvum inhabitet lucem, cui nihil absonditum; & judicaturum tandem totum terrarum orbem in iustitiâ,ac unicuiq; redditurum secundum sua opera; præcipuè qvando ratio reddenda in extremo judicio de omnibus. Hæc igitur minister verbi, qvi jam portat illa Urim & Thummim non in labiis sed pectore, ut sciat seu intelligat rectè explicare & applicare, sedulò inculcabit,qvod qvia etiam fit in hodierno Evangelio; placet ejus qvandam epitomen ex Veteri Testamento tradere,nempè ubi Salomo suumEcclesiasten tandem absolvit,&qvæ summa,qvi finis ultimus omnium concionum Ecclesiastæ esse debeat, ostendit. Partes sint duæ.

I. Hominis officium.

II. Numinis judicium.

Domine, da qvicqvid agimus, prudenter agamus, & finem respiciamus Psal.39,5.& 90,12. & 101,2. ne erremus in doctrinâ, neq; graviùs peccemus in vitâ, ut ita per te laudem & beatitudinem tandem consequamur Rom.2,7.10. 1.Cor.4,5.qvando venies & illustrabis res tenebris occultatas, & manifesta facies consilia cordium ibid. siqvidem nihil est operum, qvod non revelabitur, neq; occultum,qvod non agnoscetur. Matth.10,26.

PARS PRIMA.

IN seipso & aliis satis expertus Salomo,vana esse omnia humana, qvæ est propositio summa hujus totius libri,qvæq; per partes & enumerationem studiorum vanorum explicata est hactenus: ut ubi in illis pedem figat homo,non inveniat, huc demum decurrit, ut stabile & salu-

salutare studium subjiciat, ac reliqvis omnibus non modò opponat, sed etiam longè præponat. *summam* igitur & finem (hebraicè סוֹף) *rei omnis*, & omnium doctrinarum hactenus explicatarum, imò qvæ dari possunt, *audiamus*, eiqve obediamus. Eleganter Luther. Lasset uns die Häuptsumma aller Lehre hören/ דָּבָר enim & verbum & rem notat, & hoc loco facilè generatim accipi potest in conclusione, qvod notat הַ notæ universali præfixa הַכֹּל Hoc igitur est breve, sed non leve exordium, qvò commendatur hujus clausulæ excellentia, & auditorum seu electorum excitatur diligentia, qvos vult audire, imò obedire, qvomodo simplex verbum apud Hebræos etiam omnium compositorum significationem sustinet: qvæ igitur est illa summa, in qvâ omnia reliqva comprehenduntur, qvis ille finis, ad qvem omnia reliqva referuntur? hic est, rectè credere & piè vivere, glauben/ lieben/leiden Mich.6.vers.8. *ipsum Deum* emphaticè in textu authentico אֶת־הָאֱלֹהֶיךָ Deum deorum, atqj adeò reliqvorum deorum Dominum *revertere*, time, ei crede, ei fide, ei te committe, & nihil in te, qvod sit ipsi ingratum, admitte, & *præcepta ipsius observa*, vitâqj ac moribus pietatem exprime, & fidem ac timorem DEI proba, *qvia hoc est omnis hominis* Luth. Denn das gehöret allen Menschen zu. Hic est finis creationis ac redemptionis, ut DEUS ritè colatur. Tremellius aliter, qvia hoc est totum hominis, totum in qvo se homo occupare debet, & sine qvo totus homo nil est, nisi vanitas, videtur fundamentum in eo ponere, qvasi differant כָּל־הָאָדָם & כָּל־אָדָם qvod tamen falsum esse, aut certè non perpetuò observari patet ex Psal.116,11. qvem locum Paulus Rom. reddit πᾶς ἄνθρωπος & ipse, omnis homo.

1. Loc. Commun.

QVod solent facere pictores, ut qvum suos à se sunt dimissuri discipulos, insigne aliqvod exemplar illis donent, ad qvod reliqva sua opera exigant; ita etiam Moses Levit.19,18. Devt.6,5. totius legis summam duobus versibus includit, ut citat Salvator Matth.22,36.37.39 40. & Salomo hoc loco, & Apostolus Roman.13,9. Galat.5,14. 1.Timot.1,5. Jacobus cap.2,8. compendium verborum faciunt, & qvid maximè in lege sit observandum ac attendendum indicant, qvo ipso alios verbi ministros instruunt, ut & ipsi sæpius paucis summam multorum

torum comprehendant, ut tantò facilius ab auditoribus mandari possit memoriæ; præcipuè verò id agant, ut auditores in omnibus suis cogitationibus dictis ac factis finem respiciant, *finem creationis, redemptionis sanctificationis*, nempè DEI gloriam & salutem æternam, cui in hac vita subordinatur vitæ sanctimonia Luc.1,74. Levit.19,2. 1.Petr.1,15.Ephes.1, 4.5. *finem vitæ*, ut supra exDavide in exordii fine ostensum est, *finem officii* nostri, ut promoveatur Dei gloria & multorum aliorum salus: *finem fortunæ secundæ*, qvi est ut DEUS laudetur, proximus juvetur: sed proh dolor! ex accidenti plerumq; reddit homines securos & superbos Devt.8,10. & 32,15. *finem fortunæ adversæ*, qvi est, ut homo probatus eripiatur, qvando DEUS ex illâ mirabiliter liberat, nec deserit qvenqvam, nisi desertus, Psal.94,12. & 91,15. Hebr.13,5. Hunc finem omnis rei semper audiamus, vel ab aliis, vel à nobis ipsis nobis inculcari. Vides hominem malum florere, pium egere, & affligi? audi ex sacris ejus finē Psal.37. & 73. & acqviesces in tantis motibus.

II. Loc. Comm.

QVando homo DEUM nolebat filialiter revereri, sed ei par evadere Genes.3. id consecutus est miser, ut omnia timere necesse habeat; qvod suo exemplo demonstrat Cain Gen.4. Qvod igitur est primum ac præcipuum in decalogo præceptum, omnisq; sapientiæ veræ initium, omnium primum maximè curandum est, ut DEUM ipsum verum timeamus. Si enim is solus nobis adest propitius, jam nullum alium neq; Diabolum neq; hominem timere necesse habemus Roman. 8,35.38.39. Psal.56,12. & 118,6.7. Nil qvicqvam metuunt Deum timentes, Deum non metuens, timebit omne. Si enim scimus longas regibus esse manus, putabimusnè, DEO omnipotenti non esse longiores manus? Hebr.10,31. Devter.32,39. Amos 9,2. manus autem tam adjuvandum & muniendum, qvàm ad perdendum & puniendum. Huic igitur est confidendum, hic est timendus. Qvi contra Regis Persarum mandatum impium veniebat, in ignem conjiciebatur Dan.3. qvi Darii edictum impium violabat, leonibus projiciebatur Dan.6. sed qvi Dei Regis regum mandata non observant, in ignem inextinctum projiciuntur, & leonis infernalis præda fiunt. Hunc igitur Deum reverere, si vitare velis acerba cuncta, & tristes animi cavere morsus.

III Loc.

III. Loc. Commun.

MUlti autem pietatem simulant, Deumq; profitentur, sed eum non colunt, Tit.1,16. 2.Tim.3,5. dicunt qvidem Domine, Domine, sed non faciunt voluntatem patris cœlestis Matth.7, 21. Contra hos jam alterum membrum hujus summæ divinæ sonat, *præcepta ejus observa* præcepta, non unum aut alterum, sed qvantum fieri potest, omnia Luc. 1,6. & præcepta ejus, sive immediatè lata in sacris, sive per ministrum ejus, magistratum politicum, statuta Rom.13. 1.Petr.2,13.& si sunt contraria, ac simul servari neqveunt, teneatur illa Apostolorum maxima Act.4,19. & 5,29. obedire decet DEO potiùs, qvàm hominibus: præcepta, non abs te bonâ intentione ficta, aut ab aliis præscripta, sed ipsius Dei. Et in hâc pietate esse pergendum constanter, indicat vox ultima: Observa, tene, tanqvam ea, qvæ diligenter custodis, qvemadmodum hæc Lutherus in illo, vitam qvæ faciunt beatiorem, satis benè expressit.

IV. Loc. Commun.

NE qvis ratione status, conditionis, ordinis se exceptum putet, adjicitur, *nam hoc est omnis hominis*, qvisqvis igitur hominem te esse agnoscis, hoc præcepto te obstringi intelligis. Gideonis milites probati omnes manu tenebant faculam ardentem Jud.7. omnes Christianos decet hoc curare, ut luceat lux eorum coram hominibus, ut videant bona opera, & glorificetur ipsorum pater cœlestis Matth.5. Hoc igitur est hominis officium.

SECUNDA PARS.

RAbsaces Judæos hortatur, ut se regi Assyriæ subjiciant, propositò præmio, qvia sit illos abducturus in terram bonam; & pœnâ, nisi pareant, futurum, ut perdat 2.Reg.18,31.32.33. utrumq; autem dolosè & jactubundus dicebat; qvia neqve illud facere volebat, neq; hoc poterat. Rectiùs nos cum Salomone, imò totâ scripturâ homines monemus, ut DEI mandata capessant; id enim si fecerint, amplissima præmia, si neglexerint, atroces pœnæ restant, idq; planum fiet in extremo judicio. De hoc ita loqvitur Rex sapientissimus. *Nam DEUS ipse*, ille idem, qvem metuendum esse dicebam, qviq; cultores suos beat, & contemtores tandem punit, *omne opus* hominis cujuscunqve *adducet* olim *in judicium cum omni occulto*, qvod in hac vitâ Deos illos vicarios Ps.82.

latuit, *sive ut bonum* sit, ad laudem & præmium, *sive malum*, ad pœnam, ignominiam, & supplicium.

I. Loc. Commun.

EXtremum judicium non sine causâ malis est valdè formidabile, sicut liqvet in Felice Act.24,25. qvia qvem ipsi oppugnaverunt Psal. 2. Actor.5,39. qvem contempserunt Luc.19,14.27. Psal.14. erit ipsorum accusator, testis, & judex: accusator in lege, testis in conscientiâ, judex secundum Evangelium. Contrà pii, benè in Christo sibi conscii, judicium illud accelerari exoptant, Apocal.22. qvia sciunt appropinqvare sui omnimodam redemptionem. Luc.21,28. Roman.8,19.21.23. & advenire suum Dominum, qvem hactenus coluerunt, daturum suis servis præmia. Pleriq; autem homines, qvum sint sibi conscii, qvòd Christum in suis membris afflixerint Zach.2,8. Actor.9,5. qvando audiunt futurum, ut ille revertatur ad judicium, longè magis obstupescunt qvàm fratres Josephi, cognoscentes, eum superesse & regnare, qvem ipsi morti destinaverant, ac in servitutem vendiderant. Præterea illud הָאֱלֹהִים hoc loco non videtur carere suâ emphasi. Neq; enim tantùm denotat verum DEUM, qvi tantùm præstet aliis, qvantùm veritas mendaciis, hoc est, infinitis paransangis Psal.115. sed etiam indicat, hunc esse illum Deum, cui pater dederit omne judicium Joh.5,22. qviq; Jehova à Jehovâ pluit Gen.19,24. sulphur & ignem super Sodomam, illum Deum, cujus toties in Novo Testamento inculcatur reditus & gloriosa ἐπιφάνεια, qvi diebus carnis suæ potuit videri 1. Joh.1,1. & iterum in extremo die videbitur Actor.1. Matth.25. etiam à suis hostibus Zach. 12,10. Apocal.1,7. ille Deus incarnatus Joh.1 qvem Judæi crucifixerunt, aliiq; extremè mali denuò crucifigunt, & qvantum in se est, ignominiæ exponunt Hebr.6,6.

II. Loc. Comm.

SIcut ipsi homines diversimodè in judicio stabunt, ad dextram absoluti & beandi, ad sinistrum accusati & damnandi Matth.25. Psal.103. ita etiam diversimodè eorum opera, bonorum bona ad laudem, malorum mala ad dedecus perferentur, cujus rei factum ponitur Ezech.18,22.24. Rom.2,6.

III. Loc.

III. Loc. Commun.

PORRÒ ut multa mala opera in hâc vitâ hominibus manent occulta, siqvidem qvi malè agit, odit lucem Joh. 3. Eph. 5, 12. 13. ita etiam multa verè bona opera non sunt hic conspicua, siqvidem laudem apud homines aucupari præcipuè non debemus Matth. 6. verùm in illo magno & decretorio die omnia occulta producèntur : qvo nomine maximè pœnæ & præmia huc reservantur. Interea nos hac Salomonis summâ ac sententiâ aureâ moniti, sic ex illo pio voto ingemiscamus : *Christus Judex cum sedebit, qvicqvid latet, apparebit, nil inultum remanebit. Recordare Jesu pie, ne me perdas illâ die, qvòd sum causa tuæ viæ. Preces meæ non sunt dignæ, sed, tu bone, fac benignè, ne perenni cremer igne; sed consors beatitatis vivam cum justificatis in ævum æternitatis*, Amen.

DOMINICA XXIII. POST TRINITATIS.

Prov. 8, 14. 15.

QVando Josua Jerichuntem, urbem munitam, erat expugnaturus, ecce vir stabat ex adverso ejus cum gladio suo stricto in manu, qvem cum Josua interrogaret : Num noster es, an hostium? neutrum, inqvit : nam sum Princeps militiæ Jehovæ, & proinde neqs sub te milito, neqve sub hostium Imperatore, sed ipse Dux ac Rex sum Ecclesiæ. Qvod ubi audierat Josua, procidens in faciem, dixit : Qvid Dominus meus edicit servo suo? ille verò mandat, ut extrahat calceos; qvia locus, in qvo stat, sanctus sit, putà ob hanc visibilem DEI ad id tempus præsentiam : deinde qvomodo Jerichuntem expugnare possit, edocet, atqs huic obedienti urbem tradit. Idem ille Angelus increatus, qvi cum patribus in Veteri Testamento est locutus, meritò à nobis qvoqs is esse creditur, in cujus manu strictus gladius ad vindictam malorum, & præsidium piorum, qviqve hujus mundi Jerichuntem cum suis civibus seu hominibus, mundi delitias sectantibus, tandem post sex magnos dies perdet, suosqs milites strenuos in terræ sanctæ antitypum, seu cœlum ipsum Hebr. 3. & 4. introducet. Interea habet suos in mundo legatos ac servos, tam in statu Ecclesiastico, qvàm politico, qvi utrumqs regimen administrent, omne verò, qvòd feliciter expediunt,

ipsi acceptum referant, tanqvam Domino Zebaoth, & principi militiæ, Jehovæ: illis verò legatis obediendum est propter hunc legantem Dominum Confer Joh.20,21. Hebr.13,17. 1.Petr.2,13. Roman.13,1. Siqvidem ipse est, qvi solus potest gloriari, meum est consilium & qvicqvid est, per me Reges regnant. Hoc ipsum occasione hodierni Evangelii, ubi jubemur dare DEO & Cæsari, libet explicare, partes sint duæ:

I. Qvæ sit DEI infinita majestas.

II. Qvæ magistratus finita potestas.

Domine, tuum est consilium & sapientia, da ita cognoscamus tuam omnisufficientiam ac potentiam, ut tibi tuisq; diis vicariis debitam præstemus obedientiam, ut ita hîc tranqvillam & qvietam vitam degamus, cum omni pietate & honestate, ut olim tecum agamus æternùm in omni beatitate.

PRIMA PARS.

INter alia, qvæ probare possunt, agi in hoc capite octavo de sapientiâ DEI, non creaturis inditâ, aut tantùm declaratâ, sed de increatâ ac subsistente, hoc est, ipso filio Dei, ab æterno à Patre genito, etiam illa non parvum habent momentum, qvòd Esa.9,6. (qvi versus sine dubio agit de Messiâ, ac evincit illud seqventis septimi allegatio Luc.1,32.) qvædam nomina ei tribuantur, qvæ hic sapientia sibi vendicat propria, nempè ibi vocatur consiliarius, robustissimus heros, qvi habeat regnum longè maximum; qvæ eadem hîc sapientiæ attribuuntur. Præterea nomen ipsum pulchrè convenit, qvemadmodum liqvet ex collatione horum seqventium locorum 1.Cor.1,24. Matth.11,19. & Luc.7,34.35. Matt. 23,34. & Luc.11,49. qvæ etiam ex parte rationem ἐπύμε explicant. Deinde res ipsa loqvitur. Qvæ enim à Johanne c.1 λόγῳ, & à Paulo Colos. 1,16. Hebr.1,2. filio DEI tribuuntur opera, creationis, conservationis, & similia; eadem de illâ, qvæ hic loqvitur, sapientiâ rectè prædicantur. Qvod si demum qvisq; est optimus suorum verborum interpres, adeamus Salomonem ipsum, suprà Prov.1,20.26.28.29.30.33. (Confer Jerem. 33,6.) & infra cap.30,1.4. Eccles.12,10. Credo, pro ratione Veteris Testamenti satis dilucidè se explicabit, qvod de unigenito DEI filio hîc agat: qvo posito fundamento, declaratur hîc ejus φιλανθρωπία, qvæ elucet indè, qvòd semper humanum genus de voluntate Dei erudierit, & viam

ad

ad cœlum docuerit, notatur ejus promptitudo v.1.2.3. & ipsa salutaris concio vers.4. Cujus exordium auditores reddit attentos, dociles, benevolos, præcipuè à præstantiâ doctrinæ, qvam affert, vers.6. Deinde suam constantissimam voluntatem, imò naturam indicat, qvòd sit sapientia omniscia vers.12. amet bonum, oderit malum, (iterum conferatur Psal.45,7.8.Heb.1,8)&verè gloriari possit,qvippè Deus verus,qvod sit ipsi sapientia & prudentia in consilio, ac robur in auxilio, qvæ qvia Deo soli ex se competunt Rom.16,27. 1.Tim.1,17. & 6,15. Matth.6,13.& inprimis 1.Chron.29,10.11.12. (diligenter expendatur) divinitatem hujus sapientiæ satis comprobabunt,qvæ qvòd sit excellentissima,imò infinita, plurali numero sola appellatur Proverb.1,20. & 9,1. Qvænam verò est ejus omnisufficientia & potestas? hæc scilicet, qvæ verè possit dicere, *Meum est consilium* de mundo creando & gubernando, de genere humano reparando, *imò qvi qvid est*, qvicqvid habet essentiam vel substantiam, hebraicè תּוּשִׁיָּה, cujus vocis emphasis est declarata Mich. 6,9. Vulgatus interpres habet æqvitas, sed malè; Meus est totus hic mundus,& qvicqvid in eo, qvomodo id vult, infinita sapientia & αὐτεξουσία ei competit, qvæ sunt verè divina attributa. Qvod ut tantò dilucidius perspiciatur, Spiritus sanctus hic mutat porro genus loqvendi, & sapientiam hanc ita introducit loqventem אֲנִי בִינָה *Ego sum prudentia* (Confer versus 12. initium) qvod nulla creatura de se verè & propriè dicere potest:

Nimirum idem omnes fallimur, neq; est qvisqvam,
Qvem non in aliqvâre videre sufficnum. Catullus
Possis; suus cuiq; attributus est error. ad Varum.

Interpretes pleriqve tamen hunc casum rectum vertunt per obliqvum, seu adjectivè, mea est prudentia, qvomodo similia vide apud Buxtorf. l.2. thes. cap.4. ann: *mihi* seu meum est *robur* לִי גְבוּרָה, qvicqvid volo, potens sum præstare & efficere. Confer Ephes.3,20. Phil.3,21. Lutherus p.m. priùs membrum specialiter explicat, seu eleganter, ut hoc loco sint velut paria membra, & more Scripturæ idem bis diversis explicetur vocabulis, Mein ist beyde Rath vnd That. & posteriùs, Ich habe Verstand vnd Macht ut sit תּוּשִׁיָּה illa vis, qvæ facit apparere cogitata, & cum animo deliberata: Id tamen

men si in genere accipimus, fortiùs inde videtur posse desumi argumentum.

I. Loc. Comm.

ACHitophelis consilium, qvum esset virmagnâ autoritate præditus, erat, ac si qvis consuluisset ipsum verbum DEI, 2. Sam. 16, 23. verùm qvia erat malum, consultori fuit pessimum 2. Sam. 17, 23. qvia Jehova præstituerat irritum id facere vers. 14. unde apparet, qvòd homo proponat, DEUS disponat Proverb. 16, 1. 9. & qvòd non sint viæ hominis in manu ejus Jer. 10, 23. Psal. 37, 23. Consilium igitur est Dei *originaliter*, qvia nemo est, qvi ei fuit Consiliarius Roman. 11, 34. Ante jacta mundi fundamenta hæc Dei sapientia dedit consilium de mundo & omnium in eo futuro Domino, homine creando, deq; eodem, qvum lapsurum prævideret, ac proinde longè antè de auxilio & remedio prospiceret, in se reparando Eph. 1. Bene audiit in Ægypto & merito suo Josephus, qvòd ex Dei instinctu id dedisset consilii, qvo non tantùm ejus regionis; sed etiam vicinarum incolæ in annonæ caritate sustentarentur Genes. 41, 33. Qvantò igitur magis laudanda est in æternum hæc Dei sapientia, qvæ à mundi initio omnia portat verbo suo potente? Hebr. 1, 3. & non tantùm in hâc vitâ conservat, verùm etiam post eam suos beat. Deinde consilium est hujus sapientiæ *principaliter*; qvia qvicqvid bonorum consiliorum excogitatur uspiam, huic sapientiæ est acceptū ferendum, & qvum illud nescitur, ad eam est confugiendum 2. Chron. 20. Huc omne principium, huc refer exitum, & benedic Jehovæ, qvi dedit consilium tibi Psal. 16, 7. Porrò consilium est hujus sapientiæ *salutariter*; ut enim rectè sub manus quicquam succedat, oportet illam adesse, & ad bonum finem omnia dirigere; & proinde si ea clementer benedicit, & nobis placet ejus consilium, est prorogatio tranquillitati nostræ Dan. 4. 27. Demum, ut alia omittamus, est consilium hujus sapientiæ *finaliter*; nempè facit, ut diligentibus Deum omnia cooperentur in bonum Rom. 8. & consilio suo deducit eos, ut postmodum accipiat in gloriam Psal. 73, 24. ut meritò hic glorietur; Meum est consilium.

II. Loc. Comm.

FAlsò Diabolus se jactitat Matth. 4. ostendens omnia regna mundi; Hæc tibi dabo. Infeliciter superbit & eructat Nebucadnezar Dan. 4.

hæc

hæc est illa Babylon, qvam ædificavi, qvia ille tantùm κατὰ δόξαν, hic verò κατὰ χρῆσιν & gratiam est Dominus: at hæc sapientia Dei, cui Pater dedit gentes hæreditatem, & possessionem fines mundi Psal.2. hunc titulum sibi jure vendicat; Meum est, qvicqvid est. Meum jure creationis Psal.102. Hebr.1. meum jure redemptionis est genus humanum Luc. 1. Tit.2,14. Ephes.5. meum est omne ratione conservationis Johan. 5, 17. Col.1,17. meum, ratione consummationis, qvod omne tandem mutabo Psal.102,27. meum est omne ratione subjectionis Psal 8.1. 1. Cor. 15. meum omne ratione directionis Prov.16,1. & 20,24. Psal.33,7. Actor.17 25. qvò possunt jam referri varia illa miracula, de qvibus in loco de providentia. Et horsum optumè potest trahi illa Lutheri versio, vnd Thaet. qvod qvicqvid egregiorum facinorum uspiam sit perpetratum, ab hoc Domino sit ortum, qvi vires & robur suppeditavit. Vide Psal.144.& 18. si verò omne, qvod est, est ipsius, ad ipsius gloriam etiam omne est referendum: nostrum corpus sit ejus templum 1.Cor.3. & 6. nostra anima ei benedicat Psal.103. nostræ opes eam in membris foveant Matth. 25. nostra lingua laudem ejus propaget, & sic de cæteris, vide 1.Cor.6, 19.20. & cum hoc loco confer.

III. Loc. Comm.

IN reliqvis rebus, qvia est aliqva compositio, id, qvod ei attribuitur, ab eo differt; verum Deus & attributa divina sunt unum & idem: unde hebræorum est illud; Deus est unum Numen: & de qvocunq; verè & propriè talis datur propositio, qvin ille sit verus DEUS ob simplicitatem, nullum potest esse dubium. Jam autem hic de illo, qvi loqvitur, talis propositio extat, & qvod propriè sit accipienda, ex toto contextu liqvet, Ergo. Potissimum verò notatur vocabulo hebræo בִּינָה talis solertia, qvæ novit, qvid in qvâcunq; re agendum, etiam juxta omnes circumstantias, in qvibus solet peccari ut plurimùm: cumq; jam dicit λόγον, hanc qvoq; suam esse; significatur, à DEO esse petendum, ut is nos erudiat, qvo non faciamus plus minusvè, cujus nos pigeat postea; qvod si fecerimus pro nostro modulo, id cum Salomone 1.Reg.3. exorabimus, qvi qvum fuerit omnium prudentissimus, qvod etiam ibidem probavit, cum hoc solo sapiente DEO (si parva licet componere infinitis) conferatur.

IV. Loc.

Quò mihi consilium, si non concedituruti? Benè igitur additur, mihi potentia ac robur, ut qvicqvid velim, possim. Ubi iterum, qvi nihil potest velle, nisi qvod possit, est DEUS: & proinde etiam is, qvi hîc loqvitur, siqvidem omnipotentia ipsa Dei ita solet describi in sacris, & saniores qvoq; Philosophi monent, rectiùs dici Deum non velle qvædam, qvàm facere eum ista non posse. Rex Israelitarum cogitur fateri suam impotentiam, inclamatus à miserâ fœminâ, Rex juva me: Unde, inqvit, servarem te? 2.Reg.6,27. sed iste Rex regum omnia potest Genes. 17, 1. κύριος παντοκράτωρ 2.Cor.6,18. & nunqvam manus est abbreviata Dei Exod.18,11. Esa.59,1. Imò nihil ipsi difficile aut mirabile, ita ut nesciat, qvomodo effici qveat, Genes.18. Zach.8,6. Jerem. 32,17.27. qvæ est verbi Hebræi נִפְלָא ἔμφασις. Salutentur jam Imperatores invictissimi, Reges potentissimi, Duces fortissimi: hic Rex gloriæ potens est in bello Psal.24. Potens in omni sorte; potens in ipsâ morte Psal 68. Hebr.2. Joh.10. Hæc igitur est Dei infinita majestas, qvâ omnia in mundo creavit, conservat, ac gubernat.

SECUNDA PARS.

FAcit verò hoc etiam sæpiùs mediatè, qvando utitur operâ Angelorum ac piorum hominum; & qvidem in statu politico magistratus, in qvo qvi sunt constituti propterea Deos vocat ob officium illud, qvod gerunt, divinum, nempè justitiam administrant & judicium exercent ipsi DEO, 2.Chron.19,6. qvi est totius terræ judex Gen.18. Rom. 3. ubi ne qvis putet, colendum esse tantùm superiorem illam potestatem, etiam reliqvorum inferiorum expressam hic facit mentionem. Confer Rom.13. 1.Petr.2,13 14. & ostendit porrò, qvod non tantùm ipsi sit sapientia & potentia (qvod hactenus in parte priori vidimus) sed qvod etiam constituat Reges, & det illis sapientiam ac intelligentiam, qvemadmodum in loco Danielis, huic parallelo, ac diligenter cum hoc conferendo, de vero DEO dicitur Dan.2,20.21. *In me* Hebr. בִּי i. e. per me, qvemadmodum etiam ἐν in Novo Testamento causam efficientem notat, ut alibi satis probatum confidimus Act. 17, 28. meâ autoritate muniti, meâ sapientiâ donati, meâ potentiâ confirmati (con-

(confer Devt.1,16,17. Num.11,17.18. Rom.13,1.2.) hoc est, per me, meâ solius gratiâ, qvod piè & rectè in titulis suis agnoscunt pii magnates, Præcipuè autem per me, si etiam in me manent, *reges regnant* suâqve potentiâ non abutuntur pro libidine ad bonorum oppressionem & Reges seu מְלָכִים qvi in linguâ Chaldæâ, maximè cognatâ hebrææ, nomen habent à dandis salutaribus consiliis, & in linguâ Græcâ propterea βασιλεῖς, qvasi βάσεις τῦ λαῦ, fundamenta populi sint, in qvibus omnis salus consistat, appelantur, & dominatores seu summates Hebr. רוֹזְנִים (de qvâ voce dictum est Psal.2,2.) *justitiam dicernunt* & certis statutis, qvæ Hebraicè nominantur חֻקִּים vel חֻקּוֹת & ab exaratione, descriptione, ac promulgatione in tabulis appellationem suam habere videntur suis subditis proponunt, qvid justum & injustum, qvid rectè, qvid secus fiat: & qvia חֻקִּים potissimùm in Veteri Testamento de legibus Mosaicis forensibus ad illam politiam accommodatis usurpatur, ubi erant umbræ: hebræum verbum hoc loco est generale, & notat talia ferre mandata, qvæ cum lege Dei non pugnent, sed pro ratione temporis ac loci optimè legi morali ac naturę qvadrent, & huic politiæ, cui proponuntur, conveniant. Vocem verò צֶדֶק, qvæ hoc loco extat, eleganter Græci interpretes, qvin etiam cum illis Spiritus sanctus, δικαιώματα Hebr.9,1. vertit, ubi qvia additur vox λατρείας, id innuitur, qvòd talia præcepta ad DEI gloriam ac cultum præcipuè debeant esse directa. Ad summam, is magistratus hìc intelligitur, qvicunqve habet jus condendarum legum, sive sint proceres Ecclesiastici, sive politici, sive superiores, sive inferiores. *Per me Principes gerunt principatum, & ingenui* Hebr. נְדִיבִים qvòd non tantùm ad animum, verùm etiam ad virtutes morales refertur, præcipuè verò magnificentiam ac liberalitatem; unde Salvator eos vocat Luc. 22, 25. ὁ εὐεργέτας, imò, ut summatim comprehendam, per me jus suum & superioritatem obtinent *omnes judices terræ.*

I. Loc. Comm.

MAgna erat dignitas, qvando Josephum Pharao, Mardochæum Assverus regiis ornant honoribus, & coram iis proclamandum

curant, hos esse illos, qvos velint ipsi Reges à subditis cunctis honorari: magna itidem erat Darii in Danielem benivolentia, qvando eum ex foveâ leonum extractum denuò evehit: longè major tamen est dignitas magistratus, qvem DEUS ipse constituit, etiam sæpè ex infimâ plebe erigit, Psal.113,7.8. & benivolentia, qvando non tantùm suum officium illi administrandum committit, verùm etiam honorem deferri mandavit maximum 1.Petr.2,17. Roman.13,7. & cùm sibi velit dari, qvod est DEI, etiam Cæsari jubet dare, qvæ sunt Cæsaris Matth.22. Hinc sapientia DEI, postqvam dixit, suam esse sapientiam & potentiam, & proinde indicavit, cultum merè divinum sibi deberi; nunc addit, qvales suos in his terris in statu politico vicarios agnosci velit, videlicet, qvòd per ipsam sint constituti, & propter ipsam honore afficiendi; tum verò in primis, qvando etiam in eâ manent (qvod particulâ hebræâ innuitur, ut dictum est) & nihil moliuntur vel præcipiunt, qvod sit contra pietatem vel honestatem. Id enim si fiat, DEO magis obediendum, qvàm hominibus, Actor. 4. & 5. neq; tamen rectè ac verè possunt illum honorem ac obedientiam flagitare; qvia non possunt affirmare, qvod in & per DEI sapientiam regnent: Absit tamen, ut propterea seditiones excitent subditi. Si enim etiam torvis ac malis dominis est certo modo parendum, putà in civilibus, domesticis, privatis rebus 1.Petr.2.vers.18. qvidni & pœnæ loco malum magistratum à Deo esse (licet non, qvà malum, qvod propriæ hominum culpæ tribuendum) & propterea subditos decere, ut se humilient sub potenti DEI manu, concludemus? Conferantur loca Jud.9,23. 1.Reg.12,24. Job.34,29. Prov.28,2. Esa.3.v.5 Omnes enim, qvi sine divino mandato gladium & potestatem hanc magistratus sibi capiunt, gladio peribunt Matth.26,52. & qvi DEI ordinationi resistunt, sibiipsis judicium accipiunt Roman.13,2. Hoc David benè perpendit, qvando Saulem, bis sibi in manus traditum, non vult occidere, sed licet injustum, tamen unctum Domini appellat 1.Sam.24, & 26. Et hæc monet particula prima eos, qvi subsunt: illos verò, qvi præsunt, docet, ut qvia omnia sua à DEO habent, ejusq; gratiâ sunt, qvod sunt; omnia etiam ad DEI honorem ac gloriam referant, ac in eo manere laborent. Qvemadmodum enim Paradisum irrigabat fluvius, ita omnia bona à DEO profluunt.

II. Loc.

II. Loc. Comm.

SI autem Reges per Deum regnant, qvæ dementia cepit Anabaptistas, ut illis obediendum esse negent? Vide Bellar. l. 3. de Laic. cap. 2. & qvâ ratione ipsi Pontificii, aut qvâ fronte audent magistratum Politicum ita contemnere, ut non tantùm clerum planè ei subtrahant in politicis; verùm etiam cum porcis alicubi comparent, ac Pontifici Romano subjiciunt, cùm tamen omnis anima Rom. 13,1. debeat esse magistratui subdita? In qvem locum vide Chrysostomum, & de doctoribus Ecclesiæ valeat illud Luc. 22,25.26. Vos autem non sic; qvia non sunt Reges mundani, cùm Christi regnum non sit de hoc mundo Joh. 18,36. & regibus mundanis hic & alibi in sacris regnum conceditur, non Ecclesiæ doctoribus, 1. Petr. 5,2.3. Olim qvidem in Veteri Testamento, ubi erat tempus umbrarum & Christus futurus simul Rex, Sacerdos, & Propheta præfigurabatur, unus Melchizedek Genes. 14. utramq; dignitatem simul obtinebat; Verùm in Novo Testamento distincti sunt hi ordines.

III. Loc. Commun.

QVia totus hic mundus esse meritò debet, & Ecclesia est DEI paradisus, illi qvi præsunt & in eminentiâ ἐξοχάς ὑπερέχουσαι comparantur cum cedris aliisq; præclaris arboribus, sub qvarum ramis subditi velut foveantur. Confer Dan. 4,7.17. Ezech. 17,22. Esa. 22,8. Jerem. 21,14. & 22,7. & 52,13. 2. Reg. 25,12. 2. Chron. 36,19. qvod propterea hîc monetur, qvia hebræum רוֹמְמִים magnam habet cognationem cum אֲרָזִים i. e. cedris. Vide præter reliqva loca jam adducta, egregium ad hanc rem Jud 9,15. Confer etiam Ezech. 28,13. & 31,8.9. qvòd si non ferant suo Domino fructum, qvomodo succidantur Dan. 4. indicatur.

IV. Loc. Comm.

QVid autem potissimùm spectabunt in suis statutis illi omnes proceres, & qvomodo in DEI sapientiâ & hi manent? si tantùm justitiam sectentur, injustitiam autem legibus salubribus exstirpent. Fiet hoc, si juxta primam decalogi tabulam ea statutis suis promoveant, qvæ ad veram ac sinceram religionem conservandam, ac cultum DEI pro-

pagandum faciunt, omnes hæreticos à finibus suis arceant, blasphemos, veneficos severè puniant, in profanantes Sabbatum animadvertant: juxta secundam tabulam, si politica statuta de servis ac Dominis, magistratu ac subditis, præceptoribus ac discipulis &c. de homicidiis, aliisq; injuriis, scortationibus, adulteriis, furtis, calumniis, promulgent & exeqvantur, juxta legis moralis & naturæ tenorem. Ita enim demum statuent, qvod justum est, ac unicuiq; suum tribuent, Moses, David Psal. 101. Salomo, Josias, Nehemias, & alii pii magnates erunt exemplo.

V. Loc. Comm.

QVando dicitur in &per me Principes principatum suum tenebunt: id denotatur etiam, qvod qvamdiu dignitatem suam obtinent, à DEO protegantur, & qvando ille non vult, ampliùs præesse neqveant. Vide Belthasarem, Sennacherib, Julianum. Est enim Princeps velut paxillus qvidam, à DEO parieti firmiter infixus, cui varia possunt appendi Esa. 22, 23. 24. qvem etiam nemo potest vel debet, inde refigere, nisi paterfamilias supremus, hoc est, DEUS. Etiam hoc qvod longævitas principum sit peculiare DEI donum Proverb. 28, 2. Cum DEUS tyrannos & abutentes suâ potentiâ citò soleat deturbare de suo throno Luc. 1, 52. Psal. 82, 5. & 55, 24.

VI. Loc. Commun.

PLeraq; boni magistratus reqvisita jam sunt indicata, nempe sapientia seu prudentia nomine Regis; dignitas seu majestas imperii voce procerum; autoritas vocabulo principis: nunc igitur qvarto loco apponitur humanitas erga subditos, qvâ omnes benevolè audit, & non fert qvantum in se est, ut qvis tristis è suo conspectu abeat. Id enim est hominis verè liberali ingenio præditi, velle omnibus benefacere ac benefieri, qvod indicat etiam nomen Hebræum cognatum נְדִיב qvod voluntariam oblationem ac benivolentiam non fucatam, qvæ re declaratur ipsâ, req; juvat, ubi re opus est, significat. Hoc ut indicaret Ezechiel cap. 28, 14. Regem Tyri vocat Cherub i. e. talem, qvi faciem humanam, non leonis, ursi, apri, habeat: qvòd sibi dictum putent tetrici Nerones, Decii, Caligulæ & similes.

VII. Loc.

VII. Loc. Comm.

Denique ultimis verbis diligentia ac justitia ab illis reqviritur, dum nominantur judices terræ, divino illo fungentes munere, ut jus administrent inter homines. Qvò pertinet, qvod magistratus sit velut Angelus Domini, à qvo exulare debent omnes pravi affectus 2. Sam. 14, 17. Idq; tantò magis, qvod sciant, in cœlis esse judicem, qvi ab illis qvoqve sit exacturus rationem, in qvâ si integritatem suam DEO probabunt, maxima præmia olim reportabunt. (Confer hæc dicta Scripturæ Eccles. 8, 9. Proverb. 18, 17. & 20, 8. 26. Thren. 3, 35. Luc. 18, 2. Job. 29, 24.) Id ut omnibus piis Regibus, Ducibus & aliis magnatibus contingat, omnis Christianus subditus ex corde petat 1. Tim. 2, 2. Amen.

DOMINICA XXIV. POST TRINITATIS.

Rom. 2, 4 5.

SAlomo Simei, jam mortis reo, dat veniam hâc conditione, ut maneat Jerosolymæ, unde si exeat, futurum, ut interficiatur. 1. Reg. 2. Christus hominem jam damnationi destinatum miseratur, & recipit in gratiam, hâc lege, ut maneat in Ecclesiâ dignum se gerens Evangelio, ejusq; beneficio: Qvod si non fit, sententiam latam tandem exeqvitur, morti æternæ eum addicens; qvod Paulus hîc declarat. Partes, ut versus possunt esse duæ:

I. *Numinis spreta condonatio.*

II. *Hominis talis certa condemnatio.*

Dixit sapiens, memento finis & non peccabis Syr. 7. Domine, doce nos numerare dies nostros, ut evadamus sapientes Psal. 90. Sit nobis in conspectu æterna salus, & inferna palus.

PRIMA PARS.

IN priori Deus de se est bonus. Augustini illud: *Domine, da mihi noße te, noße me* hîc docet Apostolus. In Deo monstrat tibi. 1. *Benignitatem*, qvâ cuncta tibi donat, eamq; divitem & amplissimam (qvod abstractũ pro concreto & Hebraismo notus indicat) qvæ nunqvã exhauritur. Qvid habes ô homo? 1. Cor. 4, 7. Hâc igitur χρηστότητι utere, rectèq; ad usum transfer. 2. *Tolerantiam* in tuis malis culpæ, qvando peccas; id enim notat ἀνοχὴ ab ἀνέχομαι, id est, fero cum tolerantiâ (ἀνέχεσθαι

ἀπέχου sustine & abstine.) 3. *Longanimitatem* qvando perseveras & pergis. 4. *Finem*, qvem spectat, conversionem hominum & salutem. Ducit his omnibus ad pœnitentiam. Talis est DEUS, summè bonus: qvales homines? pleriq; α, contemnunt hæc omnia, καταφρονεῖς, sentis adversus DEUM, & malam de eo concipis opinionem. β, Ignorant. Ut hoc ad intellectum, ita illd ad voluntatem pertinet.

I. Loc. Commun.

DE DEI bonitate in omnibus vitæ partibus in creatione, redemptione, sanctificatione, bonis spiritualibus & corporalibus.

II. Loc. Comm.

DE ejusdem longanimitate, qvæ major, qvàm ut possit qvis eam mentis acumine comprehendere, nedum eloqvio satis dignè extollere. Exempla sunt in antidiluvianis, Sodomitis, Cananæis, Judæis.

III. Loc. Comm.

DE hominum in Deum optimum injuriâ. Pro beneficio malam rependunt gratiam: per omnes ordines ostende.

IV. Loc. Comm.

DE eorundem incuriâ, qvòd non qværant ea, qvæ ad salutem suam. Luc. 19. Vide Soph. 3, 5. Confer cum cœco Simsone, qvi in seipsum domum evertens periit, Sic homo mundi hujus opes.

SECUNDA PARS.

IN Posteriori, Deus de nostro justus. Notanda autem hic est 1. *Culpa*, 2. *Pœna*, 3. *Ejusq; hora*. Qvando Moses educebat Israëlitas ex Ægypto, si qvi nollent eum seqvi, tandem cũ Ægyptiis peribant; sic qvos Deus ducit vel ducturus est suâ bonitate ad pœnitentiam, ut per eam ad vitam æternam, terræ sanctæ qvoddam antitypon, perducantur, si resistunt cum uxore Lothi Luc. 17. vel refugiunt retrò Joh. 6, 66. Luc. 9, 62. suâ culpâ intereunt, id qvod nunc porrò declaratur. Multi sunt similes Bileamo, qvi optant qvidem mori beatè, ut justi, sed nolunt vivere piè: ideoq; non est mirum, qvod cum eo inter infideles dum permanent, cum iisdem occidantur. *Culpa* ita describitur: tu autem secundum vel propter duritiam tuam, qvam non passus es emolliri per legis malleum & verbi divini ignem Jer. 23. qvamq; præter originalem, qvam

omnes

omnes homines habent, multis peccatis actualibus auxisti, qvemadmodum via dura redditur, si sæpè teratur, propter duritiam illam tuam, non qvam Deus absoluto decreto immisit, verùm propter antegressa scelera te in eâ tuâ duritiâ reliqvit, non impertiendo extraordinariè gratiam, qvum ordinaria media spérneres; qvod notat alterum membrum, nempè juxta cor tuum pœnitere nescium, qvando Deus te ad pœnitentiam volebat adducere: qvæ certè magna culpa est, & lata, ita resistere Deo & Spiritui sancto Act. 7. ut meritò conqveratur, qvid facere debui vineæ meæ, qvod non feci Esa. 5. qvæ autem manet hanc *pœna?* omnium maxima, nempe DEI ira, eaq; vehemens. θησαυρίζεις, velut magno studio comparcis, & in futurum reponis tibi ipsi, non alii, non inimico, iram; & illam, qvâ nihil tristius excogitari qvicqvam potest, aut formidabilius. Nam qvando tibi DEUS iratus est, qvis te potest ejus manibus eripere? qvò potes aufugere, ubi tutus sis? Amos 9. Psal. 139. Si Rex tibi est infensus, aut dux; ex ejus regno aut ducatu excedis, vel asylum apprehendis: Hic nulla elabendi via. In mundo, velut magnâ caveâ, semper te DEUS tenet conclusum, & vivum & mortuum. *Qvando* autem hanc pœnam potissimùm imponit? in die iræ & revelationis justi judicii Dei, hoc est, in extremo judicio, qvando tandem reddet unicuiq; secundum sua merita, & eò præcipua præmia & pœnæ differuntur 2. Thessal 1. Hunc igitur diem iræ conéris prævenire, obviam DEO ire seriâ contritione, gratiæ apprehensione, vitæ emendatione.

I. Loc Comm.

DE induratione: unde illa? præcipuè ex *homine & Diabolo*; deinde etiam Scripturæ stylo, sed sano sensu accepto, à DEO, ratione consequentis voluntatis, qvatenus flagitia obstinatorum punit, deserendo hominem, subtrahendo gratiam, qvam nefariè sprevit oblatam, & non denuò extraordinariè communicando novam, ut in Pharaone videre est. Moneat nos illud, ut tempus gratiæ acceptemus, ne post cum fatuis virginibus nimis serò desideremus Matth. 25. Josua ad os speluncæ, ubi delitescebant Reges fugitivi, advolvebat lapidem: At Deus qvando in Diaboli palatio concluси homines, qvum poterant, nolunt egredi, lapidem ulterius & violenter non revolvit. Confer suspiria mulierum piarum Marc. 16.

II. Loc.

II. Loc. Comm.

EX corde omnia mala prodeunt Matth.15. Homo igitur totus peccato originis est corruptus, qvod est notandum contra Pontificios. Scriptura enim ipsum intellectum, & præcipuas animæ vires, unde consilia oriuntur, cordis nomine apellat. Vide autem cordis pravitatem summam Genes. 6. & 8. A DEO est ipsum, & homo omnia habet, etiam tum qvando offert cœlum & omnia bona, reluctatur DEO 2.Sam.19. & non vult à malo ad bonum, à Diabolo ad Deum reverti. Barsillaum multi mirantur, qvòd, cùm David ei suam aulam offerret, non se eò contulerit: at hîc mireris justiùs, qvòd homines vocati in aulam cœlestem, nolint eò se conferre.

III. Loc. Commun.

QVemadmodum in magnum thesaurum multa cumulantur, & ex eò diu potest vivi; ita etiam in hunc thesaurum iræ multum fervoris reponitur, & deinde effunditur in omnem æternitatem. Cogitent hoc avari, qvoties thesaurum cumulant, & omnes alii, qvoties de eo cogitant. Pharao arcem exstruebat, in qvâ thesaurum suum, bona sua, reconderet: at hi omnis generis mala sibi cumulant improvidi.

IV. Loc. Comm.

QVid exultant impii in hac vita, qvando omnium rerum abundant? Psal.37. & 73. qvid contrà nimis mærent pii, qvando affliguntur? Job.21. Jer.12. Erit aliqvando læta & grata vicissitudo, ubi impii illi divites, ne qvidem guttam aqvæ habebunt Luc. 16. contrà Deus ipse erit omnia in omnibus beatis, 1.Corinth.15. Hoc donet nobis æterna charitas, ut detur nobis chara illa gaudiorum æternitas, sicut promisit æterna veritas, Amen.

DOMINICA XXV. POST TRINITATIS.

2. Cor. 5, 20.

QVando Abraham suo filio unico erat daturus uxorem, servum suum seniorem (sine dubio ipsum Eliezerum confer Genes. 24,2. & Genes.15,2.3.) advocat, & ablegat in Mesopotamiam, ut inde conjugem adducat. Hic promittit fidelitatem, eamq; summam præstans,

præstans, adducit eximiam conjugem; qvæ cum videbat suum futurum herum, humiliter & amicè ei occurrit. Potest qvædam comparatio institui inter hunc servum & ministros verbi. DEUS pater enim, qvi verissimè est pater magnæ multitudinis, qvippè pater & creator omnium Mal.2. suo filio unigenito, Jesu Christo, qværit sponsam, Psal. 45. Cant. 1,2. Matth.22. Vocat igitur ministros, eosq; vel ætate vel consilio graves. i.e. qvandoq; juvenes, qvi *Ante annos animum q; gerunt curam q; virilem*, qvibus ipse dat vires & robur, & omnia ad tam arduum officium necessaria, ut ipsi meritò fateantur, se esse Eliezeros, hoc est, eos, qvos DEUS juvat. 1 Cor.15,10. Hos mittit in Mesopotamiam, seu totum mundum, aut terrarum orbem, qvi in mediis undis velut pendet, ut inde sponsam adducant. Fideles igitur Dei legati nihil habent antiqvius, qvàm ut id efficiant, ac Christo puram virginem despondeant 2.Cor.11, 2. qvæ se coram Deo suo humiliet, Mich.6. Id Paulus 2. Cor.5,20. declarat. Partes possunt constitui duæ.

I. *Legatorum autoritas.*

II. *Eorundem verborum cum instructione suâ conformitas.*

Domine, ut promisisti, effunde super servos tuos de Spiritu tuo. Joel.2. Actor.2. & nobis da illam mentem, ut exemplum Rahab secuti Hebr.11,31. tuos servos cum pace excipiamus, ne malis decreta pœna nos opprimat Matth.22,6.7.

PRIMA PARS.

MAgna erat Mosis, ad Pharaonem ablegati, apud Israëlitas autoritas, inprimis qvando jam eos eduxerat ex Ægypto & per mare rubrum salvos deduxerat Exod.14,31. non minor esse debet reliqvorum DEI servorum, ad nos missorum, dignitas, qvia & illi ex infernali Ægypto nos liberatum, & per mare malorum traductum in portum vitæ æternæ veniunt. Si qvid igitur juvat legati excellentiam legantis potestas, majestas, & dominium; nemo est, qvi his præferri potest, siqvidem à Domino dominorum, à Rege regum, nempè Deo ipso mittuntur cum plenariâ instructione, & certo respectu eodem modo, qvo ipse DEI filius Joh.20,21. Notari verò in hâc priori parte possunt membra tria. 1. Qvodnam sit eorum officium. 2. Cujus nomine id suscipiant. 3. Qvomodo id expediant. Vulgus. Alter schadet der Thorheit nicht/ besser Alte/ als keine Thoren. Πρεσβύτερον, inqvit Apostolus, le-

gatione fungimur, Wir kommen Legations weise/ non noſtrâ ſponte, non de rebus levibus, non temerè: ſed publicâ fide & autoritate inſtructi, & qvidem ut ſeniores vel numero annorum, vel bonitate morum, vel ætate, vel ſaltem ſapientiâ, & prudentiâ & conſiliis inſtructi, ἅμα πρέσβω καὶ ὀπίσω λέυσοντες, qvi multa viderunt & experti ſunt in rebus gerendis, qviq; propterea in honore & precio magno habendi ſunt (illa enim omnia verbum πρεσβέυω complectitur; inprimis ſi qvis ἔτυμον ejus ſpectet) Confer Epheſ.6,20. Luc.14,32. & 19,14 Philem.9. 1.Tim.5,17. Deinde cujus ſunt hi legati? non eqvidem Abrahæ Geneſ.24. non Davidis 2. Sam.10. non Regis Babyloniæ 2. Reg. 20. Eſa.39,1.2.3. ſed Chriſti, *pro Chriſto* adjicit Apoſtolus, qvi eſt æternus Deus, filius Dei unigenitus ac proprius, qviq; omnia creavit non modò, ſed etiam genus humanum morte ſuâ redemit, factus homo, cuiq; ſecundum humanam naturam in tempore data ſunt omnia, qvæ ſunt in cœlis & in terrâ: pro tam potenti imò omnipotenti & omniſcio, ac maximè φιλανθρώπῳ Domino funguntur legatione. Qvomodo autem & qvid afferunt, anne novum decalogum, vel minas, & tonitru cum Moſe? Non ita: ſed hoc modò, ut Deus ipſe hortetur, & obſecret per eos, patiantur ſibi per hos legatos cœleſtia bona offerri & conferri in verbo ac ſacramentis: ita enim ὡς pro verè (vide ad 1.Cor.4,1.) hoc loco rectè poteſt accipi, qvòd innuit vetuſta illa, & in plerisq; ſatis venuſta Syra verſio, dum ita hoc loco reddit: Legati ſumus pro Chriſto, & ita ac ſi ipſe Deus peteret à vobis, per manum noſtram promitti, dum noſtrâ hominum ad tam divinum opus utitur operâ.

I. Loc. Comm.

QVando miniſtri verbi omnia reqviſita qvis ſcire deſiderat, ſciat eum eſſe debere πρεσβευτὴν, πρεσβύτην, ſeu πρεσβύτερον, ſeniorem, à DEO legatum, hoc eſt, primùm ſit legitimè vocatus, deinde tamen, qvando in ſacris literis diſcendis conſenuit, & multos annos ſacra diligenter tractavit, qvum voluit priùs diſcere, qvàm dicere, qvod etiam noſtros, nomen Preſter/ ex græco factum, monere poterit.

rit. In Vet. Testamento erat lex Num. 4. & 8. ne qvis Levita ante annum trigesimum publicum suum obiret officium, ne qvid per imprudentiam admitteret: at qvantò majus opus & onus est, esse ministrum Novi Testamenti? de qvo exclamat Apostolus 2. Corinth. 2, 16. & adhæc qvis idoneus? Licet igitur cum Veteri Testamento illa lex ceremonialis sit antiqvata; tamen non semper manet, illos tantùm rectè posse tam arduo præfici muneri, qvi sunt vel ætate vel ingenio senes, ac sapientes; in qvibus ingenium cœleste suis velocius annis surgit, qvalis erat immediatè vocatus Samuel, Jeremias; & mediatè Timotheus, & de ordinariè vocandis qvibusdam juvenibus valet illud: Ingenio, non ætate adipiscitur sapientia. Vide Sapient. 4, 8. 9. & si qvis juvenis vocatur divinitus ad præscriptum Apostoli, qvod deest annis, compenset animis & virtutibus, 1. Timoth. 4, 12. & cum Salomone Deum ardentibus votis invocet, 1. Reg. 3, 7. & aliorum legatorum Dei, præcipuè Prophetarum & Apostolorum vestigiis fideliter insistat. Non labetur, si hos audierit. Sint igitur ministri verbi in omnibus circumspecti, ut senes & legati: sint etiam apud auditores in precio, qvemadmodum illi.

II. Loc. Comm.

DAvid volebat suos legatos apud Regem Hammonitarum non ignominiosè tractari, qvod cum præter spem fieret, ita ultus est tam atrocem injuriam, ut illi regnum eriperet, & populi partem in fornacem Moloch conjiceret, 2. Samuel. 10. & 12. ita verus ille David Hos. 3, 5. Amos 9, 11. Ezech. 34, 24. DEO patri dilectus filius Matth. 3. Christus Jesus, suis legatis vult exhiberi honorem, & præstari obedientiam Hebr. 13, 17. Qvod qvi non faciunt, seipsos suâ culpâ privant regni cœlestis hæreditate, qvam habere poterant, si eos audivissent; & in ignem inextinctum inferni conjiciuntur. Semper igitur sit nobis in memoriâ, esse illos Christi legatos, & servos DEI altissimi, qvi annuntiant nobis viam salutis Actor. 16, 17. Christi qvum dico, hoc volo, eum esse verum nostrum Prophetam, sine qvo veritatem ignoramus; nostrum Regem, sine qvo pacem, & in cœlis paratam civitatem non habemus; nostrum Sacerdotem, sine qvo remissionem

peccatorum non impetramus: qvæ omnia mala nos manent & Christi ira, si legatos ejus non suscipimus debitâ cum reverentiâ. Qvæ vidua recipiebat Eliam, hoc præmii loco reportabat, ut in fame sustentaretur: Sic qvi legatos Christi honorant, hoc tandem retributionis loco auferunt, ut & hîc panè vitæ, & pòst omni gaudiorum amœnitate fruantur.

III. Loc. Comm.

AD hoc porrò nos excitet, qvòd DEUS ipse per eos nos hortetur. Si qvis vocem amici non temerè rejicit, qvis patris, creatoris, & redemptoris sui vocationem tàm suavem nefariè contemnat? nemo, nisi qvi se in æternam mortem velit præcipitare. Qvando Israëlitæ saltem rogabant, sibi à qvibusdam concedi, per suos fines transitum, idq; non impetrarent, postea ex mandato DEI eos exscindebant: ecce! DEUS stat etiam ad ostium, & pulsat Apocal. 3. vult intrare & mansionem apud te sibi parare Johan. 14. offert tibi cœlum & omnia sua bona, si denegas hospitium, vide etiam te manens exitium. Si jubet Princeps aut Rex; jussa capessis: qvantò magis, si rogat? At hîc rogat DEUS, vide ne neges, qvod tuo bono promittes. Qvando Gideon suis militibus aliqvod subsidii petierat à Succothanis & civibus Penuel, iiq; superbè negassent Jud. 8. postea miserè cruciabantur. Qvantò magis hoc metuendum, qvando Christus te rogat, ab ipso oblata beneficia recipias, si superbè renuas, ne te qvoq; qvi inhabitas tugurium corporis fragilis 2. Corinth. 5, 1. & videre potes Dei faciem in Ecclesia Num. 6. Psal. 67. malis cruciatibus tandem perdat. Et hæc de legatorum autoritate, qvæ & ipsos moneat, ut dignè se illâ gerant; & auditores, ut benignè excipiant, ac obediant.

SECUNDA PARS.

SAlomo ædificaturus DEO templum cum Chiramo agit, ut ipsi ligna suppeditet, ipse autem dat vicissim ei frumentum & civitates non magni pretii, 1 Reg. 9, 13. 1. Reg. 5. Non tam mira est hæc permutatio, & non tam magna est Salomonis beneficentia, qvàm Christi, qvi qvando est ædificaturus suam magnam domum seu Ecclesiam

siam 1. Timot. 3, 15. 2. Timot. 2, 20. cum hominibus maledictioni & excommunicationi (qvæ Hebraicè dicitur חֵרֶם ab eâdem Radice, unde nomen habet חֵרֶם) obnoxiis agit, ut sibi ex seipsis patiantur, fieri ligna & lapides ad hoc spirituale ædificium Ephes. 2, 21. Amos 9, 9. qvodsi impetrat, dat illis panem vitæ Johan. 6. & civitatem in cœlis manentem Hebr. 13, 14. qvam DEUS paravit Hebr. 11, 16. Confer Hebr. 12, 22. Apocal. 3, 12. & 20, 9. & 21, 2. & qvum poterat DEUS istos omnes jure perdere; ex gratiâ & misericordiâ illis sua omnia offert, ac ut recipiant, obsecrat per suos ministros. Audi Apostolum, de se suisq; collegis ita loqventem. Qvia audivistis, qvod pro Christo legatione fungamur; attendite, qvid proferamus: *Rogamus*, qvasi indigeremus, ut re necessariâ, δεόμεθα, *pro Christo*, qvi tamen est αὐτάρκης.

Ipse suis pollens opibus, nil indigus horum. Rogamus vos, non tam, ut aliqvid ipsi detis (qvod enim habetis, qvod non acceperitis ab eo?) qvàm ut saltem manum porrigatis recepturi, qvod datur. Qvod ut fiat, scitis, peccata inter vos & DEUM divisisse Esa. 59, 2. DEUM etiam vobis iratum Joh. 3, 36. & vos esse inimicos DEI Roman. 5, 10. ac filios iræ Ephes. 2, 3. Nunc igitur nostrâ legatorum operâ *reconciliemini vicissim DEO*, καταλάγητε τῷ Θεῷ, date operam, ut pro vestrâ inhærente injustitiâ, justitiam Christi imputatam recipiatis fide, & ita fiat grata qvædam permutatio, vosq; DEO dehinc addicatis planè, ipsiq; per totam vitam deinceps serviatis, à priori vestrâ conversatione alieni; Qvæ omnia verbo καταλλάττομαι continentur. Est autem reconciliatio vel antè facta per Christum, passione eam acqvirendo Roman. 5, 10. 2. Corinth. 5, 19. eaq; est universalis, ad totum mundum spectans: vel adhuc facienda, applicando in nobis per pœnitentiam, qvam efficiant ministri verbi, dum ex verbo & Scriptis fidem concipimus, eaq; hoc loco denotatur v. 18. 19. & 20.

I. Loc. Comm.

SI miramur, qvòd Pharao Josephum, Nabucadnezar Danielem ad clavum Reip. collocat, qvòd Saul Davidem generum suum facit:

qvantò magis ſuſpicere & prædicare debemus, qvòd DEUS homines ad regnum cœleſte, vocet, ſuosq; filios efficiat; (illi enim iſtis indigebant, hic hominibus non item) in ſeipſo beatus, & tamen ita rogat ſeriò, ac ſi indigeret, qvæ ſumma eſt φιλανθρωπία. Vide ſapientiam DEI in plateis cantantem, & ſtultos invitantem Prov.1,20. & 8,1. Conſidera DEUM per ſuos miniſtros advocantem Luc.14. Matth.22. expende dulciſſimam cum gallinâ inſtitutam comparationem. Matth.23. etiã non omitte illa dicta Eſa.65,2. Ubi DEUS dicitur extendere manus toto die ad populum rebellem: ubi deflet interitum pereuntium Luc.19. qvem tamen non vult Ezech.18,32. & 33,11. & ſcies aliqvo modo ἔμφασιν verbi Græci δεόμεθα, exclamabisq; cum Moſe Devter.33,3. Qvàm valdè diligis populos! ô Domine, animarum amans Sap.11,27.

II. Loc. Commun.

QVando Huzzia, jam confirmatus, ſeſe efferebat contra Jehovam, leprâ percutitur: Sic Adam, in qvo erat robur ſeu imago DEI, qvando rebellabat contra DEUM ſuum, leprâ peccati & ipſe & totum genus humanum inficiebatur 2.Chron.26. Ut autem à leprâ jam purgatum abſolvebant, & recipiebant in cætum Eccleſiæ Sacerdotes: Sic etiam miniſtri verbi in Novo Teſtamento. Qvi igitur cupis jam ejectus recipi, hos legatos adi, qvibus datæ ſunt regni cœlorum, ſeu cœleſtis paradiſi claves Matth.16,&18. Qvod ſi autem cum Jeroboamo, malo vis afficere DEI legatos, exareſcit fidei tuæ manus, 1.Reg.13. Nec poteſt reſtitui, niſi illi viri DEI pro te orent, teqve DEO reconcilient.

III. Loc. Commun.

QVi ergò fit, dicat qviſpiam, qvòd tam multi damnentur, qvum DEUS velit omnes homines ſalvos fieri, & omnibus etiam Evangelium prædicent legati Chriſti, ſiqvidem id futurum eſt omni populo Luc.2,10. Ratio in promptu eſt, qvia nolunt per pœnitentiam veram cum DEO reconciliari, non ſe humiliant coram DEO, Mich.6. nec cum ſervo debitore agnoſcunt ſua debita, nec ea ſibi condonari rogant, vide Matth.18. Aut ſi ad Eccleſiæ gremium ſe conferunt, ſaltem hypocriticè pietatem ſimulant, pœnitentiamq; fingunt, non agunt; ut

ut Christus meritò conqveratur cum Davide ex Psal.18,45. alienigenæ mendaciter se dedunt mihi. Jam qvære, in qvo causa damnationis hæreat? non in DEO, qvi Salvatorem mundo dedit, suosq; legatos jugiter emittit, ac per eos homines rogat, ut secum redeant in gratiam, secum in amicitiam coëant, & fœdera jungant; at illi nolunt Matth. 23. renuunt Prov.1. O cæcitatem cordis! O pravitatem voluntatis! Dominus rogat, servus denegat: en numinis promptitudinem adignoscendum, & hominis tarditatem ad agnoscendum. Et tamen salvari homo non potest, nisi cum DEO, cujus justitiæ oportet satisfieri, transegerit per vadem nostrum Jesum Christum, qvi solvit, qvod non rapuit Psal.69,5. & λύτρον dedit pro mundi peccatis. 1. Tim. 2. Qvod si verò legatos DEI cum gaudio excipimus, & ex eorum officio reconciliamur DEO, jam ira DEI est sedata, & cœli janua reserata. David qvidem per Jonathanem tentat reconciliationem cum Saule; sed frustra: at pro qvo Christus intercedit, is certò in gratiam recipitur Rom. 8,31.33.34. 1. Johan.2,1. cujus Christi faciem pater nunqvam aversatur. Psal.84,10. & 132,10. Suscipe igitur, ô homo, DEI legatos, ut sis hic inter reconciliatos, & olim inter verè beatos. Id donet nobis Christus ob nominis sui gloriam, Amen.

FINIS.

Matt: 2. p. 13. 14. 15. da die aber fuhren ꝛc. zu nehmen ..... p. 54.
Ps. 72. p. 9. 10. für ihm aber sich ꝛc. zu fallen ..... 62.
Deut: 6. p. 5. 6. 7. diesel den sol ꝛc. sagen etc ..... 69.
Gen: 2. p. 18. es ist nicht gut das ꝛc. sein soll ..... 78.
Exod. 13. p. 26 (27) als sie dein kinder ꝛc. sprechen ..... 86.
Ps. 96. ..... 93.
Es. 5. p. 1. 2. aber es ist alles ꝛc. Hanen ..... 101.
Eph. 2. p. 8. 9. 10. durch glauben ꝛc. aber nicht auch ..... 110.
Heb. 10. p. 35. 36. werfet euer ꝛc. empfahet ..... 119.
Ps. 8. p. 6. 7. du hast ihn gemacht ꝛc. füße ꝛc. ..... 127.
Eph. 6. p. 16. 17. 18. über alles nehmet ꝛc. bei ein. ..... 134.
Ps. 25. p. 9. 10. Leit mich in seinem gerichte ꝛc. ist ..... 144.
Ps. 25. p. 9. 10. Verleuret sich die demut ꝛc. suchen ..... 152.
Luc: 11. 28. Aber sie sprach ꝛc. hören und halten ..... 156.
Matt: 11. 28. 29. 30. kommet her zu mir ꝛc. last ist ..... 165.
Ps. 40. 7. 8. 9. siehe ich komme ꝛc. ist mein ..... 176.
Joh: 14. 19. Es ist noch ein kleines ꝛc. ..... 182.
Ps. 49. 14. 15. 16. diese ihr schafe ꝛc. ..... 188.
Ps. 50. 15. rufe mich an in der ꝛc. ..... 194.
Psalm. 30. 7. 8. 9. Herr du hast mich ꝛc. bitte ich dich ..... 200.
Ps. 143. 10. lehre mich deinen willen ꝛc. ..... 207.
Luc: 23. 11. Da hat ihn also ꝛc. ..... 211.
Thren. 3. 21. 22. 23. Das gute ist dass ꝛc. ..... 221.
Es. 58. 7. 8. 9. Ist es nicht das du ꝛc. dein brot ꝛc. ..... 228.
Ps. 127. 1. 2. Wo der Herr nicht ꝛc. Herr behüt ꝛc. ..... 237.
Jer: 23. 5. 6. Siehe es kommt die zeit ꝛc. ..... 245.
Ps. 145. 15. 16. Aller augen warten ꝛc. ..... 255.
Heb. 13. 17. Gehorchet ihren lehrern ꝛc. ..... 260.
Luc: 20. 15. Da er nun so ꝛc. gethan ꝛc. ..... 270.
Exod. 1. a. ff. 25 usq. 28. ..... 280.
Ps. 23. 4. 5. 6. Ja ich gehe ꝛc. ..... 289.
Es. 38. 3. 4. 5. 6. 7. gedenke doch ꝛc. mit dem ꝛc. ..... 297.
Ps. 14. 7. Ach das die hülffe ꝛc. ..... 300.
Ps. 106. 2. 3. Wer kan die grosse thate ꝛc. ..... 307.
Ps. 86. 7. 8. Denn du bist gros ꝛc. ..... 312.
Ps. 86. 7. 8. Denn du bist gros ꝛc. ..... 316.
Ps. 68. 21. Du hast deine ꝛc. ist gleiches ꝛc. ..... 321.
Ps. 55. 22. 23. Wirf dein ꝛc. ..... 327.
Jer: 9. 23. 24. Ein jeder sehe ꝛc. ..... 333.
Ps. 103. 3. 4. der alle deine ꝛc. ..... 338.
Psal. 2. 19. 20. Herre mein ꝛc. ..... 345.
2 Cor: 13. 5. denket ihr nicht ꝛc. ..... 351.
Eccles. 12. 13. 14. Lasst uns die ꝛc. ..... 357.
Prov. 8. 14. 15. Mein ist ꝛc. ..... 367.
Rom. 2. 4. 5. Oder verachtest du ꝛc. ..... 371.
2 Cor. 5. 20. So sind ꝛc. wir an ꝛc. ..... 371.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730466876/phys_0388
DFG

COMMENTARIUS
IN CAP. IX. ESAIÆ.

ESther 8. Estheræ cognatus Mardochæus à Rege ubi fuit ad maximam hanc dignitatem evectus, ut veniret in conspectum Regis, potestatemq; haberet annulo Regis obsignandi decreta publica; Judæi ipsius operâ sunt liberati à violentiâ Hamanis, aliorumq; inimicorum suorum; atq; ita erat eis lux & lætitia, gaudium & gloria v.16. multiq; ex populis terræ Judæi fiebant v.17. Si parua licet componere magnis, & instabilia æternis, humana divinis; *cum Estherá* (qvæ ratione ἐπώνυμα notat occultam, siquidem est à radice סָתַר abscondit) conferamus Ecclesiam Judæorum, qvæ non modo ab hostibus sæpe pressa latuit in cavernis 1. Sam.13,6. & 14,23. verùm etiam, respectu fidei, qvandoq; hominibus fuit invisibilis, ut tempore Eliæ 1.Reg.19. Roman.11,2.3.4. imò ejus decor verus, ac ornatus est ab intus Psal.45. in homine illo occulto cordis 1.Petr.3,4. *Cum ejus cognato* Christum Jesum, mundi Salvatorem, qvi ex Judæis secundum carnem Matth.1. Luc.3. Rom.9,5. qviq; si omen nominis Mardochæi (compositi ex מַר & דָּכִי id est, amaritudo contritionis) explices, pro nobis valdè fuit contritus Esa.53. Is ubi à DEO Patre Rege Regum fuit constitutus Propheta, Rex, & Sacerdos Ecclesiæ, qvi semper pro eâ intercederet apparens in conspectu ejus, imò sedens ad ejus dexteram, Rom.8. Spiritu suo velut annulo obsignavit corda credentium 2.Cor.1,21.Ephes.4,30. qvemadmodum plura exempla in Actis Apostolicis consignata testantur, ac suâ passione ac morte, imò etiam totâ vitâ ab hostibus suis genus humanum liberavit, ut exponit tota Evangelica historia. Atq; idem qvando publicè prædicare ac promulgare incipiebat hoc decretum Patris sui (ut Mardochæus per literas Judæis significabat, tempus liberationis advenis-

se) tum Judæi omnes, id est, confessores ejus veri, qviq; cum gratiarum actione tantum oblatum beneficium recipiunt, viderunt lucem, conceperunt in corde verum gaudium, & qvi in fide perstant, æternâ tandem beantur gloriâ; qvod ubi postea per Apostolos in totum mundum spargebatur, multi ex gentibus se aggregarunt Judæis, qvemadmodum Esaias cap. 9. prædixerat, & Evangelista Matthæus sub initium prædicationis Evangelii à Christo factum in Galilæâ completum esse narrat. Tum enim populus, qvi hactenus ambulavit in tenebris, vidit lucem, tum lætati sunt coram ipso velut in messe; tum deniqve pax & gloria est restituta per principem pacis. Dignum sanè hoc oraculum, qvod probè expendatur, qvum tanti id fecerit Spiritus sanctus, ut bis in N. T. id allegârit Matth. 4, 14. 15. 16. Luc. 1, 33. imò ipsi Judæi inscii cogantur huc alludere, seq; inscitiæ suæ pariter & malitiæ damnare Luc. 23, 5. ut verè hîc videamus, non malè à qvibusdam Prophetam Esaiam inter reliqvos esse Evangelistam, qvum adeò exactè singula futura de Christo possit describere, qvasi essent præsentia. Hoc igitur vaticinium de Christi nativitate pro tempore DEO juvante libet explicare. Partes possunt constitui duæ, qvarum

Prior est ex more Prophetis solenni, proleptica & brevis propositio,
Posterior dividida & prolixior dictorum expositio.

Tu verò Jesu Christe, qvando in tuo verbo & sacramentis ad nos venis, per Jericho ad Jerosolymam præiens viam, nos ex mundo in cœlum, ex turbulento & instabili horum sublunarium statu, ad qvietas sedes & pacem æternam nos ducturus, mendicantes ad viam invenis & cœcos: clamamus verò, ut tu visum nobis, qvem in Adamo perdidimus restituas Luc. 18, 35. nec desistimus te inclamare, donec cum Josuâ te solem justitiæ sistamus Jos. 10. & ita in tuâ luce videamus lucem Psal. 36, 10. tu in cordibus nostris hodie etiam spiritualiter formeris Gal. 4, 19. ut in te gaudeamus, Amen.

Summa vaticinii hæc est. Pios in Judæâ metu belli perculsos (de qvo vide c. 7. v. 1. 2.) solatur, non modò qvòd finis sit futurus calamitatum, qvando Assyrii, aliiq; eorum hostes perduntur, sed etiam inprimis qvòd Christus, fundamentum omnis solatii, (cujus conceptionem supra c. 7, 11. 14. dederat signum futuræ liberationis) nascitur sit, omniaq; restituturus, ac pacem æternam allaturus. Hæc ipsa verò consolatio, ut tanto

melius

meliùs hominum animos percellat, ac labantes erigat ac firmet, huic felicitati per Christum obventuræ opponitur, imò præponitur infelicitas hominum sibi relictorum, ut ita omnis salus à Salvatore expectetur, & omnis gloria DEO Patri danti mundo suum filium tribuatur. Componuntur igitur inter se regni Judæorum ante Christum natum miseria atq; instabilitas, & regni Christi post ipsum natum gloria & stabilitas. Ibi fuit maxima afflictio; hîc est optima refectio: ibi hominis excæcatio; hîc numinis illuminatio. Occasio verò propinqva (nam remota qvæ sit, jam antea dixi ex cap.7.) in verbis proximè præcedentibus indicatur, qvæ nonnulli ad capitis octavi finem, nonnulli ad hujus noni initium referunt: sed parum interest, qvum sit continua oratio. Sensus est: etsi extrema calamitas excidiumq; opprimet utrumqve regnum Israelis priùs, deinde Judæ: tamen hujus erit levius utroqve Israelitico, *& non* prorsus tandem *obscurabitur* è terræ Judaicæ *angustia* אֶרֶץ לָהּ ut cap. præced. v. 21. *qva affecta fuerit* per Nebucadnezarem, abducturum tandem Judæos in captivitatem Babylonicam, *sicut tempus hoc prius levius afflixit* Israelem, qvo pars tantùm populi abducta per Tiglathpilesser 2.Reg.15,29. *in terrâ Zabulonis, & terrâ Naphtali, & sicut posterius illud tempus afflixit gravius*, qvando per Salmanasser decem tribus integræ deportabantur, & qvidem sine spe illustris alicujus & peculiaris restitutionis 2.Reg.17.v.5.6. ubi noster Propheta prophetarum more de futuro in præterito loqvitur in suâ linguâ. Ratio autem cur Judaicum excidium sit futurum tolerabilius, est hæc, qvòd non tantùm ipsius incolis tandem oritura lux, hoc est, liberatio ex captivitate Babylonicâ illustris, qvæ est velut typus qvidam illius perfectæ liberationis per Christum lucem gentium obventuræ, sed etiam inde oriturus hic ipse, qvi redimat Judæos & Israëlitas ex omnibus malis, & cum ipse jam Nazarethæ conceptus Esa.11,1. Matth. 2. ult. Bethlehemi editus Matth,2. Mich.5.2. ac porrò Nazarethæ educatus Luc.2. officii publici & docendi partes est obiturus in Galilææ, incipiet Capernaum, & vicinis in locis, qvæ propterea valdè exaltata Matth.11,20.21.23. esse dicuntur, primum Evangelium prædicabit, atq; ita Matthæo interprete, terra ad *viam maris* (qvarum duarum ellipsin llam supplet Evangelista, hanc ipse qvoq; exidiotismo linguæ suæ habet, ὁδὸν pro κατ' ὁδὸν)

θάλασσαν) maris autem, non magni sive mediterranei vel mortui, sed Genezareth, ut rectè sentit Hieronymus, & cum ipso multi alii; tum qvia ad illud mare Tiberiadis, ut aliàs appellatur, Capernaum & reliqvæ civitates erant sitæ, tum qvia per illud Jordan fluvius defluebat in mare salsum seu mortuum, ut hoc loco עֵבֶר & πέραν apud Matthæum rectè vertantur per secundum, ut declarat Beza ibidem in notis, & Lutherus indicat, qvando hîc vertit *diſſeit*/ & ibi *jenſeit*/ ut ita utramq; ripam notari, & accolas ejus designari indicet, *ſecundum Jordanem*, qvæ est *Galilæa gentium* גְּלִיל הַגּוֹיִם utraq; & omnis qvæ habebat multos incolas, uti rectè notat Junius, & probat inferiorem qvoq; esse intelligendam, sed eam solam denotari non evincit allatis rationibus, uti non malè censet Ursinus in Commentario. Et hactenus subjectum, de qvo agatur pluribus fuit descriptum, qvem jam unâ voce הָעָם Propheta designat, ille *ipſe populus*, de qvo hactenus, *ambulantes* (per synthesin ut vocant Grammatici) *in tenebris*, hactenus inglorius, miser, contemtus, in corporalibus tenebris (metaphoricè tamen vocabulo hoc stylo Scripturæ intellecto) seu malis pœnæ; & spiritualibus, seu ignorantiâ mentis Ephes. 4, 18. *videbunt lucem magnam*, videbunt primùm, qvia ibi initium prædicationis Evangelii factum, qvod postea per totam Judæam, & tandem per totum mundum est divulgatum; videbunt libenter & cum gaudio, ac receperunt (qvomodo videre apud Hebræos sæpè sumitur pro frui) & viderunt sæpius præsentem, qvàm alia loca, qvũ Christus sæpè ac crebrò eò rediret, imò ibidem habitaret. Atq; ita liqvet, qvomodo qvod hoc loco de istis Israelitis dicitur, omnibus suo modo accommodari rectè possit: qvi ipsis sunt in cœcitate ac miseriâ similes, videant, ne sint in pietate ac discendi studio dissimiles. Piscator per lucem non Christum, non verbum ab ipso prædicatum, qvod tamen hoc loco intelligi Matthæus testis est locuples; sed consequens tantùm, seu gaudium intelligit, qvod nos non excludimus, & ut tantò melius hoc intelligatur per ἐπιμονὴν & commorationem qvandam sacram idem bis, aliis tamen verbis explicatur, *& ſuper ſedentes in terra umbræ lethales lux ſplendebit*, qvomodo Lutherus & Junius benè hebræa verba, si ad nostram linguam conformes, trajecta extuletunt, ubi simul iterùm Prophetarum more præteritum bis pro certissimè futuro ponitur.

I. Loc.

I. Loc. Commun.

NOtanda hîc est Dei benignitas, qvi cum tentatione & afflictione tandem facit eventum 1.Cor.10,13. non in æternùm iram asservat Psal.103,9. Judæos enim ob sua peccata constituerat tradere virgæ suæ, Nebucadnezari castigandos Esa.10. sed eosdem etiam post septuaginta annos liberare ac reducere in animo habebat. Ita tempus afflictionis & refectionis ipse solus determinat Act.1,7. Noachum ferè post annum ex arcâ, Josephum post triennium ex carcere, Davidem post decennium ex exilio, socios autem Danielis statim ex igne, ipsum post unam nocte ex foveâ leonum educit.

II. Loc. Comm.

RErum humanarum instabilitas. Qvàm potens ac florens regnum erat regnum Israelis, & sæpè vicinis omnibus formidandum! nunc, postqvam ejus incolæ recesserunt à pristinâ pietate & DEO suo, nihil munitum, nihil firmum est in eo; sed omnia hostibus patent, omniaqve vastantur, ac homines liberi in servitutem ac captivitatem abducuntur. Et culpa & pœna hæc hodiè qvoq; est exaggeranda, ubi hominum immensa peccata ac flagitia tam atrocem Dei provocant iram ad tam horrenda supplicia in bello, in fame, in peste, in seditione, ut verè nunc dies sint mera θλίψεις Marc.13,19. Videmus regna florentia desolari, liberos homines subjugari, religionem mutari, arces & castella munitissima expugnari: cogitemus, hanc esse Dei justitiam, ut qvi nolit ejus verbo obedire, cogatur talia experiri.

III. Loc Commun.

QVæ sit vera alicujus loci felicitas, nimirum habere Christum ejusqve verbum, qvemadmodum h. l. inde nobilitata dicitur regio juxta Jordanem, qvæ aliàs erat spreta, qvòd Christus ibi sæpius, qvàm alibi versaretur, doceret, ac miracula ederet. Atq; ita longè aliter statuunt biblia, qvàm aliorum politica, qvæ bonum regni in abundantiâ, munitionibus, atq; adeò flore externo collocant Psal.144,12.13.14.15. ac potiùs urgent Regis ac Principis majestatem, qvàm pietatem 1.Reg.21,7 subditorum onera, qvàm virtutum egregia specimina. Contrà vide Spiritus S. judicium Devt.4,6.7.8. Psal.147,19.20. descriptum, ac Christi ipsius Matth.11,23.

IV. Loc. Comm.

Discimus etiam, qvæ sit mentis in rebus spiritualibus cæcitas, qvæq; sine DEI ac Christi cognitione infelicitas. Illa per tenebras, hæc per totam phrasin, ambulare in tenebris, & per consequens sæpius offendere ac miserè labi denotatur. Magnæ qvidem erant tenebræ triduanæ in Ægypto, qvas poterant palpare, qvæq; faciebant, ut nemo alterum videret, nec per triduum ex loco suo qvisqvam surgeret Exod. 10,21 23. Sed qvantò majores sunt illæ, qvibus totus homo est obsessus, & qvibus Deum ac solem justitiæ in perpetuum, qvamdiu per Christum lucem mundi non dispelluntur, contueri prohibetur; imo ex peccatorum cathedrâ nunqvam surgere permittitur Psal.1,1. imò ob qvas in tenebras exteriores ac æternas projicitur?

V. Loc. Comm.

QVæ fidei sit proprietas, nempe Christum videre, ejusq; beneficiis frui. Ut enim nemo potest hanc vitam naturaliter vivere sine sole, cujus radiis vel illustratur vel fovetur: ita multò magis nemo potest vivere vitam spiritualem, nisi à Christo sole justitiæ illuminetur, sine qvo est mera mors Matth.8,22. 1.Tim.5,6. qvum ipse solus sit vita hominum Joh 1, & 14. Unde toties in Scripturâ in Christum credere, per filium videre Joh.6. describitur. Ut autem (1.) ad visum reqviritur bonum subjectum, sive oculus rectè dispositus; ita hîc fides vera ac sincera, bonum cor, bonus animus. Ut (2.) ibi adesse oportet objectum, in qvod visus dirigatur; ita hîc præcipuum fidei objectum est Christus, cum suis bonis: atqve ita promissiones Evangelicæ unicè spectantur. (3.) Ut etiam ibi medium illuminans, ac illuminatum, sol ac aër, vel analoga saltem dantur; ita hîc Christi doctrina ac verbum, ejusqve ministri conceduntur. Et (4.) ut ibi omnia obstacula externa removenda; ita hîc qvoq; omnia impedimenta seponenda sunt Esa.40. Joh.1. Matth.3. Luc.3. ita demum sequetur salutaris illa visio, qvâ videbat Abraham Christi diem Johan.8. qvâ Græci intuebantur Dominum Joh.12, 20.21. qvâ conspiciebant Christum discipuli verè ad salutem Luc.10,23. & qvidni tum omnes tenebræ dispellerentur subitò, ubi hæc lux oritur? qvippe qvæ est adeò magna, ut

omnem

omnem tollat caliginem, omnem abigat formidinem. Lux erat illa grata, qvando sole subsistente hostes suos delebat Josua Jos.10. lux erat illa læta, qvando Angeli operâ Petrus ex carcere, nocte qvidem intempestâ, sed luce exortâ educebatur Actor.12. sed neutra diu duravit, neutra vel parvo momento hanc lucem, de qvâ Propheta, exæqvavit, Hæc lux est magna *in se*, cùm sit Deus ipse, magna *in hominibus*, qvum mirandos in illis producat effectus, ut videre est in Catalogo testium fidei Hebr.11. est magna *ratione temporis*, qvia luxit à mundo condito, in paradiso radios spargens protoplastis, & lucebit in omnem æternitatem: est magna *ratione loci* qvia sub tempus N. T. omnibus illuxit, xit, Tit.2. ut hic prædictum & Esa.60. adhuc apertius. Completum verò id tum fuisse indicatur, qvando claritas Domini sub noctem refulgebat pastoribus, & Simeon, lumen hoc esse datum ad revelationem gentium, clamabat Luc.2. est magna *ratione bonorum* ac donorum, qvæ communicat illis, qvi illam admittunt: magna ratione *bonorum*, qvos tandem Confert suis fidelibus.

VI. Loc. Comm.

QVæ peccati sit atrocitas, nempe tanta, ut inde lethum æternum oriatur; præcipuè qvando exorto jubare solis justitiæ non surgit homo, sed desidet aut cubat semper: qvod indicare voluit Christus, qvando toties ad se vocans vel invitans homines surgere jubebat. Et omninò qvando Christus lux mundi in verbo incipit fulgere, tempus est membra è strato vitiorum corripere Roman.13.v.11. Esa.60,1. Ephes,5,14. & Christo venienti occurrere. In V. T. qvando verbum DEI pronunciabatur, magnum honorem se incurvando vel surgendo ac consistendo ei exhibebant homines, & magnates, ac summi duces, ut testantur exempla Genes.47,31. & 49,33. Num.23,22. Jud.3,20. 1. Sam. 9, 27. 2. Reg. 23, 3 1.Chron.28,2. 2.Chron.34,31. Nehem. 8,6. Esa.32,9. Simul autem dum ita indicatur nostrum officium, prædicatur Christi beneficium, cujus gratia nos sedentes prævenit, dat velle, & perficere, si modò non libeat nobis resistere, aut in vitiorum strato gnaviter & jugiter conqviescere. Ita fugienda est desidia, cùm simus creati, ut ambulemus in bonis operibus Eph.2,10. ut stemus in conspectu Dei & sanctorum Angelorum Genes.17,1. 1.Reg.17,1. ita qvoqve vitanda

vitanda est omnis rerum divinarum incuria, qvæ deprehenditur in terræ filiis, siqvidem non sine causâ dicuntur considere in *terrâ*. Vocantur à DEO, ut montem sanctum ejus ascendant Psal.15, 1. etiam cum labore ac sudore qvodam, qvod olim indicatum est, qvando ipsa tota Jerosolyma & deinde templum, ubi pietatis pleraq; exercitia publica & veræ gratitudinis documenta, in monte arduo erant ædificata, in qvem non nisi ascendendo licebat pervenire Luc.18,10.31. Actor.3,1. Joh.12,20. Nisi qvis igitur velit cum reliqvâ in Sodomis hujus mundi pereuntium turbâ interire, oportet eum cum Lotho se in montem ab Angelo & ministro verbi monstratum contendere Luc.17,31.32. Et porrò qvemadmodum in monte multa plura & longè rectiùs videntur, qvàm in valle; ita etiam fit in iis, qvi semper caducis adhærent, qviq; nondum viam ad cœlum vel sunt docti à Christo in monte Matth.5,1. vel monstratum relinqvunt Joh.6,66. illi qvum putant, tenere se aliqvid firmum & solidum, umbram habent tantùm, & velut in crepusculo duplicantur montibus umbræ; ita etiam hominibus mundanis, qvò longius absunt à die illuminationis divinæ, majores & plures nugas tractant, ac firmius tenent, donec tandem somnum mortis æternæ dormiant Psal.13,4. ut videre est in divite epulone, utrâq; amante nimis, qvàm par est, divitias ac delicias Luc.12. & 16. in Herode umbram honoris nimiùm sectante Actor.12. sicut etiam in Beltzasare Dan.5. Desine itaq; mirari, qvi fiat, qvòd hodie adeò pauci in bono proposito pergant aut currant? nimirùm Diabolus facit eos desidere securos; qvî fiat, qvòd nolint ad cœlum aspirare? Diabolus affigit humi divinæ particulam auræ. Confer Col.3, 1.2. qvî fiat, qvòd tam pauci rem ipsam ac verum bonum apprehendant? in umbrâ vivere gestiunt, in solem ac lucem nolunt prodire Joh. 3, 19. 20. qvî fiat, qvòd cum Christus omnes vivificatum venerit, omnesqve ex morte redemerit, maxima hominum pars maneat in morte? Scilicet se eunt ipsi perditum, dum vitam oblatam respuunt.

VII. Loc. Commun.

NOn prætereundum deniq; hîc, qvæ sit meriti Christi universalitas, si enim illis illuxit hæc gratia, qvi pereunt, nemo est, cui non sit illa parta ac in promptu, qvi modò oculos claudere nolit. Nam eis qvi sal-

ſalvantur, hanc lucem eſſe viæ ad cœlum ducem, nemo ſanus dubitat, niſi ipſe, qvi prius negat, Calvinianus. Simul etiam verbo hebræo נגה ſplenduit (qvod plus eſt, qvàm אור luxit) notatur verbi divini, & præcipuè Evangelii de Chriſto prædicati perſpicuitas. Ut enim tum longè rectius omnia pervidentur, qvando eſt ſplendor ſolis, qvàm qvando ille tantùm lucet per nebulam, aut aërem denſiorem 2. Sam. 23, 4. ita etiam hîc major illa lux ſub tempus N. T. refulgens hinc inde per totum terrarum orbem, & qvâ omnia perſpicuè poterant intelligi, ut non amplius neceſſe eſſet qværere, ſicut tempore umbrarum præcedentium Jerem. 31, 33. 34. qvanta igitur eſt illa hominum perverſitas, nolle Chriſtum intueri, ubi tanta eſt perſpicuitas? Et tantùm de propoſitione proleptica: ſeqvitur ipſa expoſitio.

Duo fuerunt de pupulo Judaico, &, qvia illi hactenus omnes ſunt ſimiles, de omnibus aliis hominibus allata, nempe qvæ ſit ipſorum ſibi relictorum miſeria, & qvæ ipſis in Chriſto obtigerit gloria ac lætitia. Hæc eadem reſumit atq; expolit, illam qvidem, dum etiã optima qvæqve, qvæ hominibus obveniunt, cum labore, ſudore, ac dolore eſſe permiſta, atq; hâc ratione minùs ſolidum parere gaudium declarat, qvum etiam non diu duret talis felicitas, ſiqvidem qvæ maxima eſſe ſolet lætitia in meſſe multis agricolarum laboribus paratur, & hâc peractâ redit labor actus in orbem, & qvod gaudium eſt, ferè maximum qvando hoſtibus fuſis triumphat victor, multis vigiliis, periculis, & ſudoribus paratur, qvemadmodum hoc liqvet in ipſius populi Iſraelitici amplificatione, qvando ex Ægypto educti cogebantur multis bellis terræ ſanctæ incolas ſubjugare, ut in libris Moſis & Joſuæ legere eſt, & poſteà à vicinis ſæpè diu preſſi ac divinitus liberati, neq; propriam habuerunt hanc felicitatem, neq; ſine omni moleſtiâ ac triſtitia, qvum plerumqve multi in prælio cecidiſſent v. 3. & 4. Ratio generalis ſubjicitur verſ. 5. qvia omne bellum, imò omne aliud humanum negotium, habet multas moleſtias, & qvicqvid inde ad nos pervenit, paulatim conſumitur, ut ſanè verum ſit, magnas eſſe hominum extra Chriſtum tenebras & multas miſerias, etiam illas, qvæ felicitatis nomine vulgò venditantur, ut in meſſe abundantia, poſt prælium victoria. Sed contra (qvod eſt alterum hujus expolitionis membrum de felicitate in Chriſti ſeu Meſſiæ regno) ubi Chriſti eſt potentia ac ſapientia, v. 6. ibi verâ eſt pacis

ſpiritualis æternitas, & nulla rerum (qvamdiu cives regni Chriſti in fide ſunt ſtabiles Roman. 8. 31. & ſeqq.) inſtabilitas aut malorum metus v. 7. Ita puto (ſalvo meliùs ſentientium, ac ſua ex ſacris demonſtrantium judicio) omnia ſimpliciter eſſe explicanda, qvia ita melius omnia cohærent; ita Scripturæ & Prophetarum mos hìc qvoq; ſervatur, ut dicta brevius, explicentur prolixius; ita oppoſitio amplificationis regni Judæorum veteris atq; abolendi v. 3. & novi in N. T. ſub Chriſto perpetuum duraturi v. 7. ſibi conſtat; ita pleræq; omnes aliæ orthodoxorum ſententiæ poſſunt inter ſe conciliari, & ne qvid contra ſcopum Prophetæ, aut Scripturæ analogiam dicatur, præcaveri: qvemadmodum de ſingulis in progreſſu cum DEO probabitur. Nam horum verborum *amplificanti hanc gentem, non magnificaſti illam ipſam lætitiam*, (ubi primò accentuum conſecutio, ſingularis numeri הַגּוֹי poſitio, & duplex ה Hajediæ præfixio non negligenda) octo explicationes diverſas recenſet Muſculus in Comment. p. 210. 211. qvibus ex aliis poſſunt addi plures. Verus autem, genuinus, literalis, ac immediatus ſenſus hic eſt: Ante Meſſiæ nativitatem magna qvidem beneficia populo Judaico, tuo peculio, & filio primogenito præſtitiſti, dum illum in Abrahamo uno exule, cui ſæpiſſimè repetiviſti illam qvoq; de multiplicatione ſeminis (nam de benedictione pertinet ad ſolum Chriſtum Galat. 4, 16.) promiſſionem, poſtea in duodecim Patriarchis, imò ſeptuaginta animabus, deſcendentibus in Ægyptum, tam numeroſum reddidiſti, ut non ita multis annis pòſt ad ſexcenta millia virorum præter uxores ac parvulos Exod. 12, 37. Num. 11, 21 Confer Geneſ. 46, 3. & Exod. 1, 12. exirent ex Ægypto, & pòſt, ubi jam in terram ſanctam ſunt introducti, parvo temporis ſpacio innumerabilis ferè hominum multitudo ſub Davide & Salamone &c. inventa eſt. Etiam tum, qvando in calamitatem & oppreſſionem hoſtium devenerat, tuorum promiſſorum memor feciſti, ut tandem multis victoris donatus hic populus, glorioſior ſaltem ac felicior evaderet, ita amplificans numero, dignitate, poteſtate tuum illum populum (qvod propriè notat verbum hebræum הִרְבִּית, ſiqvidem רב & multum numero & valentem robore denotat, ut alibi eſt probatum; hìc utiliter poſſunt conferri loca Geneſ. 16, 10. & 22, 17. & 26, 4. 24. Exod. 1, 7. 9. Devt. 1, 10. & 26, 5. Joſ. 17, 17. & ſimilia) illam gentem Judaicam, הַגּוֹי demonſtrativè, non גּוֹיִם, qvo-

modo

modo vocabulum גוי, in singulari multoties de populo Israëlitico accipitur Genes. 12,2. & 18,18. & 46,3. Exod. 19,6. Devt. 4,68. & hîc de eo accipiendum esse, præcedentium duorum versuum ratio suadet, ubi hoc ipsum vocabulum הַגּוֹי se refert ad superiùs positum הַעֶמְתָּ, *magnificasti illam lætitiam*, inde ortam, qvia parvo tempore duravit, neqve animum aut cor hominis multùm juvit, qvum potissimùm externa bona concerneret, in qvibus non ponunt pii suum summum bonum, sed possident tanqvam non habentes 1. Cor. 7,29. vide Psal. 4,7.8. & voluisti ostendere, non esse ipsis inhærendum istis caducis, qvum longè majus ac præstantius esset gaudium spirituale in Christo, ad qvod unicè aspirandum. Qvod si ita est, & si ex suo proprio commodo non admodùm gavisi sunt Judæi, multò minus sine dubio gavisus est ille populus, terrenis immersus plerumqj, & maximam partem, qvando gentes sunt advocatæ ad consortium Ecclesiæ, qvia omnia metiuntur ex felicitate externâ; qvæ si non est diuturna, habent eam, qvasi nulla esset. Qvomodo explicatio (qvæ præcipuum obtinet locum inter reliqvas) per comparationem, & consequenter etiam hoc modo: tu, ô Deus, amplificasti, & mirabiliter sustentasti hunc populum Judaicum, ut inde Messias nasceretur, & esset Ecclesia, ad qvam gentes in N. T. advocarentur; sed inde Judæi parum gaudii perceperunt, qvia Christum rejecerunt: facilè ex nostrâ deducitur. Ea tamen qvò minus sit immediata, præter alia qvoq; obstat: *Primò* qvòd Deus, qvando vocavit gentes ad Ecclesiam, easq; convertit, non fecit gentes multas, sed ex gentibus multos Christianos Actor. 11,26. *Deinde* loqvitur Propheta de DEO, non de Judæis: de DEO autem dicere velle, qvòd ipse indiderit animo Judæorum illam erga gentes vocatas invidiam, valde durum. Clara enim verba sunt: *tu Deus non magnificasti lætitiam.* *Tertiò* de eâdem gente loqvitur (nullum enim aliud objectum hîc ponitur, nisi הַגּוֹי) non in priori phrasi de gentibus, in posteri de Judæis, qvod notat ה in voce הַשִּׂמְחָה. *Qvartò* qvia de iisdem, qvibus non est magnificata lætitia, in rextu hebræo dicitur, non de aliis, qvòd sint lætati coram Deo, idq; de invidis ac incredulis Judæis asseri neqvit; non video, qvomodo literaliter id dicatur hoc loco, qvòd aliàs suo loco in sacris asseritur. Præterea totâ phrasi hebraeâ notari vocationem ad Ecclesiam, non facilè qvis astruet. An illa non prorsus ignota? uti ex superiùs di-

ctis etiam constat, nec tum Judæi, qvâ Judæi, sunt amplificati, qvando videbant, gentes esse participes gratiæ divinæ, qvid fiet tum illis verbis, non magnificasti lætitiam, qvia credentes non invident aliis felicitatem æternam. Scopo Prophetæ etiam id adversatur, siqvidem is est, ut soletur Judæos: qvomodo autem solari inde potest, si dicat vos eritis invidi, increduli, & propterea peribitis? Et ut concludamus hoc comma, nomen גּוֹיִם in plurali de gentibus, qvatenus Judæis opponuntur, ut in Nov. T. Græci & Barbari, usurpatur, sed singulare nomen, imprimis qvando est cum ה Hajedia, de illis dici, nondum credimus probatum esse, qvæ observatio ostendit, neq; ita posse exponi hæc verba literaliter & immediatè; tu qvidem magna beneficia gentibus præstitisti, externa tamen & corporalia, & proinde non adeò magna lætitia inde orta est; verum in N.T. coram te gaudebunt. Et de his satis pro instituti nostri ratione. Duo iterum erant de populo Israëlitico dicta: unum, qvòd sit à DEO auctus numero, opibus, potentiâ; alterum qvod inde tamen neq; stabilis lætitia, neqve tanta orta sit, qvanta sit futura, qvando Christus advenerit in Nov. T. siqvidem in V. administratio fuit varia secundis, adversis, lætis, tristibus, duris, facilibus, turbulentis, qvietis omnibus deniq; rebus instabilibus, ut Junius in h. l. scribit, & inde Piscator rectè comparatè ac secundum qvid hæc dicta esse concludit, ut jam est ostensum. Hæc duo irerum ὕστερον πρότερον, more etiam Prophetis non insolenti, explicantur: prius qvalis fuerit illa lætitia qvod exponitur duobus similibus v. 3. posterius, qvomodo amplificatio maxima externa divinitus obtigerit v. 4. ut ita appareat, qvomodo verè dixerit, tu amplificasti hanc gentem. Dixerat Esaias, non magnificasti illam lætitiam: objici poterat, esse hoc contra experientiam & sensum communem, non lætari homines de suis bonis, & satis constare ex historiis, qvomodo Israelitæ submerso Pharaone, fuso Amalek, fugato & occiso Sisara, interfecto Goliatho, aliisq; hostibus deletis ac subactis fuerint satis effusè gravisi: respondet Propheta per concessionem & correctionem *lætati sunt coram te*, ô Deus, (illum enim jam cœpit alloqvi Propheta in principio hujus versus) protecti, defensi, liberati, qvando tua facies præcedebat, aderat, ac illustrabat eos, qvomodo voce לִפְנֶיךָ notatur gratiosa Dei præsentia, qvæ multis modis Judæis declarata, atq;

ipso

ipso opere satis probata, sed non sine suo labore: qvia verò promiserat ad arcam propitiatorii affuturum eo modo potest hoc ita explicari, qvòd DEO publicè egerint post liberationem gratias (vide Exod. 20, 24.) & se coram DEO humiliantes suam indignitatem Deiq; benignitatem agnoverint. Nulla enim talis lætitia, qvam perceperunt, dum amplificabantur, illis obtigit ἀκονιτὶ καὶ ἀναιμωτὶ sine sudore & sanguine, sed permagno illis constitit. Nam ardui labores lætitiam brevem anteiverunt, ut sudores messem, & graves pugnæ spolia, ut iterum scribit Junius. Esto igitur, sint gravili: gaudium omne fuit γλυκύπικρον, *qvalis est lætitia, qvæ in messe, & qvemadmodum exultant* (יָגִילוּ qvòd plus qvàm שָׂמְחוּ vide Psal. 2, 11.) milites ac victores *in partiendo* eos *prædam* aut spolium, qvi neq; omnino gratis, neq; diu gaudent, qvum labor antecesserit, & denuò paulò pòst instet. Per comporationem ergò aliorum sententia, qvæ inter omnes maximè videtur probabilis, habet locum, si illi gavisi sunt ob res terrenas; multò magis in Nov. T. gaudebunt ob res spirituales: si illi lætati sunt, ubi magno sudore fuit aliqvod bonum datum; multò magis lætabuntur pii, qvibus omnia gratis per Christum parata & donata: si ita ut in messe & triumpho lætati sunt; multò major erit lætitia, ubi alia spiritualis messis & triumphus Joh. 4, 35. Matth. 9, 37 Coloss. 2, 14. 15. Si malis, ita concilia, per contentionem & oppositionem qvandam: sine te, O Christe, in V. T. non est gaudium sine molestiâ, sed te præsente omnia tristia absunt. Hæc est lætitiæ, qvalis illa fuerit descriptio, unde constat, qvòd non adeo magna, non adeo stabilis, ut qvæ in Christi regno permittebatur, atq; exspectabatur. Et ita sensus illorum verborum, qvi vulgò solùm & immediatè eruitur, de futurâ liberatione & exultatione per Christum non obscuratur sed illustratur: non omittitur, sed amplificatur: sequitur descriptio qvædam amplificationis ejus, qvam huic genti vel populo Judæorum Propheta tribuerat, & Deus ipse effecerat. Sensus est, dixi nullum tantum fuisse gaudium in V. T. ob regni amplificationem ac corporalem aliqvam liberationem, qvàm tum erit in N. T. ob regni Christi participationem ac spiritualem liberationem seu redemptionem. Ne longum faciam, aut multa adducam exempla; ex

præcipuis unam, & si non præcipuam, illustrem sanè hujus populi liberationé videamus. *Qvum* tu Deus *jugum oneris illius* (metaphorâ sumtâ à bobus jugo oneratis) *& virgã humeri illius populi* (metaphorâ ductâ à servis, qvos virgâ graviter percutiunt irati Domini) *& sceptrum opprimentis illum* populum Israeliticum, qvæ verba propriè accipienda de sceptro, qvo feriebat ac malè tractabat eos exactor opprimens, seu tyrannus, *contrivisti*, ut die ac tempore Midianitarum imperantium pro libitu, ac more tyrannorum dominantium populo tuo sibi subjecto, de qvâ re Jud.6,1. & seqq. & 7,8. &c. Qvando enim planè miraculosè & divinitus fudisti hostes; amplificasti sanè populum tuum maximè, liberumq; eum reddidisti; verùm paulò post in manum Philistæorum & Hammonitarum Jud.10,7. & 13,1. sunt traditi, ut ita hoc gandium nova tristitia, hanc libertatem nova subjugatio temeraret. Hic sensus hujus etiam versus literalis illam explicationem, qvæ usum spiritualem potissimum respicit, non tollit; sed per conseqventiam aliqvam facilè admittit. Nam qvia omnis sublatio pœnæ (de qvâ loqvuntur hæc verba propriè, sicut similitudines adductæ, & emphases ipsorum verborum probant) ob Dei justitiam sublationem culpæ præsupponit; qvidni hæc ita nos præsertim in N.T. accommodemus ac usurpemus? *Primò*, Magnum fuit beneficium, ô Deus, qvando ab hostibus corporalibus, & tyrannorum libidine externâ olim liberasti tuum populum; sed longè majus est & melius, qvando (qvod illæ redemptiones typicè ac suo modo indicabant) spiritualiter ab hostium generis humani potestate, ut Diaboli, inferni, mortis, peccati, legis &c. omnes liberasti, idq; mirando modo, ut olim tempore Gideonis, qvæ ita ex Brentio contracta ferè profert D. Arcularius (1.) ut Gideon parvâ manu ingentes fudit copias: sic Christus paucis Apostolis de toto mundo & omnibus hostibus Ecclesiæ spiritualiter triumphavit. (2.) Ut Gideon confractis vasis testaceis, & lumine inde emicante, victoriam obtinuit: ita Christus per mortem corporis sui (qvod instar vasis testacei fuit) & resurrectionem, ubi lux divina enituit, imò etiam, qvod addit Brentius, per lampada Evangelii, ejusq; prædicationem universalem tantam peperit victoriam. (3.) Ut Gideon tubarum clangore hostes fugavit: sic Christus tubæ Evangelicæ sono homines convertit. *Præterea* ita hæc comparamus. Si illi Israëli-

tæ

tæ ad eum modum liberati gaudium suum sunt testati, qvidni longè majus in corde credentium oriretur gaudium, qvando à spiritualibus hostibus non amplius cruciantur? *tertiò* si illa servitus externa fuit dura, & liberatio grata; qvidni multò magis misera hominis conditio, qvi servit peccatis, & contrà optata ejus redemptio? Si enim jugum servitutis externæ premit, si virga percutit, si sceptrum affligit: multò magis jugum legis importabile Act. 15. virga & plaga inferni, & potestas mortis æternæ ac Diaboli cruciare potuit: qvæ tamen omnia per Christum redemptorem mundi sunt sublata 1. Corinth. 15, 55. 56. 57. Atq; inde merito gaudet totus orbis Luc. 2. Atq; hoc modo sæpe accommodari in N.T. Dn. Chemnit. Harm. probat optimè (l. 3. c. 39.) qvi videatur, illiq; adjungi possunt libri parallelorum sacrorum Junii, qvi à Dn. Gerhardo studiosis Theologiæ meritò commendantur. Sed redimus è diverticulo in viam, & ad textum nostrum, ubi porrò ratio redditur, qvi factū sit, ut non modò illa nobilis victoria tempore Gideonis parta, qvæq; tam insignis, ut etiam infra c. 10, 26. allegetur in exemplum; sed etiam omnis alia liberatio bello qvæsita, sanguine parata, sudore ac labore inventa tandem non profuerit, & proinde stabile gaudium animo non indiderit, *qvia omnis conflictatio* (ita enim malim כִּי simpliciter causaliter, & vocem כָּל collectivè cum Luthero, & aliis nonnullis, qvàm illam particulam adverbialiter, per *qvando*, & hanc vocem per *tota* cum Junio & qvibusdam vertere) *confligentis cum* (כ pro ב. ut aliàs sæpè, & ἐν pro σὺν in N.T. Luc. 22, 20. Rom. 9, 22. & 12, 21. 1. Cor. 2, 4. & 16, 20. Eph. 4, 24.) *concussu*, hoc est, nullū bellum ibi est debellatum vel finitum, qvin prius magna concussio, timor, tremor, trepidatio fuerit adjuncta, magni motus excitati, magnus impetus in hostem flagitatus & præstitus necessario sit, atq; ita ut *vestimentum* & paludamentum militare ducum ac fortium militum, in hostes irrumpentium *sanguinibus*, hoc est, sit *volutatum* in cædibus humanis, à qvibus meritò naturaliter abhorret hominis animus. Qvid dico, qvòd sit ita maculatum cummaximo vitæ discrimine? Illud notari volo, qvòd *fuerit*, seu abierit in *exustionem, & factū sit pabulum ignis*, qvum undæ non satis possent eluere illas aspersas in prælio maculas, sua ipsorum vestimenta detestantes, sæpe igni purganda vel potius

potiùs absumenda tradiderunt, vel illa vestimenta & arma bellica tandem perierunt planè, ut ea qvæ igne concremata intereunt. Ita & malim in textu hebræo universaliter posita interpretari, qvàm cum Junio & Ursino in specie tantùm de Midianitarum interitu accipere, & priorem sententiam hactenus probant pleriq; alii diligentiores interpretes, eaq; satis benè qvadrat Prophetæ nostri scopo, qvi est deducere Judæos ad agnitionem instabilitatis rerum humanarum, qvantumvis florentium, ut ita in Christo ejusq; bonis omnis fides ac spes ponatur, idq; ita declarat, ut ostendat, bella illa corporalia habuisse etiam optime finita magnas molestias adjunctas, qvomodo illa explicatio D. Brentii notari hìc, qvòd omne bellum per Christum tollatur, per consequentiam qvandam hinc fluit, qvippe cùm nulla victoria externa qvicqvam sit ad felicitatem in regno Christi futuram, idq; intelligunt Christiani, ipsos bella non esse amaturos aut excitaturos, sed, qvantum in se est, pacem cum omnibus culturos. Sic ex D. Brentio D. Arcularius. Alii hæc verba interpretantur de pace spirituali, qvam Christus Ecclesiæ suæ sit acqvisiturus, Deum & homines, imò fideles ipsos inter se concilians; tum ita verba illis sonant: qvia omnis violenta prædatio, qvæ fit cum tumultu, & vestimentum mistum sanguine erit in combustionem, & cibus ignis, id est, planè tollentur, ut ea, qvæ comburuntur. Atq; ita hæc etiam sententia per consequentiam aliqvam ex sensu literali fluit: si enim illa corporalia beneficia & prælia talia sunt, qvæ tolluntur tandem; Christus princeps pacis suos hoc qvoqve modo ad studium pacis hortatur, imò semper incitat, ostendendo præliorum hostilium eventum crudelem, & suæ pacis effectum optimum; ibi præmium esse evanidum, hìc perpetuum. Lougius verò à verbis ipsis, & vero ejus sensu recedit Hyperius, dum primum ita vertit: omne qvidem prælium fit cum strepitu & volutatione vestimenti in sanguine; hoc verò bellum spirituale erit per combustionem & devorationem ignis, & explicat, qvòd hæc victoria per Immanuelem paretur tantummodo adustione, & devoratione ignis, id est, dilectione ardenti, qvâ ipse nos est adeò prosequtus, ut animam pro nobis poneret. Ita cohærentia divellit, qvæ sunt in malam partem dicta, in optimam accipit &c. Alii hæc referunt ad Assyrii copias deletas qvasi igne planè conflagrassent castra. Alii qvòd Diabolus ille homicida, qvi (si habet) vestes in sanguine volutavit,

vit, tandem sit igni inexstincto cum tyrannis violentis tradendus. Alii alias habent expositiones, qvas longùm esset enarrare, & præter solitũ in nostro hoc commentandi studio, Properemus itaqvè potiùs ad horum verborum usum, qvem in L. C. videamus.

I. Loc. Comm.

Discimus, unde sit imperiorum, regnorum, Rerumpublicarum amplificatio, nempè à solo DEO, qvi ut reges constituit, & regna mutat Dan. 2. ita solus est, per qvem Reges regnant Proverb. 8. & unde facilè est conjecturam capere, qvi fiat, qvòd hodie tot regna, ducatus, urbes ita decrescant, vastentur & tamen non planè intereant, nimirum, DEUM non habent propitium, nec protectorem sed destructorem. Videre hoc est in qvatuor Monarchiis, qvarum ultima vix luteis ferro mixtis constitit pedibus; cernere idem est in libro Josuæ, Judicum, Samuelis, Regum, qvomodo cum DEUM ritè coluerunt Judæi, creverint, & contra, ubi cum deseruêre, vastati, & in captivitatem abducti sint. Qvi itaq; vult vitare eadem supplicia, caveat eadem, qvibus illi pœnam attraxerunt, flagitia: siqvidem semper eadem est Dei justitia, in lege declarata Levit. 26. Devter. 28. & generale axioma est, qvod Deus cum bonis bonus sit, cum perversis autem eluctetur Psal. 18, 26. 27. & illud Psalmistæ monitum est ἀξιομνημόνευτον, qvod omnibus, qvi in eminentiâ sunt constituti, probè est inculcandum, Frustra, nisi Dominus Psal. 127, 1. 2. Multi in arcibus munitis, multi in subditorum divitiis ac numero, multi in fortitudine suorum militum omnem spem collocant; sed frustra, nisi adest Jehova, qvi solus gentem aliqvam amplificat. Tunc verò demum hoc ille facit, ubi ipse, ut præcepit in verbo colitur. In specie potest hîc paucis dici de præeminentiâ ac dignitate populi Judaici, & qvàm valde DEUS illum auxerit; sive enim spectes miraculorum crebritatem ac celebritatem, nullibi plura contigisse deprehendes; sive respicias paucorum fortitudinem, nullibi majora & clariora facinora esse edita intelliges, qvò pertinet catalogus heroum Davidis, 2. Sam. 23. sive oculos convertas ad terræ fertilitatem ac bonitatem, vix ulla alia huic conferenda, nedum præferenda, qvippe qvæ lacte fluebat ac melle; sive consideres innumeram hominum multitu-

dinem, nulla tam parva regio, tam populosa fuit inventa; sive perpendas religionis puritatem; nulla gens est cui Deus fuerit tam propinquus & cui ita revelaverit sua statuta Devt.4,7.8. Psal.147. sive æstimes liberationum miraculosarum, & divinitùs factarum claritatem, nullibi tam fortem Dei manum, tam propensum ad juvandum animum invenies, ut meritò in his omnibus valeat hoc propheticum; tu DEUS amplificasti hanc gentem.

II. Loc. Comm.

QVæ sit gaudii terreni externi vel corporalis ratio: nimirum non est perfectum, non est diuturnum: ideoq; non ut summum bonum expetendum: verum siqvidem illud; *Gaudia principium nostri sunt sæpe doloris.* Exemplo est Simri & Cosbi Num. 25. Beltzasar Dan. 5. dives Luc.12. Eva gaudens & sperans, se peperisse mundi redemptorem, non ita multò post lamentatur, sibi natum esse fratris interfectorem. Sed hæc sunt experientiâ teste nimis nota: Illud hoc loco notandum, qvod Deus non magnificet suo populo hanc lætitiam, scilicet ne in istis terrenis subsistentes, aut illis nimiùm adhærentes, cum mundi hujus Sodomâ pereant, sed ut ad Christum, in qvo vera salus & stabilis felicitas, accurrant. Et omnino DEUS inspergit illa externa bona & gaudia qvandoqve ut aromata, non verò ut solidum cibum donat, qvo fovetur & alitur homo interior. Tum autem ferè magnificat lætitiam, ubi in regno gratiæ Christum fide apprehendimus, vel in regno gloriæ jam oculis & auribus usurpamus. Sint igitur aliis illa, qvæ hic incurrunt in oculos & voculas hominum, magna: verè pii, ubi Deus illa negat, propterea animum non despondent, qvum norint, qvòd sæpe ita impiis Deus hic magnificet lætitiam, ut invitet ad pœnitentiam, qvâm si spernunt jam, gravius deinceps puniuntur Psal.17,14. Roman.2,4.5. Psal 37.& 73. Job. 21. Beatus prædicetur populus, cui hæc sunt: verè beatus est homo, cui DEUS est propitius Psal.144. ult.

III. Loc. Commun.

INterim hoc qvoq; docemur, non esse omne gaudium tale prohibitum, ut nonnulli austeri monachi aliiq; somniant. Non ita: Tu ad exemplum horum Israelitarum, *gramcanq; Deus tibi fortunaverit horam,*

gra-

gratâ seme manu. Lætati sunt illi; tu qvoq; læteris, sed potissimùm in DEO cum Maria Luc.1. & in omnibus gratias agas Col.3,17. & cogites semper, qvòd sis coram Deo, in conspectu summi Imperatoris, ita tristitiæ & lætitiæ modum rectè temperabis. Non enim gaudebis insolenter, nec mœrebis insolabiliter; qvum illius præsentia castiget facilè excessum in bono & abundantiâ, & rectè suppleat defectum in malo & indigentia. Ad summam, Deus est, in qvo præsente possumus lætari, & idem si absit, cogitur homo verè contristari, & si qvis gaudet, non tradat oblivioni, qvod sit & stet in conspectu Dei, non se in malis subducat cum Caino Gen.4. vel Jonâ Jon.1. nec in prosperis recalcitret, ut de Israelitis dicitur Devt.8,12. & 32,15. & Salomo deprecatur Proverb. 30,9. Qvod si ita est, ut qvem Deus exhilarat, jure gaudere possit, nullus hominum certum tempus tristitiæ potest præscribere, qvo non elapso gaudere non liceat. Jus divinum certè talia ignorat decreta, & vicissitudinis exempla, ubi non ita longum intercessit spacium, habemus in sanctis; Davide ducente statim post mortem Nabalis ejus conjugem 1.Sam.25,39. & post mortem filioli se non multò post recreante 2.Sam.12. Josepho lugente patrem qvatuordecim diebus Gen.50. Israelitis deflentibus Mosen diebus triginta Devt.34,8. in genere dicitur, luctus mortui septem dies Syr.22,13. & qvid multis? limites ipsa natura, Deus, & pietas facilè præfigent, huic breviores, illi longiores, non verò ullum decretum humanum universale. Ut enim ubi sol oritur, dies est; sic ubi in corde hominis pii lucet Dei facies, lætitia statim subseqvitur: unde hoc loco rectè dicitur; lætati sunt coram te. Et hæc est gaudii præparatio.

IV. Loc. Comm.

QVæ sit ejus comparatio, eaq; duplex. Prius enim, qvando hæc lætitia confertur cum eâ, qvæ est in messe, hæc autem non obtingat, nisi sedulis agricolis & labore antea sæpe defatigatis, (qvis enim metit, nisi qvi agrum proscindit, serit, occat?) docemur hæc ad usum nostrum transferre politicè & ecclesiasticè. Illo qvidem modo, ut cogitemus illud; in sudore vultus tui vesceris pane tuo Genes. 3. gaudium itaq; tale ignorant, qvi non laborant, veluti tantum ex suis annuis reditibus, vel malis artibus viventes, in ocio summo, & qvod olim bono

sine templis ac Scholis legatum est, in deliciis consumentes: hi enim nec sudant nec algent, neq; timent, ne imber, grando, aut alia calamitas intercipiat, qvod eos capere oportebat. Ecclesiasticè hoc modo per comparationem ad usum nostrum transferimus. Ut prius illi agricolæ, dum adhuc messis in herbâ est, metuunt sæpiùs, ne fruges nimiâ siccitate exarescant, vel humiditate nimiâ computrescant, ne æstu aut frigore adurantur, sollicitudine anguntur maximâ: Postea verò ubi vident, esse frumentum convectum in horrea & loca, ubi possit esse tutum ab injuriâ cœli, gaudent sanè, Deum suo labori benedixisse. Ita etiam pii concionatores, qvi conferuntur agricolis 1.Cor 3,6.9.& 9,10. 2.Tim.2,6. ubi semen verbi divini spargunt, metus est, ut apud multos fructum ferat Luc.8. qvando autem cernunt multos converti & ex potestate Diaboli eripi, gaudent utiq; impensè, qvin & ipsi pii olim lætabuntur, qvando in horrea Dei congregantur Matth.13,10. seq; omnibus terræ injuriis subductos esse sentient. Secunda collatio gaudii est, qvæ instituitur cum eâ lætitiâ & jubilo, qvæ sunt post cruentum prælium ac reportatam victoriam. Ut enim ibi multi labores ac pericula antecedunt, ac fortitudo pugnantium omnino reqviritur, ita etiam in bello hoc spirituali, qvod contra Diabolum, carnem, mundum gerunt pii 2.Tim.4,7.8. est pugnandum, tolerandum Ephes.6. tandem autem per Christum ducem, ubi auffertur victoria & brabejon 1.Cor.9.& 15. seqvitur triumphus Col.2.& spoliorum distributio Luc.11. Et qvemadmodum utrobiq; in messe ac conflictu maximopere, imò præcipuè reqviritur DEI benedictio: ita unicè ea spectatur in spiritualibus, qvum sine DEO in his nihil qvicqvàm possimus facere Johan.15. Qvia verò Deus non verè benedicit nisi piis (nam bona potest dare impiis, & felicitate qvâdam externâ beare ad tempus; benedicere iis non potest, qvia non sunt apud eum in gratiâ, non sunt in dilecto filio dilecti) monentur rustici & milites, si velint ex manu DEI propitii acceptare beneficium messis copiosæ aut victoriæ gloriosæ, ut coram eo ambulent, & sit in conspectu eorum timor Jehovæ. Et tales qvidem juxta hanc Prophetæ comparationem & asseverationem eos esse dicebat; qvales verò plerumq; & maximam partem sint, res & dies ipse probat, nempe ut plurimùm non gaudent coram Deo, sed Diabolo, cui serviunt.

V. Loc.

V. Loc. Comm.

NOtandum hîc, qvæ sit tyrannorum gubernatio. Subditis, qvorum salutem debebant unicè procurare, ut patres patriæ, imponunt intolerabile exactionum jugum, id si non portant pro omni dominantium libidine, virgam & plagas adhibent, pœnasq; indicunt graves, atqve ita qvos protegere eos erat æqvum, ipsi omnium primi opprimunt, ac planè perdunt, qvemadmodum in Pharaone ejusq; præfectis videre est Exod. 2. &c. Si autem hæc externa mala, qvæ cum morte desinunt, adeò dura sunt, ut satis dici vel exaggerari neqveant; qvantò gravior & pejor erit (qvi L.C. ab aliis plerisq; interpretibus hîc tantùm tractatur prolixè) servitus sub potestate Diaboli, oppressio sub lege, cruciatus in inferno? Et contrà qvemadmodum ex animo lætantur homines, qvando à crudeli tyranno aliqvò liberantur; ita multò magis triumphant pii, qvando in læto Evangelii nuncio percipiunt prædicari, promitti ac dari in Christo captivis dimissionem, & confractis libertatem Esa. 61. Luc. 4, 18. Christus enim per suam mortem destruxit eum, qvi potestatem mortis habebat, id est, Diabolum Hebr. 2, 14. & salutem attulit, & redemit nos ex manu omnium, qvi oderant nos Luc. 1, v. 71. qvia ipse leo de tribu Juda vicit Apocal. 5, 5. Et pulchrè conveniunt hæ similitudines spirituali illi captivitati: siqvidem ut in tyrannide præcedunt decreta exigentia vel operas vel pecuniam aut alia bona; ita hîc lex præscribit facienda, & qvum non fiunt illa, non acqviescit exigere, nisi soluto demùm per Christum λύτρῳ: deinde ut non sunt contenti tyranni in res ac bona subditorum sævire, dum eos deglubunt, verùm etiam corpora ipsa affligere gestiunt; ita Diabolus animos & conscientias hominum misere torqvet post admissa peccata, nec cessat hæc virga affligere priusqvam Christus liberâ manu aliqvem credentem voluit asserere: qvò pertinent emphases vocabulorum de Christi redemptione usitatorum, λύτρων, ἀντίλυτρον, περιποίησις, λαὸς περιούσιος, ἐξαγοράζειν. Ea enim ex contrario demonstrant, qvale nos extra Christum oneraverit jugum, Actor. 15, 10. qvæ virga, imò flagellum, nos afflixerit, imò qvæ malorum ilias nos presserit.

VI. Loc. Commun.

COnsiderandum, qvàm miranda hæc fuerit liberatio. Ejus summa

capita sunt hæc. Israelitæ á Midianitis graviter affligebantur, DEUS Gideonem vocat & mittit, qvi servet eos ex horum manu, ita ut altare Baalis destruat, & lucum succidat; qvod ubi fecit, signo de futurâ victoriâ confirmatur, delectum militum habet, divinitus præmonstratum, & trecentis instructis, ac buccinâ, hydriâ, & face armatis ingentes fundit copias Jud. 6,7. dum Jehova obvertit gladium unius in alterum. Spectatur hic Israelitarum calamitas, Midianitarum crudelitas, Dei clementia, Gideonis obedientia, idololatriæ abrogatio, hostium sublatio: primam deprecemur, secundam aversemur, tertiam precemur, qvartam imitemur, qvintæ studeamus, sextam speremus, in omnibus verò rerum humanarum vicissitudinem ac instabilitatem ponderemus, atq; ad spiritualia ac æterna bona jugiter aspiremus; qvò pertinet jam á plerisq; hic instituta collatio. 1. *Liberationis* per Christum, cum eâ, qvæ per Gideonem est præstita. 2. *Servitutis* peccati cum Israelitarum depressione. 3. *Potestatis* Diaboli, jam condemnati, ac igni infernali atq; inextincto addicti, cum Midianitis (qvod etiam ipsum nomen innuit.) 4. *Gladii* spiritualis seu verbi Dei cum gladio Gideonis. 5, *Prædicationis* verbi cum sono tubæ. 6. *Corporum* nostrorum cum vasis testaceis seu hydriis. 7. *Fidei* in cordibus lucentis & verbi docentis ac ducentis cum face ardenti. 8. *Pacis* in regno Christi gratiæ & gloriæ cum pace subsecutâ hanc victoriam, ibiq; á minus ad magis, á terrenis ad cœlestia, á corporalibus ad spiritualia fiat argumentatio per comporationé, qvemadmodum hinc inde apud alios docetur. Qvapropter ne actum agamus, hactenus sufficit tantùm delibasse, & summa seqvi fastigia rerum. Inprimis autem & præcipuè hic semper attendendum est illud, qvod sicut ibi nihil qvicqvam viribus humanis potest attribui, sed omnia DEI potentiæ & gratiæ debentur in solidum; ita in nostri liberatione ac conversione (qvæ est, finitore Apostolo Col. 1,12.13.14. liberatio ex potestate tenebrarum & translatio in regnum filii Dei, & Ephes. 2,5. mortuorum in peccatis vivificatio per Christum ex merâ gratiâ) nihil nos posse ex nobis vel cogitare vel inchoare, saltem intelligimus.

VII. Loc. Comm.

QVæ sit tumultuum bellicorum conditio: nimirum illa, qvòd incepten-

ptentur per ferociam, continuentur per violentiam, finiantur & desinant in summam miseriam, orta (de offensivis, qvalia pleraq; , potissimùm hoc intelligendum, qvamvis etiam defensivis ob imperfectionē nostram suo modo competant pleraq;) à Diabolo, gesta infenso animo, & tandem finita damno Nonne enim ille homicida antiqvus multis inspirat illam superbiam, qvâ cuncta ad se rapiendi libidine flagrantes, omnia jura divina ac humana violare pro leviculo habeant? Nonne ita illa infernalis erynnis exasperat, exacerbat, atq; inter se inflammat multorum magnatum corda, ut dum moliuntur potiri cupitis, omnia sua, qvoq; , imò miserorum subditorum perdant? Nonne unanimes (tales enim esse decet omnes Christianos) armantur in prælia fratres? Nonne agri desolantur, urbes vastantur, homines trucidantur? Hæc est illa concussio, qvâ velutipsa terræ fundamenta tremunt, dum nihil sacrum manet inviolabile, nihil sanctum restat non profanatum, & qvis posset omnia belli mala, cui nulla omnino salus, enumerare? *Nulla fides pietas qve viris, qvi castra sequuntur*, imò multi nunc per artes diabolicas ac incantationes corpus contra ictus durant, pejerare ac dejerare ipsis ludus est, verbum Dei non habet locum, ubi ferro dimicatur, inferiores superioribus non præstant debitam obedientiam, nec hi illis, uti decebat, paternam benivolentiam; innumeræ hominum, ad Dei imaginem conditorum, eduntur strages, infinita perpetrantur stupra, adulteria, incestus, raptus; aliis sua eripiuntur, tecta incenduntur, etiam ab amicis calumniâ onerantur, & paucis ut dicam omnia, aliena appetuntur, inviaduntur, occupantur, qvo jure qvâq; injuriâ, adeò ut in uno bello sint omnis generis flagitia, & omnis generis supplicia. Hinc jam sequitur apud Prophetam, vestimentum volutatum in sanguinibus & cædibus hominum, hominum etiam Christi sanguine redemptorum, à Spiritu S. in sacramento initiationis illuminatorum, atq; adeo templorum sacrosanctæ Trinitatis, qvâ re qvid potest esse indignius aut pejus?

VIII. Loc. Commun.

SEd tandem subjiciatur hæc severa præmonitio & jucunda consolatio, qvòd non æternùm duratura sit talis oppressio, sed desinat vel ante, ubi Deus vult, qvi bella tedat Ps. 46. vel cum morte, vel cerrè tamē ubi totus his orbis conflagrabit, & omnis potestas ac majestas talium

vio

violentorum peribit, qvum ipsi crudeles crudeliter tractabuntur Sap. 6. & qvi hîc coangustavêre alios parvo tempore, æternùm in inferno cruciabuntur; qvi hîc igne populati sunt agros & urbes, ibi igne inextincto condemnabuntur: Ita Christus qvi adventu suo primo, ubi erat pax terris restituta, voluit homines in concordiam coire & bella tollere, tandem suo adventu ultimo tumultus istos cessare faciet, & proinde ad eum accurrent omnes rerum humanarum instabilitate moniti, qvi est scopus hujus loci & prioris partis exegeseos, de Judæorum ante Christum datum infelicitate, etiam in summâ externâ felicitate.

Seqvitur jam porrò, qvæ sub tempus N. T. in Christo exspectanda sit felicitas, ut ita posterior pars superioris prolepticæ propositionis etiam declaretur uberiùs. Dictum est, futurum esse, ut populus sedens in tenebris (qvæ qvales & qvantæ fuerint, hactenus abundè fuit ostensum) videat lucem magnam, & super considentes in terrâ umbræ lethalis lux splendeat. Hujus excellentia jam deinceps explicatur, ut ejus honor ac splendor tantò magis appareat. Membra hujus particulæ sunt duo, prius continet Regis ipsius commendationem, posterius regni ejus administrationem: ibi depingitur persona, hîc dona: ibi duplex regis natura, & triplex ergâ nos cura, seu tria officia, regium, propheticum, sacerdotale; hîc regni multiplicia privilegia ac jura: ibi Principis tituli ac majestas, hîc civium ejus felicitas & æternitas. *Natura* est, & *humana*, in tempore ex Mariâ virgine sup. c. 7, 14. assumta, & *divina* ab æterno â patre genita Psal. 2, 6. *Officium Regium*, principatu humeris incumbente denotatur, *Propheticum* voce consiliarii potissimùm indigitatur, & *Sacerdotale*, qvod sit pater æternitatis & Princeps pacis, dum suo merito æternam felicitatem, qvâ excideramus lapsu Adami, recuperavit, & pacem, amissam per eundem, restituit. Ad totam autem personam, & triplex officium spectant reliqvi duo *Tituli* (qvanqvam & reliqvi hinc non excluduntur, sed suo modò huc referendi explicandi sunt) qvòd sit mirabilis & Deus fortis ac robustus geminæ gigas substantiæ. Verba ipsa, qvæ sanè sunt emphatica, ita habent: qvod dixi lucem magnam orituram esse, per qvam omnes tenebræ dispellantur, verum est, qvantumvis aliter judicent jam homines, in miseriis ac bellorum tumultibus constituti. כי *nam* seu qvia, (ita enim iterum malim illam particulam causaliter cum Luthero & mul-

multis aliis explicare, sicut freqventissimè accipitur, qvâm cum Junio ac Tremillio per qvum vertere, & aliam particulam adversativam sed apponere, siqvidem hic ratio redditur ejus assertionis, qvòd lux magna esset tandem oritura) *puer natus est nobis*, hecraicè ἐμφατικῶτερον יֶלֶד יֻלַּד qvasi Græcè dicas τέκνον ἐτέχθη, puer verè natus in tempore licet præter rerum seriem ex purâ virgine, supra cap. 7, 14. ubi hoc ipsum verbum hebræum Matth. 1, 10. 20. 23. Luc. 2, 10. 11. natus est, ob certitudinem Propheta de certissimè futuro tempore præterito utitur, & hic natus est nobis, nobis ex nostrâ gente & stirpe regiâ Rom. 9, 5. Heb. 7, 14. nobis, nostro bono, & ut nos nobis hæc omnia, qvæ seqvuntur, fidei manu applicemus, aliàs toti mundo natus & datus est, sed hîc simul ad nostrum officium & eventum respicit Propheta, qvomodo hæc tria tribus vocabulis hebræis denotantur, *primò* humanæ naturæ veritas & simul tenuitas ac in specie infirmitas, *secundò* promissionis certitudo & verbi divini stabilitas, *tertiò* fidei officium & proprietas. Et hactenùs probata est bevola hujus futuri Messiæ voluntas, quippe qui etiam caro de carne nostrâ, nobis similis in omnibus, excepto peccato: sed verè hîc dicas, cùm in ipso etiam requiratur juvandi facultas, hîc homo reliquis hominibus Deus, & proinde meritò subjicendum est aliqvid de divinâ ejus naturâ. *Filius* inquam, ut ita non tantùm sexus determinetur hâc voce, uti dicunt Rabbini, sed etiam præclara spes concitetur de hoc futuro rege, & Christiani altius ascendimus & dicimus, qvod sit filius Dei, qui dedit, unde Christus donum Dei appellatur Joh. 4, 10. & à Patre datus esse ac missus in mundum sæpè dicitur Joh. 3, 16. & 6, 39. hic filius Dei *datus est nobis*, ut verè jam sit עִמָּנוּאֵל & ut ita dicamus נְתַנְאֵל θεόδωρος θεοδόσιος δωρόθεος, Deus & homo in unâ personâ, ut ita possit & debeat peccata expiare, pro mundi vita mori, justitiæ Dei satisfacere & omnia amissa bona restituere. Si enim tum fuisset ψιλὸς ἄνθρωπος, non potuisset, si Deus tantùm, non tenebatur, neq; poterat mori; Propterea igitur filius Dei æternus factus est in tempore puer, ut ita Deus incarnatus suo sanguine posset redimere Ecclesiam Act. 20, 28. Vult autem his verbis Esaias nos revocare ad præcedentes omnes Dei promissionis de Messia datas protoplastis Gen. 3. Abrahamo Gen. 12. 17. 22. Isaaco Gen. 26. Jacobo Gen. 28. filiis Israël Deut. 18. Davidi 2. Sam. 7. quasi dicas Deus tandem stabit promissis sæpè repetitis, & ego jam videor videre

illum diem quò nascetur filius Dei in hunc mundum, puer certò nascetur nobis, filius certò dabitur nobis, & proinde jam quoq; benè sperare debetis, non posse fieri, ut planè pereatis Vos Judæi, quia ex vobis prodibit ille promissus Messias. Ita enim solent solari populum Judaicum Prophetæ, ut hîc quoq; factum esse scopus, suprà indicatus, innuit, ut intelligant, in Christo omnes promissiones Dei esse certas & ratas. Hic ergò est ille puer admirabilis, verè delectabilis, & hinc ejus elucet erga nos benevolentia & potentia, sed quia de hac potissimùm afflictis oritur dubium, num etiam Deus in tam magnis malis possit juvare, tam potentes hostes posternere, tam insignem afflictionem tollere, Propheta pergit & ostendit, quod sint huic puero vires ad juvandum sat validæ, robur ad auxlliandum satis firmum, *& est* inquit Propheta, *principatus* הַמִּשְׂרָה cum ה præfixo ad emphasin, *super humerum ejus*, ipse omnibus rebus potenter dominatur & imperat, quemadmodum collatio hujus phraseos cum eâ, quæ extat infra c. 22, 22. luculenter ostendit. Ibi enim quod intelligatur plena regni administratio, quum dicitur, imponam clavem domus Davidis in humerum ejus, ex versu præcedente 21. liquet, ubi idem ita effertur, dominationem tuam tradam in manum ejus? Sensus itaq; verus hujus loci est, ipse obtinebit amplissimum & constantissimum imperium, nulli subjectus, quippe, qui contrivit virgam humeri populi sui, suprà v. 4. ipse præsens omnia gubernabit, non rejiciet hoc regimen in humeros aliorum, ut solent mundani principes, quibus gubernatio videtur esse onus, ideoq; illam committunt consiliariis, præfectis, & aliis, ipsi fruentes ocio; quin etiã si maximè velit bonus princeps omnibus adesse & præesse, quæ geruntur in ipsius territorio, tamen per ipsum solum & unum non possunt omnia administrari, uti declarat D. Brentius, & ex eo D. Forsterus, & Arcularius, etiam ex Calvinianis Piscator & Junius, quorum ille citat Matth. 28, 18. atq; ita sua cædit vineta, quod alibi demonstratur, hîc tantùm indicari debet; siquidem cùm hîc agatur de puero nato nobis, & illi dicantur omnia in cœlo & in terra data, quid aliud concludemus, quàm quod negare solet Piscator cum aliis Calvinianis, Christo secundum humanam naturam data esse omnia in tempore. Verâ sententiâ indicatâ, quid de aliis diversis explicationibus sit sentiendum, clarescit, nimirum qui ita hæc exponunt: Alii magnates suis subditis imponunt virgam,

virgam, hic autem puer suis civibus largitur principatum, verbis vim faciunt & connexionem turbant; quandoquidem hîc non asseritur, quid datum sit vel competat subditis, verùm ipsi Domino & Regi Ecclesiæ, atq; ita scopum Prophetæ quoq; invertut, qui est velle deducere afflictos ad Christum tanquam ad asylum immotum & velut sacram anchoram. Nonnulli qui ita interpretantur, quodin humeros suos Christus portarit crucem, contrarium planè asserunt hoc loco contineri. Et quis posset, imò cuperet citra necessitatem aliorum recensere opiniones, quum in recensione nudâ nulla sit subtilitas vel utilitas? Notemus obiter, quòd quum principatus hîc dicitur adesse vel impositus esse humero Christi, digitus quasi ad humanam naturam intendatur, cujus est propriè humerus, ubi tamen particula restrictiva ad naturam alteram nos deducit, res autem ipsa totam ad personam pertinet, quodin L. de Christo solet declarari; Et breviter: Christus Deus potestatem in omnia habet ex natura, Christus homo ex unionis gratia. Qualis hic Rex sit audivimus: audiamus etiam ejus titulos, & titulos quidem seu nomina non primariò personæ sed officii, uti D. Forsterus ex Luthero pluribus declarat, (unde non immeritò mireris, qui ausint quidam hîc novum membrum cum hac inscriptione ordiri, personæ descriptio) Alii magnates sæpe multos quidem titulos obtinent; parvas autem ditiones, parvas vires, paucas virtutes habent: hic noster Rex ac Princeps nullos titulos habet sine re; In quam sententiam multa adducit Brentius, digna sanè, quæ attendantur. Quid enim? nonne hic est ille, *cujus nomen vocat*, putatis, qui vocat eum, ratione impositionis, æternus Pater, ratione usurpationis & invocationis quisq; credentium, ratione prædicationis ministri verbi, quomodo interpretes diversimodè supplentes facilè possunt conciliari, de ipsâ autem constructione videatur Buxtorf. Thesaur. Gram. l. 2. c. 10. p. 349. de hujus loci verò putativâ corruptione Bellarm. l. 2. de verbo Dei c. 2. isq; cum suis nugis videatur, qvum genus hoc loqvendi impersolaliter usitatissimum sit in omnibus linguis & præcipuè in hac sancta, ita tamen ut commodus sub & intelligatur nominativus. Itaigitur Pater æternus hujus filii dum illũ generat, etiam titulis divinis hisce eundem ornat, cùm ipse solus possit dare hæc nomina, quæ sibi soli servat, & non communicat cum qvoqvam, nisi qui sit ejusdem cum ipso essentiæ Esa. 42, 8. & 48, 11. ita credentes pro tali eum agnoscunt ac profitentur: ita præco-

nes Evangelii hos titulos publicè exponunt & inculcant, Lutheri explicatio hæc est: **Hie mustu nicht dencken / daß man jhn nach seiner Person nennen vnnd ruffen soll / wie man sonst jemand bey seinen Nahmen rufft / sondern es sind Nahmen / die man von jhm predigen / preisen vnnd rühmen wird / seiner That / Wercks vnd Ampts halben.** Et non sine causâ probatur, qvum sæpissimè verbum קָרָא de publicâ prædicatione Gen. 4, 26. Lev. 25, 10. Jos. 8, 34. Nehem. 6, 7. & 8, 3. Esa. 40, 2. 3. & 61, 1. atq; hinc in singulis auditoribus piis excitatâ invocatione hinc inde usurpetur Psal. 50, 15. & 91, 15. Quod si autem Deus & homines ita Christum vocant, & hi ita invocant, sequitur id, quod est inversione Lutheri, **vnd er heist.** Primus titulus hic est, quòd vocaturi sint eum *admirabilem* **wunderbahr** פֶּלֶא potentia, cùm ipsi nihil sit mirum aut novum aut difficile inventu vel effectu cui אֲשֶׁר עִמָּנוּ לֹא־יִפָּלֵא דָּבָר Gen. 18. 14. Jer. 32, 17. 27. providentia, dum sanctum suum sibi הִפְלִיא Psal. 4, 4. confer Ps. 31, 22. Esa. 28, 29. quiq; facit נִפְלְאוֹתֵרַבּוֹת Psalm. 72, 18. & 136, 4, admirabilem natura & cura, operibus hinc inde expositis, & oneribus populo suo impositis, dictis & factis confer Gen. 32, 29. Jud. 13, 18. propter unionis personalis duarum naturam nodum indissolubilem, propter redemptionis humanigeneris modum rationi impervestigabilem, admirabilem patiendo & miracula faciendo, oriendo & moriendo in Ecclesiæ vocatione, gubernatione, conservatione, glorificatione. Adsummam omnia in hoc puero sunt mirabiliter singularia, & singulariter mirabilia, ut merito nomen mirabilis obtineat, ut ex dictis facilè pluribus potest deduci, additis Scripturæ dictis ac exemplis, quæ cujusq; industriæ relinqventes ad secundum titulum accedimus, siquidem eum etiam vocabunt *consiliarum* **Rath** יוֹעֵץ, quippe qui solus jure omni dicit Prov. 8, 14. לִי עֵצָה וְתוּשִׁיָּה **Mein ist beyde Rath vnnd That.** Ipse consilium de nostri redemtione invenit, ipse cœlitùs patefecit, Joh. 1, 18. Act. 20, 27. Luc. 7, 30. ipse rogatus in piis precibus consilia salubria sufficit & infundit Prov. 8, 14. 15, 1. Reg. 1, 12. hostium autem consilia supprimit & confundit 2 Sam. 15, 31. & 17, 23. Prov. 33, 10. Esa. 8, 10. ipse consilio suo mirabiliter suos deducit Psal. 73, 24. & docet Psal. 32, 8. & 16, 7. ut jure optimo vocetur magnus consilio & amplus auxilio Jer. 32, 19. consilium ejus stabit. Esa. 46, 10. & contra hostium ejus ac impiorum in ventum & fumum abit Job 5, 13.

Prov.

Prov. 21, 30. & licet de aliis quoq; consiliariis vocabulum יועץ usurpetur, tamé quia hoc loco res ipsa hoc innuuit, id non negligimus, quòd Christus sit verè talis, hoc est consiliarius semper consulens actu, ut vulgò loquimur, nunqvam cessans suis consulere, siquidem hic custos Israelis non dormitat, neq; dormit Psal. 121, 4. Jam confer hunc consiliarium, qui & Rex ipse est, quippe super cujus ipsius humerum est principatus, cum aliis regibus, princibus, magnatibus. Illi in rebus dubiis & intricatis negociis consilium petere necesse habent ab aliis, hic autem omnibus dat, semper habet consilii locum & auxilii copiam, &, ut rectè conjungere possimus hæc duo nomina, cogitemus cum Propheta nostro c. 28, 29. quòd sit consilio marificus, & re ipsâ magnificus, quorum hoc posterius jam nos porrò deducit ad tertium hujus Regis titulum, qui est, quòd vocent illum *Deum fortem* אֵל, nomenq; hoc obtinet ab אַיִל idest fortitudo, virtus, quo respectu potest verti cum Luthero Krafft / quâ de re legatur ipse tom. 3. Jen. Germ. f. 184. & in cap 31. Genf fol. 478. & quod ad rem, non multum differunt, quia qui verè est talis, ut ipse vocetur Krafft / ille est Deus verus, quia concretum creaturis competit, sed adstractum proprie nulli nisi Deo. Et hactenus Lutheri versio potest excusari, neq; ipse debet accusari, quasi ex singulari in Arrianos affectu hanc vocem ita verterit (quemadmodum caluminari solent alii, quæ scripsit de voce ὁμοούσιος, & quod locus 1. Joh. 5, 7. non inveniatur in omnibus bibliis Germanicis) quum constet quomodo idem divinitatem filii propugnaverit constantissimè, & Christum verum Deum Patri coæqualem crediderit. Ipse tamen Lutherus vocem, אֵל, quæ hoc loco extat postea verit Gott/ ut videre est tom. 8. Jen. germ. p. 145. b. ut sanè sit præter rem hæc vel exaggerare vel exagitare, ubi potest de sententiâ Lutheri & loci præsentis constare. Interim cum D. Brentio ita statuimus, cujus hæc sunt verba: Et si אֵל possit per fortis exponi, tamen cum alia scripturæ loca manifestè doceant, Messiam esse verum Deum & אֵל significet Deum, retinenda est eorum interpretatio, qui hoc loco אֵל pro Deo expponunt. Ita enim Lutheri versionem salvat, & dilucidiorem sententiam seu explicationem, quam & ipse Lutherus postea probavit, (vide loca aliter versa in bibliis germanicis) commendat Alii autem omninò illam versionem priorem ita propugnant, ut hanc posteriorem refutent, non

Ebræorum (quam putant) inſcitiam demonſtrant, ſed ſuam ipſorum probant. Alii enim dum dicunt, ita אֵל ſæpe accipitur pro potentia & robore, minus rectè accipiunt ſimpliciter. Quod non ita extat, verum quidem eſt, quod, quando ſequitur nomen יָד & quidem nomini אֵל præfigitur לְ, אֵל ſubſtantivum ſit Deut. 28, 32. Prov. 3, 27. Gen. 31, 29. Nehem. 5, 5. Mich. 2, 1. hîc autem neutrum occurrit, non igitur in tali ſignificatione poteſtatem ſignificat, ut non nemo ſcribit, nec ſunt loci ſimiles per omnia. Alii ita progrediuntur: Vocabulum hoc geminam habet ſignificationem. In priori accipitur eſſentialiter de illo, qui μόνος δυνάστης; in poſteriori ſumitur adjectivè, ut idem ſit quod potens, & tum eſt attributum non ſaltem Dei, ſed hominum potentiorum. Lutherus autem hoc loco ſignificationem poſteriorem priori antepoſuit &c. Hæc illi, in quibus primùm meritò quis quærat, quomodo attributum Dei à Deo differat? & anne attributa Dei de ipſo ſubſtantivè ſeu abſtractivè poſſint dici? imò ubi in bibliis אֵל de Deo acceptum vel uſurpatum unquam notet attributum? annon attributa pertineant ad eſſentiam, imo ſint cùm eâ unũ? Quod ſi ita eſt, hîc & hactenus prior & poſterior ſignificatio hujus vocabuli non habet locum. Deinde hi contradicunt Luthero & aliis ejus defenſoribus, quum ille verterit non kräfftig / ſed Krafft / & hi ſubſtantivum hîc eſſe ſtatuant. *Tertiò* malè didicerunt hi præcepta Grammatices hebrææ, ſi enim אֵל eſt adjectivum, non poteſt ſuo ſubſtantivo גִּבּוֹר præponi. Vide Theſ. Buxtorf. l. 2. c. 1. reg. 2. p. 306. *Quartò* Lutherus ipſe ſeparat hos titulos, Ergo non ut adjectivum & ſubſtantivum componit. *Quintò* quomodo ipſi numerare poſſunt ſex titulos diverſos, quod faciunt, ſi hæc ut adjectivum & ſubſtantivum cohærent? Vide Polan l. 2. Syntagm. Theol. c. 6. p. 895. ubi quod ipſe habet de accentu, nobis favet potiùs, quàm illi. Deſinat igitur & ipſe in hiſce ſe oſtentare, qvæ malè cohærent, quæq; non afferrem, niſi alios, qui volunt potiùs videri, quàm eſſe periti linguæ ſanctæ, hæc pro oraculis quandoq; venditare, animadverterem. Ad rem de qua Lutherus Com. in Eſa. Tom. 3. lat. Jenenſi fol. 304. b. ita ſcribit. Sic autem ſunt hæc duo nomina diſtinguenda, quod אֵל ſignificet virtutem ſubſtantivam, quâ ſuſtinet alios, גִּבּוֹר autem ſeu gigas ſignificet virtutem activam ſeu operativam, qua reſiſtit inimicis. Brentius ita commentatur: mundani principes ſunt tantùm homines, Meſſias autem non eſt tantùm

homo

homo, sed etiam Deus omnipotens, quæ est summa omnium majestas. Et jam plus satis de his, tituloq; tertio pro instituti nostri ratione: sequitur quartus, גִּבּוֹר vocabunt eum *robustißimum* & gigantem fortissimum, imò heroem invictissimum, Held / der einen rechten Heldenmuth hat / quia novit se omnibus hostibus posse prævalere, quod nota R. גָּבַר prævaluit, estq; verè גִּבֹּר vir, viribus & robore præstans, Psal. 45,4. & גִּבּוֹר omnium herus ac Dominus omnipotens. Ne enim quis dubitet aut ambigat, non possit deliberata & parata consilia effectui dare ille cœlestis consiliarius, Dei & herois titulus subjunctus de facultate præstandi nos certos reddit quum sit is Dei ipsius & solius titulus Esa.10, 21. Deut.10,17. Jer,32,18. Confer Psal. 24, 8. Huic igitur geminæ substantiæ giganti & fortissimo Domino rectius confidimus, quàm suo robustissimo Philistæi 1. Sam. 17, 51. siquidem is à Davide puerò, hujus pueri, de quo Esaias hoc loco agit, typo optimè victus est; noster autem heros semper victoriam obtinet, ut in allegato Psal.24. docetur. Potest autem hoc prolixius declarari, si effecta hujus roboris & fortitudinis spectemus, cùm ille fortior armatus armatum Diabolum vicerit, omnesq; hostes spirituales Luc.11,22. 1.Cor.15. Heb. 2.Hos,13.& possit omnes eripere, qui ad eum voluerint confugere, neminem reliquerit, qui se ipsi dereliquit Ps.10,14. Ne quis verò hanc benivolentiam vel potentiam temporis tractu immutatũ, aut aliò translatum iri existimet, quæ est nostræ fidei imbecillitas, vel saltem terrena cum Judæis ab hoc Rege sibi promittat, quæ etiam est nostra plerorumq; perversitas, succedit titulus quintus, & in ordinem cogit illas evagantes ac errantes opiniones, dum vocat eum אֲבִי־עַד Patrem æternitatis, qvi & ipse sempiternus verè est, & æternùm beat credentes, quomodo vox אָב de eo, qui est alicujus rei possessor vel autor, usurpatur Genes.4,20.21. Joh. 8, 44. 2 Cor.1,3. Lutherus ewiger Vater / affectu & effectu, etiam porrò affatu. Magnates alii sunt & sæpè dicuntur tantùm patres patriæ, hic est cœli & totius orbis, & præcipuè futuri seculi, qvod nemo præter eum parare aut dare potest, ipse non mutat Malach 3,6. nec mutatur Psal. 102, 27. 28 & porinde est Pater continuè vivens, quaam diu sumus filii, ad leviora dilicta connivens immer Vater atque ita respectu Ecclesiæ, non rationi essentiæ aut personæ, hoc nomen habet, & Pater est in Ecclesiæ vocatio-

vocatione & conservatione, non in divinitate ipsâ, ubi est filius, ne quis cum Sabellio hinc personas S.S. Trinitatis confundat. Quod vocem עַד & quod notet æternitatem spectat, conferantur hæc loca Exod. 11. 18. Psal. 10, 16. & 45, 6. & 48, 15. Esa, 57. 15. Chrstus itaq; est Pater piorum cùm ratione creationis Mal. 2, 10. tum ratione recreationis seu regenerationis per verbum & sacramenta, & sic est Pater in regno gratiæ Ps. 110, 3. & 100, 3. & gloriæ, quippe ubi ipse dat vitam æternam Joh. 10, 18. 1. Joh, 5, 11. 12. Pater est in vite spiritualis collatione, in hæreditatis cœlestis donatione; & cùm cædit, Pater est, & cum clanditur, Pater est: cædit, ne cum mundo pereamus, blanditur, ne dificiamus. Sextus diniq; titulus, quo vocant eum שַׂר־שָׁלוֹם principem pacis, einen Friedenfürsten/ & Fridericum omine, de præcipuo bono quodam, qvod & ipse Rex Ecclesiæ habet, ac suis præbet, nos monet. Si enim pax externa *est optima rerum, quas homini novisse datum est*, quid dicemus de pace interna animi ac spirituali?

Non enim gazæ, neq; consularis
Summovet lictor miseros tumultus
Mentis & curas laqueata circum
Tecta volantes,

Sed hic demum puer, ubi natus est, cum gaudio & verè cœlitùs proclamant angeli, quòd sit in terrâ pax, & Deus in hominibus sibi per filium reconciliandis acquiescat Luc. 2. Alii magnates maximam partem ex superbiâ & nimiâ regnandi ac habendi libidine, dum Diaboli suasu & impulsu quocunq; prætextu aliena appetunt, sunt autores bellorum, quod hodie (proh dolor!) Germania maximo cum suo damno experitur; sed Christus efficit pacem, *supra nos* cum Deo, cui nos reconciliat suo sanguine; *infra nos* contra infernum, mortem Diabolum, quos pro nobis devicit; *circa nos* cum hominibus, cum quibus nos vult pacificè vivere, aut si ita conducat, etiam hostes nostros compescere; *intra nos* ubi conscientiam ille solus tranquillat, quâ de re vide Mich. 5, 5. Ille etiam inter Judæos & gentes pacem effecit Eph. 2, 14, Et hæc omnia non modo vult, sed etiam potest præstare, unde non modò pacificus, sed etiam שַׂר seu Princeps pacis appellatur, qui paci velut imperator, ubi perduret, unde abeat, quo se conferat, tantum verbo mandet, ut ita malis & inquietudine exerciti huc confugere discamus Joh. 16. 33. Et hæc sunt illa sex verè honorifica & magnifica Messiæ nomina,

quæ

qvæ id notant omnia, cum rectè singula perpendimus, Deum illum esse, unde omnia bona sperare, exspectare, & exorare debeamus ac qveamus. Sed de his jam etiam aliqvid in horum usu, ad qvem jam properamus.

I. Loc. Comm.

NOtanda autem hîc est mirabilis Christi nativitas: qvia puer siqvidem ut exempla Hebr. c. 7, 3. in terris & homo est ἀπάτωρ, in cœlis & Deus est ἀμήτωρ, & qvum alii pueri nascuntur sibi, hic nobis oritur; qvum alii suis parentibus dantur, hic toti mundo donatur, & hinc Propheta præcedentibus turbis hunc pacificatorem, miseriis Salvatorem, tenebris illuminatorem opponit, atq; hinc solidè suos consolatur.

II. Loc. Comm.

OBservanda est naturæ humanæ & divinæ veritas, qvarum utraq; totâ phrasi à Prophetâ adhibitâ probatur. Nam qvi verè puer nascitur. homo sine dubio est, & qvi verè datur filius, jam antè existat necesse est. Simul verò ut voce pueri innuitur tenuitas ac infirmitas, ita voce filii (ut hoc loco usurpatur, qvum respectu patris cœlestis ponitur) denotatur divina majestas ac potestas. Si enim est magnum, esse filium Regis; qvanto majus erit, esse filium Regis regum & Domini dominorum?

III. Loc. Comm.

CHristi humilitas significatur, qvando ut alii pueri ex suis parentibus, sic ipse ex virgine per obumbrationem Spiritus S. concipi & nasci voluit, eaq; omnia tolerare ac pati, qvæ alii infantes, ubi D. Forsterus cum D. Chemnitio in Harm. monet, non esse hîc præter illa, qvæ scriptura ponit expressè, qværenda vel asserenda ulla miracula, & ille qvidem contra Bellarminum aliosqve Pontificios id notat.

IV. Loc. Commun.

DEI Patris innuitur benignitas, qvi dedit suum filium mundo Johan. 3, 16. Roman 8, 32. Christus verò qvando hac ratione donum Dei appellatur, notanda est *datoris bonitas*, qvi suis inimicis donavit filium Rom. 5, 8. 1. Johan. 4, 9. 10. *doni pretiositas*, siqvidem ita datum pro mundi peccatis λύτρον Matth. 20, 28. καὶ πᾶν δώρημα τέλειον Confer.

Rom. 8,32, Jac. 1,17. 2. Cor. 1,20, Quia itaq; salutis nostræ principium planè est gratuitum, deinde etiam nostris meritis non est locus, quod contra pontificios observandum.

V. Loc. Commun.

PArticula NOBIS, ut infigatur melius memoriæ, bis repetita monstrat (1) quæ sit carni nostræ collata excellentia & gratia, quod epistola ad Hebræos inculcat c. 2, 16. (2.) quæ sit nativitatis Christi efficacia. nempe nobis afferre Evangelia, & omnis generis χαρίσματα, (3.) quæ sit fidei proprietas, nempe sibi applicare, quæ totio humano generi sunt promissa & exhibita in Christo. (4.) quæ fidelium paritas, siquidem non tantum ratione objecti apprehensi, Christi scilicet cum suo merito, fides vocatur ἰσότιμος 2. Pet. 1,1. verùm etiam omnes Patres in V. T. salvati sunt eo modo, quo nos salvamur Act. 15,11. & omnes gentes æquè ac Judæi per hunc Christum justificantur, quod exponitur Act. 10. & 11. Eph. 2. Rom. 3. & hic indigitatur, quando Propheta Esaias consolans Judæos dicit, Nobis, & quando Evangelista Matthæus c. 4, 15. scribit, hanc promissionem esse tum impletam, quando Christus in Galilæâ gentium docere cœperit, imò, quum Christus postea Matth. 28. discipulos emisit in mundum universum, ut docerent gentes, hujus voculæ explicatio uberior data est.

VI. Loc. Commun.

ATtendatur nunc porrò hujus doni ac domini majestas atq; potestas. Alii vocentur invictissimi, potentissimi; hujus nostri Messiæ humero adest principatus. Alii per alios regnum administrent, hic solus sufficit, omnibusq; præsens adest ac præest. Quod si ita est, non habet Romanum Pontificem suum in sacris vicarium. Pater enim fecit hunc Ecclesiæ suæ caput unicum Eph. 1, 22. & 4, 15. & 5, 23. Coloss. 1, 18. In rebus politicis verò quas vult hominum ministerio gubernari idem per magistratus, inter quos stat & judicat, suos servos & Deos vicarios defert & constituit Psal. 82, 1. 2. sed regnum Christi non est de hoc mundo, Ergò etiam mundano isto more non regitur Joh. 18, 36. Si autem humero Christi adest hic principatus, Christo secundum humanam naturem in tempore data sunt omnia, quod contra Calvinianos suprà jam observavimus.

VII. Loc.

VII. Loc. Comm.

SI Deus Pater dedit hæc nomina, erunt significatissima, & rem ipsam optimè donotantia. Si enim Adam in statu integritatis ad imaginem DEI creatus poterat optimè singula animalia nominare, quidni multò magis DEUS ipse omiscius? Si autem propterea dedit, ut hominibus innotescat per ea Christus, & per hanc notitiam ipsi salventur, diligenter sunt attendenda, ac recte usurpanda. Quemadmodum sedulò caveri solet, ne quis in sui Imperatoris, Regis, Ducis, titulis recensendis peccet aut titubet. Quem itaq; ministri verbi per hæc nomina docent; eum auditores fide semper invocent, & hæc nomina diligenter meditentur confer Rom.10,14. Psal. 27, 8.

VIII. Loc. Comm.

QUando vocatur Messias mirabilis, instruitur nostra *fides*; nempe non possumus mysteria tanta rimari, sed cogimur saltem mirari, ad exemplum parentum Christi. Luc.2,23. quod iis inculcandum, qui omnia credenda rationis decempedâ volunt metiri, ut plerique Calviniani, Photiniani & alii. Erigitur etiam nostra *spes*; siquidem hîc monemur, ut quando nobis novum aliquid aut mirum accidit, unde nos extricare nequimus, huc confugiamus 2. Chron.20,12. ita enim hunc nostrum Dominum ac regem nobis semper acclamare cogitemus ex Zach.8, 7. quia hoc (quod promisi) mirabile est in oculis vestris, an etiam in oculis meis mirabile esset? dictum Jehovæ. Postquam autem mirandis modis eos juvit, cum Davidi exclamemus ex Psal.118, 23. A Domino hoc factum est, & est mirabile in oculis nostris.

IX. Loc. Comm.

COnsilium hic dat in rebus cœlestibus de nostrâ redemtione, justificatione, glorificatione, quod multi tamen annunciatum sibi spernunt confer Act.20,27. Luc.7,30. dat in rebus politicis & terrestribus vide Prov.8,14.15. Si cui igitur deest sapientia in consiliis, huc accurrat, & dabitur Jac.1, 5. quia Christus consiliarius noster factus est nobis à Patre sapientia 1. Cor. 1,30. Quando itaq; hostes contra te & de te ineunt consilia Psal. 71, 10. tu ores cum Davide ex 2. Sam.15,31. Stultum aredde, ô Deus, consilium eorum. Ipse enim est, qui deprehen-

dit sapientes in sua astutia, adeò ut consilium reluctantium præcipitetur Job.5,13.

X. Loc. Comm.

USus horum est varius: qvando Messias vocatur DEUS, usus est hic, ut eum velut DEUM timeamus, eiq; ut protectori confidamus vide Malach.1,7. Psal.46. per totum, ipse enim est DEUS ille fortis nobis ad salutem omnimodam, cui sunt exitus contra ipsam mortem Psal.68, 21. Resutantur hinc omnes, qvi Christi divinitatem negant.

XI. Loc. Commun.

EA etiam probatur ex seqventi titulo, ubi nominatur Pater æternitatis, qvam ipse Christus habet Psal.102. Hebr.1. & inhabitat Esa.57, 15. 1.Tim.6,16. Jacob.1,17. eamq; ut sperent, spirent, ac spectent unicè, suos hortatur 1.Pet.5,10. & gratis credentibus numeratur Roman.6,23. Alii aliàs dant suis subditis immunitates ac privilegia: per hunc parata est & reposita æterna gloria. Non igitur nimis affixi sint terrenis, qvi volunt frui hujus regis bonis cœlestibus.

XII. Loc. Comm.

HOc Rege nato, hoc filio dato, canunt Angeli, & in terrâ pax Luc.2. Ipse jam mundo valedicens, pacem meam, inqvit, do vobis Joh.14. & 16. ut ita in ipso, cùm nascimur, cùmq; denascimur, pacem habeamꝰ, qvum ipse sit pax nostra Mich.5.

Et hæc attigisse διὰ βραχέων sufficit: Redimus ad textum, ubi pro felici clausulâ exponitur regni hujus Messiæ administratio, ubi primùm fit respectus ad versum tertium, imò ei hæc opponuntur. Dixerat Esaias amplificasti lætitiam, qvia multi hostes modò hanc modò illam regni Salomonis aliorumq; regum Judæ ac Israelis particulam sibi rapuerunt, aut certè pax non fuit diuturna aut stabilis sed amplitudini hujus principatus hebraicè לְמַרְבֵּה הַמִּשְׂרָה illius scilicet, qvem dixi puerum nobis natum ac datum gerere super humerum suum, ubi idem nomen hebraicũ in textu, & *paci* in hoc regno *nullus* unqvam (אין negat de tota specie juxta Grammaticos) *finis* neq; latitudinẽ ullus terminus, neq; durationem pacis ullum tempus excludet, sed qvousq; se extendet orbis & qvamdiu durabit hic mundus, eousq; hoc qvoq; regnum protende-

tur.

tur. Hæc est simplicissima verborum explicatio, in qvibus alii multa & magna qværunt mysteria: primùm ex omnibus literis, ex qvibus dicunt posse per transpositionem לְמִרְיָם שִׂרַה בְּתוּלַת Mariæ Dominæ virgini, ut Musculus & alii ex Galatino ac libro Gale Razaja dicto declarant, deinde in ם clauso, de qvo tot sunt opiniones, qvot ferè explicationes, qvibus omnibus ut incertis suo loco relictis, nos ad seqventia progredimur. Majestatem regis describserar suprà Esaias, nunc describit majestatem regni, prius ab amplitudine, deinde â beatitudine, siqvidem notum est, hebræos voce pacis omnis generis bona complecti, unde ea benè precantium in salutatione formula, pax tibi, pax vobis, pax tua multiplicetur, conferri possunt hæc loca Psal. 72, 8. Mich. 4, 7. Zachar. 9, 10. Luc. 1, 33. Vocentur itaq; & alii Augusti nomine; hîc noster Messias verè est Augustus, qvia semper auget sui imperii fines, ubi nil obstat, qvòd sæpius qvidam subditi imò vel integræ Ecclesiæ deficiant, siqvidem alii alibi substituuntur, & in cœlo tandem erit complementum summum hujus ac similium promissionum, qvæ loqvuntur de rebus spiritualibus, & talem hanc esse res ipsa probat; siqvidem nullum mundanum regnum perpetuò floret. Si qvis qværit, ubi igitur sedes regia hujus Principis ac Monarchæ? ubi ejus thronus? ubi metropolis? ab Esaia hoc responsi feret, in *solio Davidis* patris sui Luc. 1, 33. in qvo sedebit ut filius & hæres unicus relictus 2. Sam. 7, 12. qvi collapsum regnum restituat, non qvidem corporaliter, sed spiritualiter Confer Amos 9, 11. Actor. 15, 16. duæ enim civitates præcipuè censentur Davidis, Bethlehem ratione nativitatis 1. Sam. 16, 4. & 20, 6. & Jerusalem, ratione regiæ dignitatis ac regni administrationis 2. Sam. 5, 9. qvæ optimè huc qvadrant, siqvidem etiam Christus verus ille vitæ panis Johan. 6. Natus est Bethlehemi Mich. 5, 2. Matth. 2, 1. Luc. 2, 11, Joh. 7, 42. & Jerosolymis Domino oblatus Luc. 2. concionatus ibidem Johan. 2. passus est Luc. 18. ibidemq; regnum ejus spirituale per prædicationem Evangelii universalem cœpit Luc 24. Actor. 1. ut prædictum erat Esa. 2. Mich. 4. fore, ut de Sion exiret lex, seu lætus Evangelii nuncius. Notant præterea alii, potiùs regni Davidis, qvàm Salomonis fieri mentionem. (1.) Ratione humiliationis & exaltationis, siqvidem Salomo statim regnare cœpit nullis exantlatis laboribus aut periculis: David verò ut diu in

exilio variis malis fuit exercitus, cum jam esset Rex unctus atq; ita tandem ad regni clavum evectus: ita & Christum oportuit multa pati & mori, atq; ita intrare in suam gloriam Luc. 24, 26. 46. (2.) Rationn amplificationis regni, siqvidem Salomo statim super omnes tribus regnavit, David autem primùm saltem super Judam, deinde tandem super totum Israëlem, imò etiam varias gentes 2. Sam. 2, 3. 4. 5. 8. capp ita Christus primùm in Judæa fuit notus, Jerosolymis fiebat initium prædicationis, Judæis oportebat primùm prædicari Evangelium Act. 1. & 13, 46. (3,) Ratione administrationis regni. Salomo in pace sua usque ad seram senectam possedit, David autem se suosq; bello & armis defendit ac gloriosè suos hostes divicit: ita Christus Psal. 110. 1. Cor. 15, Hinc igitur subjicitur in textu, *& in regno ejus* Davidis, quod ut ipse auxit, protexit, ac eos, qui cum ipso in exilio perdurabant, ad honores evexit, ita & Christus in regno suo spirituali, quod ipsi secundum utramq; naturam competit, **denn nach seiner GOttheit ist er ein geborner / nach seiner Menschheit ein erkorner König** ut habet D. Forsterus in Com. Cùm verò omnium regnorum firmamenta sint jus & justitia Prov. 29, 4. Jer. 22, 3. tum vel maximè hujus, in quo vigebunt maximè Psal. 72, 1. Jer. 23, 5. & 33, 15. Siquidem vires regni non in munitionibus aliisq; externis consistent. Forma autem administrationis non in violentia, ut in tyrannide, aut in fraudibus ac dolis, ut plerumq; in oligarchia, sed reget suos, regnumq; firmabit hic Rex לְהָכִין parando & *habiliendo illud* (confer quæ dicta sunt Psal. 7, 10. & *fulciendo illud* לְסַעֲדָהּ statuminando ac sustentando velut columnis hisce, *jure* in puniendis impiis, & *justitia* in defendendis pios, confer Psal. 9, 8. 9. Verùm quum etiam optimè constituta imperia vetustate tandem collabantur, hujus regni duratio erit perpetua, *ab hoc tempore usq; in æternum* מֵעַתָּה וְעַד־עוֹלָם quomodo ipsa æternitas sæpè describitur & עוֹלָם pro ratione subjectæ materiæ vel diurnum, ut ita dicam, seu sæpè parvum, vel diuturnum seu magnum tempus, vel deniq; æternitatem ipsam notat. Inspiciantur saltem hæc loca Psal. 113, 2. & 115, 18. & 121, 8. & 125, 2. & 3. Mich. 4, 7. Unde verò tanta & hæc omnia? non à regibus mundanis, non à sociis vel auxiliaribus copiis, sed ipse Jehova hæc perficiet, qui dedit hoc signum

gnum in sui populi solatium supra c. 7. suosq; in secuturis motibus ac seditionibus servabit, *Zelus Jehova*, amor in pios oppressos, ira in hostes opprimentes vide Joel. 2, 18. Nah. 1, 2. *Jehovæ* Domini, Exercituum *faciet istud*, quomodo hoc epiphonematis loco subjicitur suprà dictis, continetq; causam eorum omnium, & quum nihil Jehovæ sit difficile, non est, quod quisquam de complemento horum dubitet.

I. Loc. Comm.

ETsi Deus bis in V. T. omnibus hominibus se revelavit satis manifestè & gratiosè in Adamo & Noacho, tamen quum pleriq; eorum posteri, illius cum Caino Gen. 4. hujus cum Chamo & Chanaan Gen. 9. & 10. à verâ Ecclesiâ, in quâ Dei nomen prædicabatur & invocabatur Genes. 4, 26. se segregabant, Deus in Judæâ notus fuit Psal. 76. & judicia sua manifestavit Jacobo Psal. 147, 19. 20. quanquam & gentibus ad Ecclesiam Judaicam semper patuit aditus, & non omninò se expertem testimonii inter eas Deus reliquit Act. 14, 17, & 17, 26. 27. quomodo etiam peculiares Prophetæ quandoq; ad eas missi, ut Jonas; & horum vaticinia ad eas directa fuere, ut videre est apud Esa. à cap. 13. Jerem. à cap. 46. Ezechielem à cap. 25. Veruntamen universalis omnium hominum ac gentium ad Ecclesiam per præconium Evangelii instituta vocatio ad tempus N.T. fuit reservata, unde eam tum futuram fermè omnes Prophetæ prædixerunt, de illo regno per totum terrarum orbem diffuso, eoq; spirituali hoc quoq; loco Esaias vaticinatur, quod amplitudini ejus nullus finis: sive enim omnes homines & terrarum angulos respicias, verbum ubiq; fuit prædicatum Marc. 16, 10. Act. 17, 30; Coloss. 1, 23. & multi conversi, atq; ad Ecclesiam militantem adducti: sive etiam cœlum intuearis, noster Rex & Messias habet ibi imperium in sanctos Angelos, eosq; longè plurimos, sanctosq: jam ibidem triumphantes: sive in infernum oculos convertas, Diaboli sunt ei subjecti Phil. 2, 10. ut meritò dicat Esaias, amplitudini hujus regni nullum esse præfixum terminum ac finem.

II. Loc. Comm.

VErùm non tantùm limites hujus regni sunt immensi; verùm & bona, quæ ibidem obtingunt subditis fidelibus, infinita, nempe pax omnigena ac æterna, cujus hic gustum aliquem habent pii, dum sunt

mediis

mediis in undis tranqvilli, nixi petrâ salutis Jesu Christo, Joh.16,33.Rom. 5,1. complementum verò ultimum seqvetur tandem in cœlis, ubi DEUS erit omnia in omnibus 1.Cor.15,20.ubi gaudium perfectum, qvod nemo tollere vel eripere piis potest Johan.16,22. eò enim non pertingit dæmonis invidia, qvæ primos parentes in mala & miseros tumultus conjecit; eò non penetrat hominis cujusqvam malitia, qvæ nunc exercet fideles in mundo. Salomo Rex in pace sua possidebat diu, tandem tamen hostes experiebatur: noster Princeps pacis omnes hostes pedibus suis jam habet subjectos Psal.110. 1.Cor.15. & proinde sub hoc Rege ac duce servatur Juda, & Israel habitat securè Jer.23,6. & 33,16. per hunc erit tristitiæ & malorum brevitas, & lætitiæ ac bonorum æternitas Esa. 54,7.8. 2.Cor.4,17.18. hæc pax superat omnem intellectum Phil.4,7.& reddit gaudium perfectum Joh.14,27.

III. Loc. Commun.

QVòd David in sua miseria & gloria, imò & nominis memoria ac insigni victoria gesserit qvendam Christi typum præclarum, alibi est demonstratum, ac patet, qvando Christus ipso nomine Davidis appellatur apud Prophetas, cui respondens omen Matth. 3,17. subjungitur. Hinc ipse potissimùm promittitur 2.Sam.7. Psal.89. & filii Davidis nomine in Evangelica historia potissimùm insignitur. Non igitur mirum est, qvum in ipso restauretur regnum Davidis, qvod ipse in solio Davidis sessurus hîc prædicitur, idq; ab Angelo in ipso completum iri annunciatur: & hic est thronus gratiæ. Alias thronus potentiæ & gloriæ ejus est æternus Psal.45,7. Hebr.1,8. Interea dum ad cœlestem Jerosolymam anhelamus, in qvâ erit ista visio pacis perpetua, de qvâ paulò ante, in humili Bethlehem ac domo panis pane vitæ vescamur. Ita futurum est, ut, qvando hic Rex noster jam expugnabit & plenariè sibi subjectos demonstrabit suos hostes, arcem hinc supercœlestis Hierosolymæ conscendere nos faciat, Confer 2.Sam.5. nos qvi sumus ejus fide facti filii & spirituales Sponsæ Gal.3,26. Hos.2,20.

IV. Loc. Commun.

ECce regnum DEI intra vos est, inqvit Salvator Luc.17,21. ubi enim Christus vivit & habitat, ibi regnat Confer Galat.2,20. Ephes.3,17. nobis igitur promittitur æternitas, dum Messiæ Regi nostro attribuitur

tur principatus perpetuitas; nobis spondetur pacis stabilitas, dum regni hujus asseritur durabilitas. Rex enim non est sine subditis. Considera qvomodo hoc oret Salvator sub vitæ finem Johan. 17, 24. Pater, qvos dedisti mihi (puta ad salvandum, dum perseverant in fide usque ad vitæ finem) volo ut ubi ego sum, sint & illi mecum, ut videant gloriam meam, hoc est, si hebraismum explices, eâ utantur, fruantur. Huic itaque salvanti Regi aperiamus cordis nostri portas ut intret Psalm. 24. Cum hoc à terrenis evolemus in cœlos, ut nos beet Psal. 47. Cum hoc toleremus afflictionem Luc. 22, 28. 29. Ut sentiamus tandem æternam refectionem Actor. 3, 19. 21. Præterea monentur hîc pii, qvòd, si deinceps velint frui pace ac prosperitate, id omnino reqviratur, ut se Regi suo subjiciant, eumque colant Psal. 2, 11. Docentur impii, non posse sibi obtingere ullam pacem, qvum ea tantùm sit in hoc regno, cujus ipsi nolunt esse cives Esa. 48, 22. & 57, 21. qvid ergo ipsis exspectandum? id omne, qvod paulus recenset Rom. 2, 5. 8. 9.

V. Loc. Comm.

CUm omnium regnorum politicorum Psal. 147, 13. 14. tùm maximè Ecclesiæ stabilitas est à Deo Psalm. 46. qvi eam firmiter fundavit Psal. 87. ita ut ne qvidem portæ inferorum prævalere ei qveant Matth. 16, 18. hujus cives sunt ille populus, qvi arcam Noachi ingreditur, & ex eâ tandem egreditur, qvi in Ægyptum deducitur sed & educitur, qvi affligitur sed non prorsus abjicitur, qvi mergitur, sed non submergitur vide 2. Corinth. 6, 4. 5. Hebraicè autem qvando dicitur hoc loco לְהָכִין conferri possunt ea, qvæ de alterâ in templo Salomonis erectâ columnâ leguntur, cujus nomen erat יָכִין 1. Reg. 7, 21. & qvæ de Ecclesia prædicat Apostolus 1. Tim. 3, 15. complementum autem ultimum describitur Apocal. 21. Qvando verò promittitur fore, ut DEUS stabiliat ac fulciat Ecclesiam, ea suam infirmitatem ex & in se agnoscit libenter, qvum sciat in eâ perfici Dei potentiam 2. Cor. 12, 9.

VI. Loc. Commun.

XEnophon olim censebat, hanc esse legem regiam, ut bonis præmia, malis verò pœnæ inferantur; ea autem lex qvum rarò

& pauciſſimis in locis ſervetur, obtinet in regno Chriſti, qvia ipſe eſt Rex juſtus, imò totius mundi Judex, apud qvem nulla injuſtitia. Qvod cum ita ſit, monentur omnes, qvi volunt hujus regni frui privilegiis, ut & ipſi, qvod juſtum eſt, faciant, & qvantum in ſe eſt, ad juſtitiam alios incitent: Et refutantur inde Calviniani, dum eos, qvi peccatis indulgent, DEI gratiam non amittere aſſerunt. Si enim Meſſias ſuum regnum jure & juſtitiâ ſtabilit, omnes injuſtitiæ deditos longiſſimè à ſe removebit. Et ſi David hoc de ſe verè dicere poterat Pſal. 101. Qvantò magis hic Davidis antitypus & hæres præcipuus? Matth. 12, 18. Conſolationem inde percipiunt hic afflicti eam, qvam inculcat Paulus 2. Theſſal. 1, 6. 7. qvod juſtum ſit apud DEUM, reddere illis æternam felicitatem & gloriæ coronam 2. Tim. 4, 8.

VII. Loc. Comm.

NIhil eſt in mundo perpetuum; ut demonſtrat Rex monitor Eccleſ. 1, 3. 4. 5. & *omnia præterevnt præter amare DEUM* cap. 12, 15. Chriſti autem regnum qvum non ſit de hoc mundo, illis viciſſitudinibus ac mutationibus non eſt obnoxium, ſed ejus cives etiam per mortem in vitam tranſeunt Johan. 5, 24. & durante ſole ut ſoboleſcit nomen hujus Regis, ita amplitudo pacis ſubditis adeſt, dum non ſit luna, uti prædicatur Pſal. 72, 7. 17. & Dan. 2. v. 44. prædicitur fore ut hoc regnum nunqvam diſſipetur. Fremat itaque orcus, tremat orbis, hoc regnum jure & juſtitiâ fultum ſtabit Pſal. 2. & 46. & 129. Clauſula etiam hæc generalis rectè applicanda eſt omnibus ſuperioribus & præcipuè titulis Meſſiæ, qvod nimirum ſit ab hoc tempore usque in ſeculum admirabilis, conſiliarius, id qvod hodiè ſub finem mundi, ubi omnia mala concurrere & omnes Eccleſiæ hoſtes in exitium piorum conjuraſſe putes, magnum præbet ſolatium, fore ut etiamnum mirabilis conſilio ſuo DEUS ille fortis & pater noſter poſt tot turbas pacem reducat, poſt tot injurias jus & juſtitia adminiſtret, gregemque ſuum fortiter defendat.

VIII. Loc. Commun.

SI enim David qvando audivit ſuas ſibi eſſe ereptas conjuges ac liberos,

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730466876/phys_0430
DFG

liberos, zelo pio ita exarsit, ut in præsentissimum se conjiciens periculum, laboremq; subiens gravissimum promitteret eis ac perficeret liberationem 1. Sam. 30, 6. qvando se in Jehova DEO suo confirmabat: qvantò magis Salvator noster tam carè redemptos suo sangvine sibi asseret & in libertatem tandem vindicabit æternam? Confer Luc. 18, 7. 8. Ipse enim est Pater noster, qvi creavit nos; frater noster, qvi carnem nostram assumens restauravit nos; Vindex noster, qvi perditos redemit; Judex qvi oppressos liberabit; Rex qvi regit; Dux qvi regit; verax in promittendo; promptus in præstando. Is itaq; zelo pio (qvi est amoris & honoris) ex suo in nos affectu, qvod pollicitus est, dabit effectum, siqvidem est Jehovah, qvi, qvod dixit, facturus est, & Dominus exercituum, qvi facilè omnibus creaturis potest imperare, & cui eæ libenter volunt parere. Absit itaq; dubitatio, & diffidentia, ubi tanta est in pollicente potentia.

Illi sit honor Laus & gloria in sempiterna secula,
Amen.

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730466876/phys_0432
DFG

F. Reppien

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730466876/phys_0435
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730466876/phys_0436
DFG

præcludens unà cum Elephanto, qvem est comp… autem pondere oppressus, ejusqve sangvine, qve… colliditur & perit; sic etiam inter magnum hu… bolum & CHRISTUM ter optimum maximum Sea… tua nunc & deinceps in membris, qvondā tempo… ipso capite, dimicatio & pugna. Is CHRISTIC… eumqve mordet, sangvinemqve profundendum … sicut & deinceps martyrum sangvine per tyrannos … factus est, supra v. 3. Illos autem omnes cum DEU… qvidem privat, sed à CHRISTO occiso occiditur, … tyribus tyrannide victis fide vincitur, 1. Johan. 5. &… tis judicabitur, 1. Corinth. 6. 3. De serpentis verò pr… & majoris calliditate hinc inde alii; & satis ea appa… toris effato: Estote prudentes ut serpentes, Matth… Gen. 3, 1. Nos ex Plin. lib. 28. c. 9. & l. 7, 2. hæc duo tan… tabimus. (1.) Qvod inter serpentes & cervos perp… & illi ab his perdantur; ita etiam inter Diabolum &… sanctos est pugna, qvorum ille cum cerva matutina… cum cervo glocitante ad aqvas puras comparan… (2.) Qvod & mali ac feri qvidam homines, ut Phyll… serpentibus lædantur, in causa salivam hominis pra… Sic etiam Diabolus pios magis petit qvam impios… vos cœperit, & pro libitu ducat, 2. Tim. 2, 26. & à … spiriis & lachrimis, præcipue eorum qvi temperant… abigitur, Matth. 17, 21. Ut autem hic ipse Diabolus … serpens, ita & ejus progenies ac filii, Joh. 8. appellan… ne, & contra pios insurgunt, eodem qvo hic eorum … fer Es. 27, 1. Matth. 3, 7. & c. 23, 33. & tandem simul aud… tiam: Ite in ignem æternum, qvi paratus est Diabol… Matth. 25, 41. Gaudete hîc igitur afflicti parumper … 5. & 10. nam vos cum Lazaro æternum solatium, se… æternum percipient cruciatum, Luc. 16. siqviden… DEUM, iis qvi vos afflixerunt, reddere afflictionem … modo patienter perdurate, Hebr. 10, 25. 36. fortes … confidete, in Ecclesia manete. Sic neqve Draco terr… ille vos mordere potest.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730466876/phys_0437
DFG